Universidad de Deusto
Biblioteca

Pag. S. Aristotiks

BIBLIOTECA
DE
D. LUIS ZURBANO

Universidad de Deusto
Biblioteca

160/16

COMMENTARIA IN VNIVERSAM ARIST. DIALECTICAM, VNA CVM QVAEST. QVAE A GRAuissimis viris disputari solent.

Auctore Fr. Didaco Masio Valentino, Ordi. Prædicato. Ingenuarum Artium, & sacræ Theologiæ Doctore, eiusdemq. in florentissima Valentinorum Academia, publico professore.

Horum Commentariorum tomus secundus lib. de Interpretatione & reliquos posteriores Dialecticæ complectens.

Impleuit eum dominus spiritu

potauit illum Eccles. 15. sapientiæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris

VALENTIAE.
Apud Petrum Patricium. Anno 1592.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AD MOD. REVER. P. F. IOANNI LOAZES, SACRAE THEOlogiæ Magistro, Patriarchalis collegij Oriolēsis Rectori perpetuo, & huius Prouinciæ Aragoniæ Ordin. Prædicatorum iam secundò Prouinciali.

F. Didacus Masius eiusdem instituti, & Prouinciæ, T. F. P.

MVLTA sunt quæ me (vt hæc commentariæ sub tuo nomine apparere voluerim) Reuer. ad mod. Pater Prouincialis, huiusq; nostræ Prouinciæ singulare decus, & ornamentū, flectere potuerunt: imprimis eximia tua virtus, probata sapientia, mira (in tuæ curæ commissis ouibus gubernandis) prudentia, comitas, & suauitas, infla[m] religionis augendæ, & accensum desi[de]rium, & animi quædam in omnes literatos [im]pensio, innumeraq; alia dotes, quarum fulbus ita omnium animos ad te conuertisti, vt huius almæ Prouinciæ (religionis, & literarum parentis fœcūdissimæ) patres, multis, aliis, literis, & religione florentibus patribus, quibus ipsa maxime fruitur, & abundat, prætermissis, te vnum semel, atq; iterum, dignum, quitotius Prouinciæ gubernacula teneres, iudicarunt: quo-

quorum sane expectationi, & semel de te conceptæ opinioni, ita satisfeci sti, vt optimi, & religiosissimi Prouincialis munus te adimplesse, omnes vno ore fateantur. Verum vt hoc opus tibi præcipue consecrare decreuerim, duo beneficiorum genera effecerunt, priuatum vnum, & alterum toti Prouinciæ, imo & toti religioni commune, & vt de priuatis beneficiis nihil dicam (norunt enim omnes huius prouinciæ alumni, quantum tibi debā, propter maxima, & assidua in me collata beneficia, & propter paternam charitatem qua me es semper complexus) illud quod est toti Prouinciæ cōmune, adeo est eximium, vt pro illo parem tibi, tuisq; gratiam referre nos omnes posse, numquā putem: est autem celeberrimum Oriolense Patriarchale collegiū, à maioribus tuis magnis sumptibus exædificatum, amplissimisq; redditibus (vt in eo vtriusq; diuinæ, & humanæ Philosophiæ professores, & collegæ viri religiosi alerentur) dotatū, tuis laboribus, industria, & incredibili quadam vigilantia, in hanc quam cernimus amplitudinem, & maiestatē ita accreuisse, vt inter innumera, et maxima collegia, quibus sacra decoratur religio, inferiora multa habeat, maius autem, aut illustrius, nullū cernamus habere: Hoc certe Pio V. sanctissimo, &

& piißimo Pontifici maximo, nos omnes debe mus, quod te ſingulari quadam gratia, perpetuum eiuſdem collegij Rectorẽ deſignauerit. Ex quo ſane tempore, ita omnes curas, cogitationes, & ſtrudia in illud illuſtrandum, moribuſq; & literis imbuendum conuertiſti, ac ſoleni parentes chariſſimos filios, ex ipſis ſuis viſceribus natos, moribus, probitate vitæ, & literarum cognitione informare. Quis igitur mihi vitio vertet, quod hæc noſtra commentaria ſub tuo nomine apparere voluerim? Quis hoc meum ſtudium, & inſtitutum non laudabit? Flectuntur feræ beneficiis, belluinaq; ferita te depoſita, in eos à quibus beneficia acceperũt, grati animi ſignificationem (quantum illis fas eſt) exhibere conantur, & nos (niſi inferiores ipſis belluis effici vellimus) in benefactores noſtros, aliquam grati animi ſignificationem exhibere verebimur? Accipe igitur Prouincialis meritiſſime, hoc opus, quamuis exile, & vt ſub tuo nomine prodeat minime dignum, tam quam meæ inte obſeruantiæ, & grati animi, perpetuum ſymbolum, ea quæ fronte qua ad te mittitur complectere, ſi enim hoc (vt ſpero) aſſecutus fuero, maximam mihi fœlicitatem acceßiſe putabo. Vale colendiſſime Pater, meq; vt ſoles dilige. Ex hoc tuo Valentino Prædicatorum cœnobio.

COMMENTARIA IN CATEGORIAS ARIſto. eodem Fr. Didaco Maſio Valentino Vilarealenſi Ordinis Prædicatorum auctore.

*

Præfatio operis.

EXpoſitis quinque vocibus vniuerſis, quę ob eam cauſam ante Categorias traditæ fuerunt, quia ſunt ad illas intelligendas omnino neceſſariæ, agendum erit iam de ipſis categorijs, à quibus Ariſt. in tradenda Dialectica methodum naturæ, & compoſitionis obſeruans fuerat auſpicatus. Cæterum quia iuxta morem omnium interpretum, tam Latinorum, quàm Græcorum, ſunt ante operis exordium quædam Prolægomena proponenda, hæc eadem & nos, eorum veſtigijs inhærentes, proponemus. Erunt autem illa numero octo. Primũ erit de nomine auctoris, ſecundum de inſtituto, tertiũ de inſcriptione, quartum de vtilitate, quintum de ordine quem obſeruat ad alios libros Dialecticæ, ſextum de methodo, ſeptimum de diuiſione operis, & octauum ad quam partẽ Philoſophiæ ſit opus referendum.

DE VITA ARISTOTELIS sectio prima.

VT igitur hęc Prolegomena seorsum explicemus aggrediemur à primo scilicet à nomine Auctoris, quem constat extitisse Arist. vnde non erit extra institutũ nonnulla ex veterum monumentis repetere de vita, moribus, operibus & Secta Arist. Quam rem, vt dilucidè proponamus in quatuor Sectiones distribuemus, in quarum prima trademus vitam Aristo. in secunda agemus de illius fœliciſsimo ingenio, & optimis moribus: in tertia explicabimus opera, & monumenta à se ædita, quænã sint illa, & in quas classes distributa, tandem in postrema de Secta Peripatetica ab ipso instituta disputabimus, vt igitur ad illius vitam accedamus. Aristoteles summus Philosophus Peripateticorum Princeps, & secretorum naturę profundisſimus indagator, fuit natione Macedo, patria Stagirites, ortus fuit Olympiadis 99. anno 1. & ante Christi domini natiuitatem anno 371. parẽtes habuit Nicomachũ, & Festiadem, ex Aesculapij genere ortos. Quibus defunctis cum adhuc esset in pueritia constitutus, cuidã Praxęo literis & moribus imbuendus traditus fuit, cuius cura literas humaniores fuit fœliciſsimè consequutus. Deinde vero propter nimiã viuendi libertatem, totum patrimonium quod à parentibus satis amplum obtinuerat, consumpsit, ita vt militiam exercere fuerit coactus. Verum cum hoc non illi fœliciter, & ex animi sententia euenisset, artem pharmacopoleam tum didiscit, tum etiam exercuit. Agebat tunc temporis ætatis suæ annum 17. vt ex Aelia no docet Franciscus Patricius lib. 1. discussionum Peripateticarum, ex quo tempore vsque ad annum 20. per tres annos se Socratis cõmisit disciplinæ, quo à Senatu Atheniensi necato, Academiam Platonis est ingressus, illumque auidiſsimè per 10 annos docentem audiuit, vsque ad annum ætatis 40 Deinde vero ad Hermiam Eunuchum tyrannum se contulit, apud quem mansit pertres annos integros, vsque ad annum 43. suæ ætatis. Interempto autem Hermia, à Philippo Persarum Imperatore patre Alexandri Magni (vt Plutarchus testatur) vt filium Alexandrum optimæ spei adolescẽtem, & iuuenem florentiſsimum annis 15. natum, virtutibus, & literis institueret, fuit euocatus, quod munus fœliciſsime gesit per septem annos, vsque ad suæ ętatis annum 50. Principio in maximo pretio fuit habitus apud Philippum, & Alexandrum. nam Philippus in quadam epistola profitetur, se non minores gratias referre Diis propter genitum filium Alexandrum, quam quod eo tempore ille ortus fuerit, quo posset ab Arist. literis, & moribus erudiri: & patriam Stagiritem' à se solo æquatam, iterum in gratiam Arist. exædificauit, ob quam causam dein de Stagirites dies festos dicarunt Arist. Aristoteleos illos nuncupantes. Alexander vero (vt auctor est Plutarchus) in tanto pretio, & veneratione ipsum Arist. habuit, vt ingenuè fateretur se non minus debere Arist. quam parenti Philippo, quia à parente esse & viuere obtinuerat, ab Arist. vero rectè viuere, optimisque moribus esse ornatum. Verùm deinde ob Calistenem discipulum Arist.

Ex Lactan. lib. 5. Plutarcho, varijs in locis, Ammon in Præfat. categoria. Fráciſco Patricio. 1. li. discussionum Peripatet. & ex alijs.

In Alexan.

Vbi supra.

Arist (quem in Asiam miserat Alexandro) necatum, dissidiæ inter Alexandrum, & Arist. suborta fuere, ita vt multi suspicarentur, Arist. in nece Alexandri ab Antipatro effecta consensisse. Instituto igitur Alexã. per septenium Athenas post modũ petiit, cumque condiscipulum Xenocratem in Academia Platonis docentem inueniſset, ipse aperuit Licæum, ibique publicè Philosophiã docere cœpit, turpe putans esse, silere Arist. loquente Xenocrate. Quod munus summa cum omnium vtilitate pariter ac iucunditate ferè per 13. annos exercuit. Cæterùm accusatus coram Senatu Atheniense, quod Deorum cultum contemneret, innocentiam suam publica quadam oratione defendit, abiitque deinde in Calcidem Eubœæ, vbi ad annum 63 iam completum deueniens deficiẽte ætate obiit. Quam ob causam interierit incertũ est. Quidã ad mœrorem animi illius interitum referunt, eo quod non potuerit mente assequi causam septies in die reciprocãtis Euripi, & huius rei occasio ne se præcipitem in mare hiſce verbis (vt ferunt) dediſse. Quoniam nõ potui comprehendere te, tu comprehende me. Cui rei non facile fidem adhibeo, cum in Cælio Rodagino, & in aliis grauiſsimis Philosophis scriptum legamus, Arist. dolore commotũ, & lachrymis perfusum in hora sui exitus auxiliũ primæ causę in hæc verba imploraſse, *Causa causarum miserere mei.* post quæ illicò interiit. Rogatus autẽ paulò ante mortem suam, quem relinqueret hæredem suorum operum, & successorẽ Gymnasij, Theophrastum ne Lesbium, an Menedemũ Rhodium: qui duo inter illius discipulos erant prę cipui, iusit ad se afferri vinum Lesbium, & Rhodium, Lesbiumq. probari sibi maxime dixit, in quo esset mira suauitas, quibus verbis vrbane satis ind: cauit præferendum esse Theophrastum Lesbium, Menedemo Rhodio, atque ita effectum est, vt Theophrastus operum Aristo. Academiæque eiusdem hæres fuerit institutus, atque successor. Quod vero ad corpus habitumque Arist. attinet: erat ille mediocris staturæ, exiguis cruribus, & articulis, oculis paruis, facie itidem parua, aliquantulum macer. Vtebatur vero calceamentis & vestibus pretiosis, semper gestans anulos in digitis, abradebatque sæpe comam, ob quam causam fuit à Platone aliquando neglectus, eo quod non deceret huiusmodi habitus, & corporis ornatus virum Philosophum, & ita vtebatur familiarius consuetudine Xenocratis, & Seu lippi, quam familiaritate Arist. vnde dicunt ortas fuisse dissidias illas, & rixas inter Platonem, & Aristotelem implacabiles.

Lib. 16. cap 34.

De Ingenio, & moribus Aristo. Sectio Secunda.

QVidam ingenij laudem, & fœcilitatem Homero Poëtæ prænãtissimo tribuũt, alij Hippocrati Medicorum Antesignano illam conferunt alij Pythagoræ Samio, sunt qui Taleti Milesio hanc palmam concedant: verum si omnes hi cum Arist. conferantur, vix, ac ne vix quidem aliquam laudem, & ingenij fœlicitatem consequuti fuisse videntur, ita enim extitit affluens, & liberalis natura in ornando Arist. vt paucis ex mortalibus, aut tantam ingenij sublitatem, aut tantam memoriæ fœcunditatem, aut totalia dona naturalia sua liberali manu concesserit.

Cuius ingenij indolem, acumen, & subtilitatē, admiratus Plato, sępe vocare solebat illum Mentem, & Philosophum veritatis, nam si quando contingebat à Gymnasio abesse Aristotelem subclamabat Plato, sibi deesse mentem, & Philosophum veritatis. Athenienses etiā in testimonium singularis cuiusdam, & eximiæ eruditionis Arist. statuam quādam illius erexerunt, manu naturæ viscera apprehendentem, illaque toti mundo manifeste, & aperte proponentem: effectum enim ab eo procul dubio est, vt abdita naturæ mysteria, ingenio, & industria sua, ē tenebris sint erута, atque in hāc lucem, tanquam omnibus manifestissima fuerint prodita. Ferunt etiam numisma quoddam fuisse olim excussum, in cuius vna parte depicta erat Philosophia muliebri habitu exculissime ornata: in alia vero parte effigies ipsius Arist. naturæ maximi alumni & obseruatoris diligentissimi visebatur, quin & immensa cœlorum moles, sidera multā, stellæ errantes, & perennes superiorum corporum motus, in pectore vero scripta erant elementa, nubes, grandines, imbres, tonitrua, & alia multa quæ in media regione aëris oriuntur: in cruribus vero depicta erat terra, animātia, fontes, lacus, flumina, fossilia, & omnia alia, quæ in visceribus terræ generātur. Quo numismate tā quam symbolo apertissimo exprimitur ingenium Arist. & illius summa in rebus philosop. eruditio, quę certe tanta extitit, vt nihil fuerit aut in cælis tam abditum, aut in terræ visceribus, tam occultum, aut in elementis tā abstrusum, quod ille in hanc lucem, & auram fælicissime non reuocauerit. Fuisse vero illum optimis moribus institutum, ex eo sane colligi potest, quod à Philippo ad Alexandrum moribus, & literis instituēdum fuerit euocatus, nisi enim his moribus effulsisset, nō fuisset hauddubie ad hoc munus obeundum ascitus. Inter alia autē animi ornamenta maxima pietate nituit, in Deum præsertim, patriam, & magistros. In Deum quidem, varia sacrificia nuncupatis votis sæpe illi offerendo. In magistros præterea, nam Platonem tanto amore & charitate fuit semper prosecutus, vt illius nomen diuinum arbitraretur, atque in eius honorem aram, & statuam Athenis erexit, in qua scriptum erat, hunc esse diuinum illum Platonem, quem probi omnes. & admirari, & colere deberent vt prodit Petrus Crinitus lib. 22. de honesta disciplina cap. 1. Fuit tandem gratus in patriam, cum eius auctoritate (iā solo æquata) fuerit iterum exædificata, seruis libertas concessa, & ciuibus optimæ, & æquissimæ leges institutæ. Neque acquiescere vllo modo possum quibusdam Philosophia existimantibus inter Platonem, & Arist. maximas extitisse discordias, nam quem tantum & vnice venerabatur qui fierit potuit vt tam graui odio prosequeretur? Vnde non aduersus Platonem, sed aduersus Platonicos qui minus recte dogmata Platonis interpretabantur (vt Ammonius in præfatione Categoriarum animaduertit) multa conscripta nobis reliquit.

De operibus Aristo. Sectio Tertia.

Conscripsit in omni parte Philosophię innumeraferevolumina. Nam præter libros qui perierunt, qui nunc extant conficiunt maximum numerum & ingentem illorum librorum, vt diligenter adnotat Franciscus Patricius 2. li. discussionum Peripateticarum qui opera Aristotelica in sex classes, in Logica, Naturalia, Metaphysica, Mathematica, Polytica, & Physiologica distribuit. Simplicius tamen, & Ammonius in suis præfationibus categoriarum diuidunt opera Arist. in priuata (vt sunt Epistolæ, & cohortationes) de particularibus rebus agētia, vniuersalia de rebus omnibus per tractantia, vt sunt libri Philosophiæ naturæ, & metaphysicę: & media, quæ possunt partim vniuersalia, & partim particularia vocari, vt sunt libri de plantis, & animalibus: nam quia agunt de multis, vniuersalia dici possunt, verum quia non disputant de rebus omnibus, dici possunt particularia. Præterea opera vniuersalia diuisa sunt in commentaria, vel in memoralia, in quibus obseruantur dicta veterū Philosophorum de quauis parte Philosophiæ confusa quadam ratione cōtenta, & in illa in quibus accurato stylo, & optima methodo res Philosophicæ tractantur, quæ deinde diuidebantur in diologica in quibus multæ personæ colloquebantur, & non diologica in quibus tantum vnus loquitur. Quæ non diologica diuidebantur præterea in opera contemplationis, actionis, & instrumentaria. Deinde opera contemplationis distribuebantur in Naturalem Philosophiam, Metaphysicā, & Mathematicas: actionis vero in Ethicam Politicam, & Oeconomicā: Instrumentaria vero in omnes partes Dialecticæ. Cæterum quamuis opera omnia Arist. compleant numerum ingentem librorum vt Franciscus Patricius 2. lib. discussionum docet non tamen existimandum est ipsum non ædidisse plures libros, nam multos periisse ex hac vnica re facile poterit constare, quia plures annos ipsius opera intra terram sepulta delituerunt. Etenim cū Arist. Academiæ & suorum operum hæredem reliquisset Theophrastrū, qui sua, & Arist. monumenta Neleo Septio testamento reliquerat, post cuius obitum suis ciuibus imperitissimis, & nulla Philosophiæ laude addictis obuenissent, illa omnia tanquam leuia, & nullius momenti neglexere. Verum cum deinde intelligerent Athalicorū reges ad instruendam bibliothecam quam Pergami parabant, vndique Philosophorum libros conquirere, præsertimque Aristo. timentes ne ab ipsis per vim, & potentiam Regum auferrentur, fussosa terra ibi illos occultarunt, vbi delituerunt per multos annos, quos deinde à Pelliconeo heyo multo pretio comparatos tradiderunt. Verum cum hi libri ex humore terræ, & nimia carie in multis locis essent deleti, effet cum ille auidior pecuniarum quam Philosophiæ, nouis additionibus loca deleta supplens, innumeros in operibus Arist. respersit errores multaque ex eis loca corrupit. Vnde cum per tot has ętates latuerint hi libri subfosi, credendum est multos ex illis periisse, & ita apud nos non deuenisse omnia opera ædita ab Aristo. Adnotat tñ Plutarchus in vita Lucij Scyllæ Romani præter hæc opera Arist. quę apud Septios asseruabātur, fuisse alia eiusdem Arist. opera asseruata in bibliotheca Athenensi, quæ integra & illæsa permanserunt. Verum subactis Athenis à Scylla, & in potestatem Romanorum redactis, omnia hæc opera ipsius iussu Romam fuere transmissa, vbi à Tyranione Grammatico, & ab Andronico Rodio correcta, & interpretata, in lucem cum maximo omniū fructu prodierunt, & hæc sunt quę vs-

que adhæc nostra tempora cum totius sæculi admiratione permanserit. Cuius rei auctores sunt Plutarchus in superiori loco, Strabo 13. lib. Geographiæ, & Franciscus Patricius 2. lib. discussionum peripateticarum. Præterea neque omnia opera quæ Arist. nomine circunferuntur illius esse vt li. de mystica Theologia, de coloribus, de elementis, de physionomia, & multos alios, omnes peripatetici profitentur. Quod ortum habuit ab aliqua ex iis trib' causis. Prima est quia multi ex discipulis Arist. exemplo Magistri, multa opera sub eisdem titulis proposi tis ab Aristo. conscripserunt, vt libros categoriarum, Analyticorum, & de interpretatio. quos quidem libros deinde Arist. posteriores Philosophi tribuerunt. Secũda causa est, quia multi extiterunt Aristo. ex hac eadem familia peripateticorum qui varia volumina in omni parte Philosophiæ conscripserunt, illaque deinde nostro Arist. ac si essent à se ædita, tribuerunt. Tertia est quia Ptolomeus Philadelphus rex Aegypti, cum maximam construeret bibliothecam, vndique conabatur libros maximorum philosophorum, præsertimque Arist. asserre, etiam si multo pretio essent illi comparati. Quod cum multi Philosophi intelligerent, varios libros sub nomine Aristo. diuulgarunt, vt ita maximã pecuniæ summam à Rege sibi compararent, & ita legebantur in hac bibliotheca 40. lib. de posteriori analysi, & 8. categoriarum. Cæterum quamuis hæc ita sese habeãt tres regula remanent ad diiudicandos legitimos libros Aristo. Prima est stylus orationis, est enim ille apud Aristo. breuis, & concisus. Secunda, auctoritas ipsius met Aristo. qui sæpissime in aliquo opere citat alios libros à se æditos, & hi citati debent inter legitimos illius fetus recenseri. Tertia est, traditio philosophorum, & consensus peripateticorum, iuxta quem omnes libri illi censendi sunt Arist. qui ab illius interpretibus iudicantur ipsius esse. Diuidunt etiã philosophi opera Arist. in exoterica & achromatica, quam diuisionem hoc loco prætermittimus, eoquod illam diffuse in initio philosophiæ (Deo propitio) explicabimus.

Hæc animaduerte.

Lege Laertiũ lib. 5.

Etiam & hoc animaduerte.

De secta instituta ab Aristotele Sectio quarta.

VAriæ fuerunt olim sectæ philosophorum, fuit enim secta Ionica, Italica, Megarensis, Academica tam vetus, quã noua, Synica, Epicurea, Pyrrica, Stoica, Peripatetica, & multæ aliæ. Vnde cũ aliæ à suis philosophis traxerint originem, peripatetica ab Arist. tamque à suo fonte fuit deriuata, quæ hoc nomen obtinuit ab actione deambulandi. Arist. enim sequutus morem Magistri Platonis de ambulando instituebat suos discipulos, vt ita per corpoream exercitationem mentem acueret, & ad veritatem assequendam fieret magis idoneus, vnde & peripateticus fuit vocatus. Quantum autẽ hæc secta antecellat omnes alias ab aliis philosophis institutas, colligere poterimus ex eo, quia cum omnes aliæ iam ferè sepultæ sint, & obliuioni traditæ, hæc sola peripateticorum familia, est quæ cum maxima nominis celebritate & claritate apud omnes nationes perseuerat. Neque est cur aduersus Arist. & peripateticos nobis quis obiiciat auctoritatem sanctorum patrum maxime reprehendentium Arist. & illius doctrinam, è quorũ numero sunt D. Augu-

Laert. lib. 1.

Augusti 8. lib de ciuitate qui doctrinam Platonis anteponit doctrinæ Arist. D. Hieronymus in c. 11. Esaiæ præferens Stoicos omnibus aliis philosophis, D. Grego. Nazianzenus oratione 1. de Teologia, D. Epiphanius lib. 3. aduersus hæreses, hæresi 76. Tertullia. in lib. de perscriptionibus hæreticorum, qui Arist. eiusque familiam condemnant, & D. Iustinus martyr qui aduersus Arist. tanquam aduersus acerrimum hostem cõscripsit accuratissime. Sciendum est enim ecclesiam catholicam maxima bella in initio à philosophis præsertimque à peripateticis perpessam fuisse, vnde effectum fuit, vt à sanctis patribus antiquis sint peripatetici tanto odio habiti. Cæterũ deinde huiusmodi philosoporũ persecutione cessante, videntes sancti patres posteriores, quantum accedat hæc doctrina religioni Christianæ, quantumque innitatur lumini naturæ, reiectis aliis philosophorũ sectis, hanc vnicam summo applausu, & consensu receperunt.

De auctore operis.

COntrouersum est apud philosophos de auctore operis, quisnã fuerit ille, Arist. ne an alius philosophus? Cuius dubitationis potest triplex ratio assignari, prima est quia extiterunt multi Aristoteles ferũt enim illos octo fuisse, & ita potest suboriri dubitatio à quo ex iis prodierit hoc opus conscriptũ. Secũda est quia Theophr. Eudemus, Phanias, & alij discipuli Arist. vt refert Franciscus Patricius 2. discussionũ peripateticarum ædiderunt volumina de categoriis, de Interpreta. de analysi, vnde possumus etiã dubitare an liber categoriarum ab aliquo ex iis Arist. discipulis sub titulo Arist. ac eius nomine editum fuerit. Tertia est quia multi philosophi sue opera nomine Arist. exornarũt, vt illa multo pretio venderent Ptolomæo Regi Aegypti vt paulò superius diximus, & ita fieri potuit vt etiam hoc opus categoriarum ab alio philosopho sub nomine Aristo. fuerit in lucem emissum. Vnde propter alias, & huiusmodi rationes lã blicus philosophus Platonicus vt testatur Boetius censet non esse hoc opus Aristo. sed Architæ Tarentini philosophi Pytagorici, & socij Platonis qui de rebus vniuersis ædidit duo volumina, in quorum primo vberrime de categoriis disputauit. Cæterum omnes alij philosophi cõstituunt hoc opus æditum fuisse ab Aristo. nostro, peripateticorum principe. Quod quidem confirmari potest primo, quia stylus orationis, & phrasis loquendi eadem est cum ea qua vtitur Arist. in aliis suis operibus. Secundo quia illius meminit Arist. tanquam operis à se æditi, & conscripti in multis aliis libris. Tertio quia omnes Peripatetici tam veteres, quam recentiores, tam Græci, quam Latini hoc opus Aristo. tribuunt. Quæ tria argumenta aperte colligunt esse hoc opus ab Arist. cõscriptum. Sunt enim illę tres regulæ in superioribus à nobis traditæ ad dignoscendos veros Arist. libros. Neque credendum est Arist. ex Architæ hoc opus de prompisse, nam ille Architas antiquior Arist, nulla ædidit volumina, sed alius posterior eiusdem sectæ peripateticæ, qui ex monumentis Arist. duo illa volumina de rebus vniuersis confecit, vt ex Themistio profitetur Seuerin' Boe.

Quod si aliquis primo in superiora ita insurgat. Arist. maximus obseruator methodi nõ debuit exordiri dialecticam à difficilioribus, sed categoriæ sunt difficillimæ, ergo ca-

tegoriæ nõ sunt ab Arist. ipso ęditę. Resp. negando propositionem non enim semper a facilioribus est exordiendum, sed ab his sine quibus reliqua probè intelligi nequeunt, siue faciliora, siue difficiliora fuerint, quare cum omnia quæ traduntur in arte differendi, nequeant sine categoriarum tractatione intelligi ab illis iure optimo Dialecticam fuit Aristo. auspicatus. Siquis secundo obijciat. Multa ex his que in hoc opere docentur, aduersantur his, quæ in 5. lib. Metaphy. de categoriis proponuntur, vt in categoria quantitatis ostendemus, quare non erit hoc opus ab Arist. æditum: vel si hoc concesserimus fatendum erit Arist. sibi ipsi aduersari. Respon. negando antecedens: etenim quamuis illa quæ traduntur in metaphysicis, verbis aliquantulũ ab illis quæ in Dialectica proponuntur discordent, sensu tamen, vel sentẽtia nullo modo differunt, vt in eadem categoria quantitatis explicabimus. Rationibus vero dubitandi, quas in principio proposuimus respon. vnico verbo, illas omnes dissolui ex illis tribus cautis quas proposuimus ad dignoscendos veros, & legitimos Arist. lib. Nã quamuis hæ rationes occasionẽ dubitandi præbere possint, si tamen has causas & regulas perpendamus, omnino illæ euanescent.

Obie. 1.

Solutio

QVAESTIO. NVM IN *opere de uocibus, uel de rebus disputare.*

SEquitur vt aliud prolegomenõ explicemus, nimirum quod sit institutum Arist. in hoc opere explicãdo, num agere de vocibus, vel de rebus disputare; est enim res hæc apud illius interpretes non parum controuersa.

Et quidem agi de vocibus cõfir. primo. Arist. in vlt. cap. antecategoriarum proponens diuisionem eorum quæ sunt inquit. Eorum quæ sunt, quædam significant substantiam, alia quantitatem, & alia qualitatem, &c. sed significare competit nominibus, ergo de vocibus, & nominibus erit institutum disputare. Et ibidem inquit eorum quæ dicũtur alia esse coniuncta, & alia simplicia, simpliciaque tantum, esse illa quæ in categoriis continentur, quare cum dici & prædicari solis nominibus adaptetur, de nominibus, & vocibus erit instituta disputatio. 1. Argu.

Secundo, in hoc eodem cap. antecatego. postquam genera suprema in decẽ categorias distribuerat, subiungit ex his seorsum sumptis non componi enunciationes, sed ex eisdem coniunctis, & inter se copulatis, vt ex homine tantum (qui est in categoria substantiæ) non fit aliqua enunciatio, neque ex magnitudine tantum (quæ in categoria quantitatis comprehenditur) sed ex homine & magnitudine, quãdo ita dicimus, homo est magnus: sed enunciationes ex vocibus simplicibus, tanquã ex partibus componuntur, ergo institutum erit agere de vocibus, & nominibus. 2. Arg.

Præterea. Categoria significat attributionem, est enim series & ordo attributorum, & subiectorum, sed attributio prius in vocibus conspicitur quam in rebus, ergo præcipuũ institutum huius disputationis erit agere de vocibus, & non de rebus. 3. Arg.

Adhęc in hac disputatione agit Arist. de homonymis & synonymis, at homonymia in vocibus reperitur, & non in rebus: neque enim dicimus rem quæ est canis esse homonymam, sed hanc vocem canis, quę multas naturas diuersa ratione significat, ergo institutum disputationis 4. argu.

nis erit agere de vocibus.

Iam in aliis lib. Dialecticis de vocibus compositis disputamus, vt in lib. de interpretatione, de enunciatione, & oratione, in lib. analyticis de argumentatione, & illius speciebus, et sic de aliis, ergo et in hoc opere dialectico debuit quoque de vocibus suscipi disputatio: neq. enim maior ratio est quare in aliis operibus de vocibus, & non in hoc opere disputetur. 5. Argu.

Hæc quæstio inter veteres Arist. interpretes fuit olim multum controuersa, est enim prima opinio Alexandri, Porphy. in interrog. c. 3. Deuxippi lib. 1. quæst. in categorias cap. 1. & Seuerini Boetij in hoc loco materiam subiectam huius operis esse voces significantes, & institutũ Arist. esse illarum vim, & naturam explicare. Hanc omnes Nominales philosophi mirifice amplectuntur, quorum tota cura est denominibus significantibus disputationem instituere. 1. opin.

Secũda opinio est materiam subiectam esse res ipsas, & non nomina vel voces, institutumque Arist. esse de rebus ipsis disputare, vt de re quæ est substantia, quantitas, vel qualitas. Amplectuntur hanc sentẽtiam Eustratius, Plotinus Aenea. 5. Antonius Mirandulanus in sua apologia, & multi alij. 2. opin.

Tertia est communis apud omnes fere latinos recentiores, qui putant subiectam materiam esse notionem secundam subiecti, & attributi, generis, & speciei quæ omnia in recta serie categoriæ continẽtur, institutumque esse de his omnibus disputare. 3. Opin.

Quarta est Iãblici, Simplic. & Ammonij in suis præfationibus ad categorias, tria hæc esse materiam subiectam, voces scilicet, res, & notiones, institutumque esse de illis tribus disputare, alia tamen, & alia ratione, nam primo & per se de rebus disputatur, secundo loco de conceptibus res ipsas significantibus, & tertio de vocibus quæ latentes animi conceptus declarant. 4. opin.

His opinionibus propositis vt veram de hac re sententiam explicemus adnotandum est duplex esse obiectum alicuius disputationis, vnum formale, & alterum materiale. Formale est sub cuius ratione omnia pertractantur in disciplinis, materiale vero dicitur illud quod attingitur in eisdem: vt abunde satis Sectio. 1. proœmiali. quæst. 13. ostendebamus. Quemadmodum in Geometria obiectum materiale est magnitudo, formale vero est abstractio ab omni materia sensili, non tamen intellectili. Illud etiam sciendum est obiectum formale quoddã esse primarium, & aliud secundarium, vt ex eodem loco colligere licebit. 1. Obserua. 2. Obserua.

Sit iam prima conclusio. Obiectũ materiale istius disputationis, sunt ipsæ res, vt v. g. res quæ est quantitas, & quæ est qualitas. Confirmatur his arg. Primum. Obiectum materiale est illud de quo proprietates concluduntur, sed de rebus ipsis in hoc opere concluduntur proprietates, ergo res ipsę erunt obiectũ materiale. Propositio perspicua est, assũptionem ita demonstro. Recipere contraria cum sui mutatione, est proprietas substantiæ: æquale, & inæquale sunt proprietates quantitatis, simile & dissimile qualitatis: quas omnes proprietates rebus ipsis conuenire, certissimum est, quare de rebus ipsis in hoc opere concludentur proprietates. Secundo. In hoc opere, in Antecategoriis proponitur quædam generalis diuisio eorum quæ sunt, nam quædam sunt in subiecto, & non dicuntur de subiecto, alia non sunt in illo, & dicun 1. Conclusio. 1. Arg. 2. Arg.

tur de illo &c. Traduntur præterea diffinitiones homonymorum, paronymorum, & synonymorũ, & qualitas diffinitiua à qua quales nominamur, & relata quorum tota vis & natura est vt ad aliud referantur: at hæc omnia rebus ipsis conuenire nulli quantũ puto dubium esse poterit, iam igitur obiectum materiale erunt res ipsæ. Obiect. Contra tamen ita aliquis insurget. Metaphysicus agit de categoriis in 5. lib. vt res sunt, ergo Dialecticus non aget de eisdem hac ratione, nam diuersi artifices, diuersa ratione debẽt de rebus disputare. Vt tamen huic obiectioni satisfacimus sit secunda conclusio.

2. Conc. Dialecticus non ita disputat de categoriis vt res sunt, quasi sistat in illarum cognitione, & non progrediatur vlterius, sed disputat referendo hanc cognitionem ad notiones subiecti, & attributi, generum, & formarum. Itaq. hoc interest inter Dialecticum & Metaphy. quia Metaphy. agit de categoriis vt res sunt, in rerum cognitione sistendo, vt agit de homine (qui continetur in categoria substãtiæ) ea ratione qua est substantia, corporea, animata, sentiens, et particeps rationis, ibi sistendo, et non vltra progrediẽdo, vel alio hãc cognitionem referendo. Dialecticus vero de eisdem disputat, cognitionem rerum in alium finem referendo, vt disputat de eodem homine, cognitionem horum attributorum, (quæ de illo proposuimus) in notionem subiecti, vel attributi, generis, vel speciei referendo. Argumentum igitur recte colligit, Dialecticum nõ disputare de categoriis, vt res sunt, sistendo in illarum cognitione: non tamen colligit non disputare de eisdem hanc cognitionem in alium finem, et institutum referendo.

3. Conc. Tertia conclu. Obiectum formale et primum huius disputationis est notio secũda generis, & speciei, subiecti, & attributi, &c. Confirmatur primo. Quia categoria est series, & ordo generum, formarum, & indiuiduorum, subiectorum, & attributorum, vt postea agentes de inscriptione operis ostendemus: sed genera, & species, subiecta, & attributa secundum essentiam sunt notiones secundæ, ergo obiectum formale huius disputationis erit notio secũda. Iam. Obiectũ partis debet sub obiecto totius contineri, eo modo quo pars est sub ambitu totius comprehensa, sed obiectum totius dialecticæ est ens rationis Logicum, vel (quod idẽ est) notio secunda, vt Sect. 1. Proœmia. vbi suprà diffusè satis ostendimus, ergo obiectum formale huius disputationis erit notio secunda.

4. Con. Quarta concl. Obiectum formale & secundarium eiusdem disputationis sunt nomina, & voces naturas primas, mediis conceptibus significantes. Confir. apertissime, quia attribui & subiici vocibus ipsis competit secundario: at in hoc opere de subiectis, & attributis generalib⁹ disputamus. Præterea diffinitiones homonymorum & synonymorum non solis rebus, sed etiam vocibus conueniunt, nã homonymia, & synonymia non in solis rebus, sed etiam in vocibus reperitur, ergo agere de vocibus significantibus secundario ad hanc disputationem attinebit.

5. Conc. Quinta conclusio. Institutum huius operis est agere de rebus, de notionibus secundis, vel conceptibus, & de vocibus alio tamen, & alio cõsilio, nam erit agere de rebus tanquam de obiecto materiali, de notionibus tanquam de obiecto formali primo, & præcipuo, & de vocibus tanquam de obiecto secũdario. Hæc certè ex superioribus apertè satis colligitur, etenim ex materia subiecta facilè institutũ colligi potest,

test, nam institutum est in natura obiecti explicanda versari: at explicatum relinquitur res ipsas esse obiectum materiale, notionem vero secundum esse obiectum formale primum et præcipuum, voces vero obiectum formale secundarium.

Ad argumenta igitur quæ in initio proposuimus. Ad primum resp. Aristo. intelligendum esse de rebus, & non de nominibus, ita vt sensus sit eorum quæ sunt quædam significant substantiam, alia quantitatem, alia qualitatem, &c. ideſt, ea quæ nominibus declarantur, quędam sunt substantiæ, alia quantitates, & alia qualitates, quam certe interpretationem cõsonam esse Arist. colligimus ex eo, quia 5. lib. Metaph. cap. 7. hãc eandem diuisionem sub eisdem vocibus proponit, in quo loco certum est illum non de vocibus, sed de rebus disputare. Ad confirmationem respon. falsum esse dici, & prædicari nominibus, & nõ rebus conuenire, aliud enim est dici, & aliud ore proferri. Nomina quidem ore proferuntur, res vero sunt quæ de multis dicuntur, vt adnotat Laertius lib. 7. in Zenone. Imò Arist. in antecategoriis apertè tribuit rebus ipsis dici, nam eorum inquit quæ dicuntur quædam sunt quæ dicuntur de subiecto, & non sunt in illo, & alia quæ dicuntur de subiecto, & sunt in illo &c. quæ certe diuisio non nominibus, sed rebus accommodatur. Vel respon. possumus dici primo, & per se rebus, & non nominibus conuenire, secundario vero ipsis nominibus, atque ita nomina secundario ad hanc disputationem spectabunt.

Ad 2. Ad secundum argumentum respon. enunciationes primo, & per se non conflari ex vocibus, sed ex subiectis, & attributis, quæ nominibus significantur, secundario vero ex ipsis nominibus, tanquam ex partibus constitui.

Ad tertium respõ. negando assumptionem, nam attributio primo & per se in rebus cernitur, secundario vero in nominibus. Ad 3.

Ad quartum respon. homonymiã & synonymiam non tantum in vocibus, sed in rebus quoque reperiri, vt in capitibus prioribus huius operis explicabimus. Et quamuis tantũ nominibus duo hæc conuenirent, non proinde voces essent materia subiecta, quia non est de ipsis præcipua instituta disputatio, sed propter categorias, vt intelligamus homonyma arcenda esse à categoriis, & in illis tantum synonyma esse collocanda. Ad 4.

Ad quintum respon. neq. in dialectica primo, & per se agi de enunciatione, & argumentatione ratione sui, aut vt voces quædam sunt, sed propter naturas significatas. Quare non erunt voces obiectum præcipuum huius disputationis, sed illud quod à nobis fuit constitutum. Ad 5.

De inscriptione operis.

Variæ huius operis inscriptiones.

ADastrus Aphrodiseus, vt refert Simplicius, hoc opus inscripsit Antetopica, arbitrabãtur enim post lib. Categoriarum illicò de libris Topicorum esse disputandum. Architas Tarentinus, vt idem Simplicius est auctor, inscripsit opus de sermonibus vniuersis, id est, de quibusdã attributis generalibus, quæ de omnibus dicuntur, nulli tamen subiiciuntur. Plotinus Aeneade 5. de decem generibus entis, huius operis titulum proponit. A Quintiliano lib. 3. cap. 6. de decem elementis nuncupatur. A Martiano Capella lib. 4. artium liberalium de decem prædicationibus, vel nuncupationibus. A D. Augustino in suo opere categoria-

riarum de demonstrationibus rerū: à simplicio, & ab omnibus Latinis de decem prædicamentis, à Porphyrio vero in interroga. Deuxippo, & Ammonio de decem categoriis, quę denominatio frequens est, & in vsu apud recentiores. Sciendum tamen est categoriæ nomen ex prima institutione ad significandam accusationem, quæ in iudiciis fiebat, impositum fuisse, postea vero fuit hæc vox ad significandam attributionē quæ inter genera suprema, formas, & indiuidua intercedit, & genera quædam suprema, attributa, generalia, ab Aristotele translata: Licitum enim est Philosophis (vt auctor est Cicero 1. lib. quæst. Academicarum, & cum eo Porphy. & Deuxippus) noua nomina adinuenire, vel adinuēta ad alia significanda transferre, vt facilius multo possint res quas pertractandas suscipiunt, explicare. Quare quamuis nomen categoriæ tantum fuerit institutum ad significandam accusationem, licuit Arist. hoc nomine vti ad alia significāda. Prætermissa igitur prima illius significatione, hoc nomine in duabus aliis significationibus vtemur, nimirum vt significat attributa quædam generalia, & vniuersa, ac serie, & ordinem generum, formarum, & indiuiduorum.

De vtilitate operis.

Opinio Ludou. Viues.

LVdouicus Viues in initio lib. 3. de causis corruptarum disciplinarum putat fere nullius vtilitatis esse hanc disputationem de categoriis. Primo, quia illa est difficillima

1. Arg. ęgetque cognitione primæ philosophiæ, ad quam spectat de categoriis disputare. Secundò, quia si esset vti

2. Arg. lis maximè propter inueniendas rerum genera, & differentias, at his inueniendis nullius est vtilitatis: nā rerum differentiæ obscuræ sunt, & ad inueniendum difficillimę, atque ita vix vnam, aut alteram differentiam cognoscimus. Tertio, quia ad 3. Argū. rationem subiectorum, et attributorum, ad quæ potissime hæc disputatio potest reuocari, illa nullius est cōmodi, quia de subiectis et attributis disputare in libris de interpretatione accurate exprimitur ab Aristotele.

Hæ tamen rationes futiles sunt, neque propter illas commoueri debemus, quominus vberes fructus, & maximam vtilitatem huius operis asseramus, quare tenendum erit esse hanc disputationem maxime vtilem ad omnem partem philosophiæ assequendam, nam in ea continētur veluti quidam fontes à quibus quæcunq. pertractantur in disciplinis vberrime deriuantur. Præsertim autem vtilis est ad diffinien dum, diuidendum & argumentandum. Ad diffiniēdum quidem quia diffinitio essentialis genere constat & differentia, quæ petuntur ex eadem categoria. Ad diuidēdum quia diuisio essentialis vel est generis in species, vel generis in differentias, quæ omnia sub eadem categoria, cōtinentur, accidentaria vero constat ex rebus diuersarum categoriarum. Denique ad argumentandum quia argumentatio constat ex enunciationibus, enuntiatiōnes vero ex vocibus simplicibus, vnde categoriæ maxime proculdubio vtiles erunt ad argumentandum: quare & vtiles erunt ad totam dialecticam quæ in has tres partes est distributa.

Argumentis vero quæ in patroci nium sententię Viuis proposuimus haud difficile est respondere. Nam ad primum dicimus illam non esse difficilem vt traditur hoc loco ab Arist. qui communi quadam, & popu-

Ad 1. argumē.

pulari ratione de categoriis disputauit. Nec hæc tractatio est solius primi Philosophi, sed etiam est dialecti ci, vt postea in vltimo prolegomeno explicabimus, quamuis verum sit alio & alio consilio, vtrumque artificem agere de categoriis, vt ibi dem aperte satis constabit.

Ad 2. Ad secundum negāda est assumptio, nam quod rerum differentiæ sint occultæ, & vix nobis cognitæ, hoc non disputationi, sed imbecillitati nostri intellectus est tribuendum. Et quamuis differentiæ ignorētur à nobis, suppēditat tamē hæc tractatio rerum proprietates, quibus loco differentiarum vtimur.

Ad 3. Ad tertium respon. admittentes rationem subiecti, & attribu. in lib. de interpretatione explicari, verum qualitas attributorum non ab illo loco, sed e categoriis depromi debet. Nam esse aliquod attribu. essentiale, vel accidentarium, esse genus vel differentiam, ab hac disputatione postulatur: nam attributiones quæ fiunt inter attribu. & subiect. eiusdem categoriæ sunt essentiales, quæ vero fiunt inter subiecta, & attributa diuersarum categoriarum, sunt accidentariæ.

De ordine huius operis ad alias partes Dialecticæ.

2. Opin. REfert Simplicius in sua prefatione categoria. Adastrum, & Alexandrum Aphrodisęū putasse hunc lib. tradendum esse ante Topica, ita vt post illius explicationem statim subsequi debeat tracta. libro. Topi.

3. Arg. Quod primo confirmant, quia omnes fere diffinitiones, & exępla quibus vtitur in hoc opere Arist. ex lib.

4. Arg. Topicorum sunt petita. Secundo quia à facilioribus est exordiendū in dialectica, at categoriæ reconditæ sunt & maxime difficiles.

2. opinō. Simplicius tamen, Ammonius, Porph. Dexippus, Boetius B. Aiber. Mag. & omnes tum Arabes, tum Latini putant hanc tractationem primum sibi locum in dialectica vendicare. Quæ certe sententia verissima est, & confirmatur primo ex methodo ab Arist. in tradenda dialecti ca obseruata, quæ est compositionis, vt secti. 2. procemialium quæst. vlti. dedimus explicatum, quare cū iuxta hanc methodum à simplicioribus exordiri debeamus, & progredi deinde ad compositiora, in dialectica à simplicioribus erit auspicandum, cum igitur categoriæ sint partes omnium simplicissimæ, ab illis in dialectica debuit initium ducere Arist. Secundo quia hic liber non tantum est vtilis ad libros Topicorum, verumetiam ad lib. de interpræta. de priori, & posterio. analysi, si ergo propter vtilitatem quā præstant lib. tradi debent ante Topica, propter eandem rationem tradi debent ante libros de priori & posteriori analysi, & de interpretatione, atque ita primo loco in dialectica, debuerunt collocari. Iam ita argumentatur Simplicius. Post voces simplices agendum est illico de coniunctis, sed in hac disputatio. Categoria. explicantur voces simplices, & in lib. de interpreta. coniunctæ, vt sunt oratio, & enuntiatio, ergo post lib. Categoriarum, de lib. de interpretatione statim agendum erit, & non de aliis lib. Topico.

1. Arg.

Argu. vero quibus vtebatur Adastrus ita breuiter dissoluūtur. Ad primū respon. negando consequen. quia eadem ratione colligere possemus, tradendum esse ante primam philosophiam, cum plurima quæ in hoc opere explicantur, sint ab illa

Ad 1. argumen.

quæ

petita. Imo & colligere quoq. possumus iustitu Porphy. tradendas esse ante topica, quia maior pars earum ex lib. Top. est collecta.

Ad 2. Ad secundum respon. falsum esse semper esse à facilioribus inchoãdum, sed ab illis sine quibus reliquæ intelligi nequaquam possunt si enim à facilioribus esset semper inchoãdum, certe in scientiis tradẽdis non exordiremur à dialectica, cũ illa agat de obiecto maxime difficili, nimirum de ente rationis. Quare cum ea quæ tractantur in reliquis lib. probe intelligi nequeãt sine hac explicatione categoriarum ab illa (quamuis esset difficilis) erit exordiendum. Vt illud etiam addam categorias vt hoc loco explicantur ab Aristo. esse ad intelligendum satis per faciles, nam explicat illas populari, & communi ratione, ita vt sine difficultate possint ab omnibus cõparari.

De Methodo obseruata in hoc opere & illius partibus.

IN toto opere obseruat Arist. methodum cõpositionis sequutus enim ille morem Mathematicorum nonnulla præfatur tanquam fundamenta firmissima futuræ disputationis, vt diffinitiones synonymorum, homonymorum, paronymorum, præcepta quædam, & quasdam diuisiones. Deinde vero opus ipsũ aggreditur. Vnde à simplicioribus quibusdam initium sumens paulatim tendit ad compositiora, quæ est methodus cõpositionis. Alij hanc vocant methodum demonstrandi quia vt Mathematici ad suas diffinitiones conficiendas, vtuntur quibusdam diffinitionibus, postulatis, & nonnullis aliis, ita Arist. hanc methodum obseruans, in ingressus operis proponit homony. &c. diffinitionem. Cæterum in explicandis singulis categoriis fere semper amplectitur methodum soluendæ finitionis, nam statim in principio categoriæ tradit illius diffinitionem: interdum etiam vtitur methodo arbitraria, vt quãdo prius de categoria Relatorum quam de qualitate disputauit. Methodo siquidem naturæ agẽdum prius erat de qualitate, quę est fundamentum, & causa relationis, tamen propter nonnullas rationes, quas ibi proponemus, methodum arbitrariam sequutus, prius de relatis, quam de qualitate disputauit.

Diuisio operis.

Diuiditur totum opus in tres partes præcipuas, in antecategorias, categorias, & postcategorias, vel vt alij dicunt in anteprædicamenta, Prędicamenta, & postprędicamenta. In antecatego. tradit Arist. diffinitiones homonymo. Synonymo, & paronymorũ, nonnulla præcepta, & quasdam diuisiones. In categoriis seorsum, & sigillatim vniuscuiusque naturam declarat. In postcategoriis denique illa explicat quorum mentio facta fuerat in categoriis, vt quę vocentur contraria, quæ dicantur priora, quæ simul, qui sint modi habendi, & quo numero species motus cõtineantur.

Spectetne ad Dialecticum agere de Catego.

AD extremum in his prolegomenis explicandum erit num sit hæc disputatio Categoria. propria dialectici, & an proprio munere, vel potius ab alio artifice mutuato de illis

illis pertractet dialecticus alij sub isto titulo quæst. hanc proponunt sinte Catego. partes Logicæ necne? Et quidem non esse munus dialecti ci de illis disputare, his argu. possumus confirmare Primum. In catego

1. Arg. riis agimus de ente rei, sed dialecticus non disputat de ente rei, sed de ente rationis ergo categoriæ non erunt partes dialecticæ, seu ad Logicum nõ attinebit de categoriis disputare.

2 Argu. Secundum Dialectica eo est instituta vt dirigit intellectum in suis operationibus, atqui liber categoriarum non dirigit vllam operationẽ intellectus, ergo liber categoriarum non spectabit ad dialecticum. Confirmatur assumptio Tertia operatio intellectus dirigitur per argumentationem, de qua disputatur in lib. de priori, & posteriori anaylsi: secunda operatio dirigitur per enuntiationem, de qua agitur in lib. de interpreta. prima denique dirigitur per diffinitionem, de qua est sermo in peculiari tractatione distincta à tractatione categoriarũ: ergo cum non deatur plures operationes intellectus, nullaq. ipsarum dirigatur per tractationem categoriar. categoriæ non dirigent aliquam operationem intellectus.

3. Arg. Tertiũ. Si de categoriis agere esset munus dialectici, ex eo esset quia in illis traditur ratio subiecti, & attributi, categoria enim nihil aliud exprimit quam seriem subiectorum, & attributorum, sed de subiectis, & attributis instituitur disputatio in libris de interpretatione, ergo de categoriis agere nõ erit munus Diale.

4. Arg. Quartum. Si categoriæ essent necessarię dialectico, & ad ipsũ attinerent, vt partes, sequeretur nullũ esse ordinẽ in rebus diale. pertractãdis, at qui hoc dicere est absurdũ, igitur categoriæ non erunt partes dialecticæ. Confirmatur propositio. In notionibus dialecticis nõ datur prius, neque posterius, quia sunt quędam relationes in relationibus autẽ (cum sint illæ simul natura) non est vna prior, & altera posterior, at in ordine datur prius, & posterius, ergo in notionibus dialecticis nullus est ordo, & ex consequenti neque categoriæ erunt primæ partes.

5. Arg. Quintum. Dialectica tantum dirigit operationes intellectus secundũ formam, ergo tantum diriget primã eius operationem secundum formã subiecti, & attributi, generis, & speciei, atqui hæc secundum formam petuntur ab aliis libris dialecticis, vt genus & species à libro quinque vocum, subiectum vero & attributum à libris de interpretatione, vbi agimus de nominibus, & verbis igitur de categoriis disputare non erit munus dialectici.

1. Opin. In hac quæstione Ludouicus Viues lib. 3. de causis corrupt. disciplinarũ, Franciscus Patricius 9. lib. disputationum peripateticarum Balduinus quæstio 4. suæ Logicæ existimant (propter hæc & alia argumenta quæ proposuimus) categorias nõ esse partes intrinsecas dialecticæ, neq. spectare ad ipsum proprio munere de categoriis disputare. Eandem magna animi contentione sequutus est Antonius Bernar. Mirandu. in sua apologia de hac re ædita, qui cũ dialecticam à diffinitione nominis, & verbi auspicaretur, prætermissis categoriis, reprehensus fuisset à quibusdam, propter hanc causam, apologiam quandam satis diffusam (8. nimirum lib. distributam) in lucem emisit, in qua copiosissime multis argumẽtis, & auctoritatibus probare contendit, categorias non esse partes dialecticæ, & ob hanc rationem non ab illis, sed à libris de interpretatione, in quibus ratio nominis,

minis, verbi & orationis explicatur, iure optimo Dialecticam suam aggressum fuisse, hæc siquidem tractatio difficilis est, & quę captum superat Dialecticorum, & ad alium artificem nimirum Metaph. est referenda. Ex recentioribus quamplurimi hãc eandem sententiam amplectuntur.

2. Opin. At contra sentiunt omnes fere Peripatetici, Græci, Arabes, & Latini. Ex Græcis Alexander, Porphyrius, Simplicius, Ammonius, Dexippus, in suis ad categorias præfationibus, & D. Damascenus in sua Dialectica. Ex Latinis D. August. in suis categoriis to. 1. D. Tho. in præfatione librorum de interpreta. B. Alber. Magnus tract. 1. Categoria. Seuerinus Boëtius: & ex recentioribus Caietanus, Louani. Soto, Villalpandus, Toletus, & innumeri alij quos molestũ esset recensere: ex Arabibus, Auerroes, Auicenna, Alpharabius, & Algazel qui omnes vno ore profitentur categoriarum disputationẽ esse Dialecticam, & categorias esse veras, legitimas, & intrinsecas partes Dialecticæ.

2. Obseruatio. Hanc igitur sententiam tanquam veriorem, vt explicemus, animaduertẽdum est primò categorias posse sumi duobus modis, primò, vt ab illis colliguntur rerum essentiæ, & naturæ, iam à categoria substantię petitur essentia hominis, & à categoria qualitatis essentia albedinis, secundo ea ratione qua denotant seriem, & coordinationem subiectorum, & attributorum, generum, formarum, & indiuiduorum.

2. Obserua. Secundo animaduertendum est esse duo genera partium, nam quædam sunt partes intrinsecæ, & aliæ extrinsecæ. Intrinsecæ vocãtur quę versantur in eodem obiecto formali, in quo totum versatur, vt libri de cœlo, de ortu, & interitu vocantur partes intrinsecæ philosophiæ naturæ, quia agunt de ente mobili, quod est obiectum formale totius philosophiæ naturę. Extrinsecæ vero sunt illæ quæ non versantur in eodem obiecto formali, multum tamen conducunt ad opus ipsum intelligendum, vt Dialecticam vocare possumus partem extrinsecã philosophiæ naturæ, quia quamuis nõ agat de eodem obiecto formali, multum tamen confert ad philosophiã naturæ consequendam. Vnde cùm sint hæc duo genera partium auctores primæ opinionis existimant categorias esse partes extrinsecas Dialecticæ, eo quod multum illæ conferunt ad intelligendam Dialecticam. Alij vero secundæ opinionis ècontra existimant categorias esse partes intrisecas Dialecticæ. Quibus animaduersis sit prima conclusio.

1. Conc. Tractatio categoriarum est metaphysica, vnde ex proprio munere & officio primus Philosopus agit de categoriis, ita enim profitetur Arist. 4. lib. metaphy. cap. 2. & 5. lib. cap. 7. diuidit ens in decem categorias, de quibus in eodem lib. disputat accuratissimé, & tam lib. 7. quam 8. agit luculenter de substantia, lib. vero 10. disputat de mensura, quę est proprietas quantitatis, & contrarietate quæ proprie intercedit tantum inter qualitates. Confirmatur præterea agere de rerum essentiis spectat ad Metaphysi. sed in categoriis proponuntur rerum omnium essentiæ. ergo agere de categoriis spectabit ad Metaphysicum.

2. Conc. Secunda conclu. Categoriæ sunt partes intrinsecæ Dialecticæ, & tractatio categoria. est vere Dialectica. Confirmatur aduersus Mirandulanum, Viuem, Patricium, & alios, iis argumentis. Primũ est. Illa est pars intrinseca alicuius operis, quæ versatur in eodem obiecto formali totius, sed tractatio categoriarum versatur

satur in eodem obiecto formali totius Dialecticæ, versatur enim in subiectis, & attributis, in notionibus secundis, quæ sunt formale subiectum, & adæquatum totius Dialecticæ, ergo tractatio categoriarum erit pars intrinseca Dialecticæ. Secundum argum. Arist. in tradenda Dialectica obseruauit methodum compositionis, ergo exordiri debuerat a partibus simplicioribus, sed categoriæ sunt partes omnium simplicissimæ, agũt enim de generibus supremis, ergo exordiendũ erit in Dialectica à categoriis tanquam à partibus, & ita categoriæ sunt partes Dialecticæ. Confirmatur hoc argumentum vnumquodque ex iis tanquam ex partibus componitur in quæ resoluitur, sed syllogismus (de quo tãquam de obiecto præcipuo agit Dialecticus) resoluitur in enũciationes, enunciationes in voces simplices, voces simplices à categoriis petuntur, ergo categoriæ erunt partes Dialecticæ. Tertium argu. Dialectica eo est instituta, vt dirigat operationes intellectus, sed prima quæ est simplicium aprehensio non potest dirigi, nisi per tractationem categoriarum (nam tertia dirigitur per argumentationem, secunda vero per enuntiationem) ergo tractatio categoriarũ erit pars intrinseca dialecticæ. Confirmatur assumptio. Prima operatio intellectus est simplicium apprehẽsio, ergo debet dirigi per res simplices, sed res simplices pertractantur in categoriis, ergo categoriæ dirigẽt primam operationem intellectus.

Solutio. Aduersarij respondent primam operationem intellectus non dirigi à tractatione categoriarum, sed à tractatione diffiniendi, quæ cum exprimat essentiam simplicem, diriget quoque primam operationem intellectus quæ est simplex.

Confut. Hanc tamẽ solutionem ita reijcimus, si diffinitio dirigit primam operationem intellectus, ergo cum partes diffinitionis petẽdæ sint á categoriis, vt sunt genus & differentia, maiori iure categoriæ dirigent primam operationem intellectus. Quartum argumẽ. Quidquid est causa causæ est causa effectus, sed categoriæ sunt regulæ diffinitionum, ergo erunt quoque regulæ primæ operationis intellectus, quę dirigitur per diffinitiones. Confirmatur assumptio. In primis ad diffinitiones essentiales rerum inueniendas progredi debemus beneficio diuisionis per rectam seriẽ Categoriæ diuidentes genera intermedia per differentias quoadusque deueniamus ad vltimam differentiam rei diffiniendæ: præterea diffinitio essentialis constat genere, & differentia quæ peti debent ex eadẽ categoria, accidentaria vero constat genere, & proprietate, vel multorũ accidentium collectione quæ petuntur ex diuersis categoriis, regula igitur diffiniendi peti debet à categoris, ac proinde categoriæ partes erũt intrinsece dialecticæ. Iam in dialectica agimus de enunciationibus, quæ vel sunt in materia necessaria aut contingenti, aut impossibili, at omnia hæc ex categoriis sunt haurienda: nam illæ enunciationes sunt in materia necessaria quorum subiectum & attributum intra seriem eiusdem categoriæ continentur, & illæ in materia contingenti quarum subiectum & attributum intra ambitum diuersarum categoriarũ sunt comprehensa, ergo categoriæ partes erunt intrinsece dialecticæ.

3. Conc. Tertia conclusio. Quamuis vterque artifex metaphy. & dialecticus disputent de categoriis, alio tamen & alio consilio de eis pertractant: nã dialecticus agit cognitionem earũ ad notiones subiecti, & attributi, generis, & speciei referendo, metaphy.

vero vt rerum quidditates ex illis posset colligere. Hanc non est cur in hoc loco confir. cum iam supra in his prolegomenis illam exposuerimus.

Ad 1. argum. Iam ad argumententa, ad primũ respon. Dialecticum etiam agere de ente rei, non quidem vt sistat in illius cognitione, sed vt progrediatur vlterius ad efformandas secundas notiones, vnde quamuis agat de categoriis quæ sunt entia rei non tamen ibi sistit, sed refert huiusmodi cognitionem ad notionem subiecti & attributi, generis, speciei, & indiuidui. In qua re maxime separatur dialecticus à metaphy. circa tractationem categoriarum, eoquod metaphy. agit de categoriis sistendo in earum cognitione: dialecticus vero disputat de illis non in earum cognitione sistendo, sed progrediendo ad secundas notiones.

Ad 2. Ad secundum quidam respon. nõ esse necesse vt omnes partes dialecticæ dirigant operationem aliquã intellectus, sed sat esse vt aliquæ ex illis eas dirigant, & ita quamuis categoriæ non dirigant aliquam operationem intellectus non proinde reiicienda erunt à tractatione dialectica, præsertim quæ cum versentur in eodem obiecto formali in quo versatur dialectica. Respondemus tamen alio modo negantes assumptionem, nam categoriæ dirigunt primam operationem intellectus, nam quamuis illa dirigatur à diffinitione tanquam à principio proximo, & immediato, quod nos libenter concedimus (tantum abest, vt diffiteamur) dirigitur tamen à categoriis tanquam à primo principio, eo quod diffinitiones hauriendæ sunt à Categoriis.

Ad 3. Ad tertium respon. nos posse loqui de subiectis, & attributis duob⁹ modis, primo de naturis quæ subiiciuntur, & prædicantur, ea ratione qua sunt affectæ notionibus: secundo vero modo pro nominibus, & vocibus significantibus naturam subiectorum, & atttributorum. Si primo modo agamus petuntur quidem illa à categoriis: si vero secundo modo à libris de interpretatione illa petenda erunt, in quibus agimus de nominibus, & vocibus significantibus.

Ad 4. Ad quartum respon. notiones dialecticas posse sumi duobus modis, primo vt denominant notiones primas, secundo vero vt referuntur ad suos terminos. Si sumantur primo modo non sunt notiones simul natura, sed illa est prior quæ denominat naturam priorem, & illa est posterior quæ denominat naturam posteriorem, si autem secundo modo sumantur sunt illæ simul natura: at à Dialectico non hoc secundo modo, sed primo explicantur, vnde & ea ratione pertractantur qua interse ordinem aliquem prioris, & posterioris obtinent.

Ad 5. Ad quintum respond. falsam esse propositionem, non enim notio generis & speciei, subiecti, & attributi in abstracto sumpta dirigit primam operationem intellectus, sed applicata alicui naturæ, vt animalis, v.g. vel hominis, nam notiones secundæ abstractæ non tractantur à Dialectico, sed à Metaph. applicatæ vero, vel vt denominant considerantur à Dialectico, vt docuimus in quæstionibus procemialibus agentes de obiecto Dialecticæ. Et ita cum naturæ denominatæ genera & species petendæ sint à categoriis erunt illæ omnino necessariæ ad dirigendam primam operationem intellectus. Maximeque miramur quosdam discipulos D. Thom negare categorias esse partes Dialecticæ, & dirigere primam operationem intellectus cum D. Thoma in præfationibus lib. de interpretatio. & de demõstra. expresse fateatur categorias dirigere primam operationem intellectus.

Commentaria in Antecategorias Aristotelis.

De homonymis caput primum.

ARGVMENTVM. CAP.

IN hoc capite solam homonymorum proponit diffinitionem quã accurate exemplis quibusdã in medium propositis illustrat.

A HOmonyma quæ vulgò æquiuoca dicuntur, quorum nomen solum commune est, definitio autem essentiæ ad id nomẽ accommodata, alia atque alia. Vt animal, id quod homo est, & depictum animal. Hæc enim nominis tantummodo societate coniuncta, definitione ea quæ essentiam eorum in hoc nomine explicat, differunt. Si quis enim explicet quid sit utrumque eorum, quâ animalia sunt, utriusque propriam constituet definitionem.

COMMENTARIA.

MAthematicorum morem sequutus Arist. nonnulla prius ante ipsas categorias proponit, quæ ad illas intelligendas sunt prorsus, & absolute necessaria, vt sunt diffinitiones homonymorum, synonymorũ, & paronymorum, quasdam leges, & nonnullas diuisiones. Auspicatur vero à diffinitione homonymorũ, quam his verbis proponit.

A *Homonyma quæ vulgo æquiuoca dicũtur.* &c. Homonyma dicũtur, quorũ solum nomen est commune, diffinitio autem essentiæ ad id nomen accommodata alia, atque alia. In qua oratione, in prima parte, homonyma dicuntur, continetur diffinitũ: in secunda vero diffinitio. In prima igitur parte inquit homonyma dicuntur in numero plurali, quia vna res non potest dici homonyma per se sumpta, nisi cum alia nominis cõmunionem habuerit. Præterea non inquit homonyma sunt, sed dicuntur, quia res vt sunt à parte rei non sunt homonymæ, sed vt dicuntur nominibus, & vocibus declarantur. Et hæc particula exprimit rem diffinitam, oratio vero sequens. *Quorum solum nomen, &c.* est diffinitio in qua sex particulæ comprehenduntur, nã sub prima. *Quorum solum nomen est commune*, tres particulæ continentur, quæ explicant illud in quo homonyma conueniunt: sub alia vero quæ est, *Diffinitio autem ad id nomen*

Universidad de Deusto
Biblioteca

accommodata alia atque alia. Tres quoque alias cõtinet, in quibus illa quibus inter se homonyma separãtur, exprimuntur. Prima ergo particula est, quorum nomen, vbi per nomẽ non intelligimus partem illam orationis, quæ distinguitur à verbo, sed omnem dictionem significantem eo modo quo loquutus est Arist. in li. de interpretatione cap. 3. vbi inquit verba, si per se proferantur nomina sunt, nam in verbis, & nominibus datur homonymia, nam sicut hoc nomen canis, significat homonymè cœlestem, marinum, & terrestrem: sic hoc verbum fero, significat homonymè hoc quod est portare aliquod pondus, & sustinere iniuriam. Secunda particula est solum, quæ significat idem, quod nullam aliam præter nominis communionem, cũ alio habere, etenim in homonymis, vt nomine homonymo declarãtur, nulla est alia quam nominis vnitas & communio. Tertia particula est commune, quæ significat idẽ quod indiuisum manens multis posse accommodari, qua ratione dicimus vocem à magistro prolatam communem esse omnibus discipulis, quia vna & eadem indiuisa manens percipitur ab illis, nam vox homonyma manens indiuisa omnibus suis significatis accommodatur. Hæ tres particulæ explicant illud in quo homonyma conueniunt, quæ vero sequuntur explicant illud in quo inter se separantur. Quarta igitur est diffinitio quæ significat naturam per diffinitionem explicatam in homony debere esse diuersam. Quinta est essentiæ vel substantiæ, quod nomen non sumitur pro substantia vt est diuisa contra accidẽs, sed pro attributis essentialibus, vel pro quodquid esset: nam substantiam inter alia hoc significare auctor est Arist. 7. metaphy cap. 3. vltima particula est Nomini accommodata alia, atque alia, quæ quidem exprimit homonyma optime posse rationem aliquam obtinere essentię communem iuxta aliud nomen, cæterũ ratio accommodata nomini homonymo est alia, atq. alia, vt quamuis canis domesticus, & marinus iuxta nomen animalis possint habere rationem communem, tamen iuxta nomẽ canis, quod est homonymũ, nullam rationem communem possunt obtinere.

Scholia in Caput de homonymis.

1. Obserua.

A 1. Vt ea quæ de homonymis ab Arist. explicata fuerunt facilius intelligi queant, erunt nonnulla paulo altius repetito principio proponenda. Rerum igitur quæ vocibus exprimuntur quædam significantur nominibus, & aliæ diffinitionibus, vt homo exprimitur per hanc vocem homo, & per hanc diffinitionem animal particeps rationis. Per nomina res confuse significantur, per diffinitiones vero aperte, & manifeste. Nomina possunt esse multis communia, vt hoc nomen homo commune est homini viuo, & picto, diffinitiones vero non possunt multis conuenire, sed vni rei diffinitæ, vt animal particeps rationis soli homini viuo competit. Ex hac ergo significatione rerum per nomina & diffinitiones, oriuntur genera homonymorum, synonymorum, & paronymorum, nam si nomen est commune, diffinitio vero fuerit multi, lex & diuersa, erunt homonyma, vt hoc nomen canis, est homonymum quia solum nomen est commune cani domestico, cælesti, & marino, diffinitio autem est diuersa. Si vero fuerit eadem diffinitio, nomina vero fuerint multa & diuersa dicuntur multiuoca, vel à Græcis Polyonima, vt sunt hæc nomina rationale mortale, & homo, nam sunt nomina diuersa, est autẽ vna & eadem diffinitio significata per illa scilicet, diffinitio hominis. Si vero fuerit idem nomen & eadẽ diffinitio dicuntur synonyma, vt animal quod effertur de homine & equo eodem nomine, & eadem ratione siue diffinitione. Si vero tam diffinitio quam nomen fuerint diuersa dicuntur illa diuersiuoca, à Græcis dicta ætheronyma, vt sunt cœlum, & homo. Denique si nomina, & diffinitiones partim fuerint eadem, & partim diuersa, dicuntur paronima, vel denominatiua, vt Grammatica, & Grammaticus. Ex his synonyma vocantur à Latinis vniuoca, homonyma vero æquiuoca: homonymis opponuntur multiuoca, nam in homonymis nomen est commune, ratio vero est diuersa: in multiuocis vero ratio est eadem, nomina vero sunt diuersa. Synonymis vero opponuntur diuersiuoca nam in homonymis nomen, & ratio sunt communia, in diuersiuocis vero tam nomen quam diffinitio sunt diuersa. Ex his ergo quinque generibus nominum tantum agit Arist. de homonymis, synonymis, & paronymis propter has causas, prima est. Quia in categoriis tãtũ facit Arist. mentionẽ horũ triũ.

2. Causa

Secunda quia homonyma sunt reiicienda à categoriis, & synonyma sunt in illis collocanda, categoriæ vero accidentium prædicantur paronyme, vel denominatiue de categoria substantiæ.

3. Causa

Tertia est D Alber. Mag. tract. 1. in catego. c. 2. quia scilicet categoriæ de quibus in hoc opere est instituta disputatio, vel referuntur ad superiora vt ad ens, & sic continentur sub homonymis, quia ens homonymum est ad decẽ categorias, vel referuntur ad inferiora vt substantia ad corpus, corpus animatum, animal, & hominem, & tunc continentur sub synonymis, vel referuntur ad subiectum quod denominant, & ita continentur sub paronymis, vel denominatiuis. Vnde æquum fuit de his tribus scilicet homonymis, synonymis, & paronymis seu denominatiuis, sermonem instituere.

Cæterum ob quam causam prætermissa fuerunt ab Arist. multiuoca, & diuersiuoca dubitant interpretes, nos huius rei possumus has rationes proferre. Prima est tradita ab Ammonio, & Simplicio quia duo hæc ex cognitione synonymorum, & homony. facile possunt intelligi, nam cognito vno contrario facillimum est alterum intelligere, & ita cum multiuoca contrarientur homonymis, & diuersiuoca synonymis ex cognitione homonymorum & synonymorum facile possumus cognoscerere multiuoca, & diuersiuoca. Secunda est Sirani quia institutum Arist. in hoc opere est tradere quæ possunt conducere ad categorias contemplandas, & ad considerandas rerum naturas, at vero multiuoca, & diuersiuoca cum sint multa nomina potius spectant ad ornandam & amplificandam orationem quam ad rerum naturas inuestigandas, & ita sunt prætermissa ab Arist. tanquam propria Oratoribus & minus accommodata Dialecticis. Exorditur autẽ disputationem ab homonymis vel quia sunt simpliciora cum in illis nomen tantummodo sit commune, vel quia cum sit acturus de decem categoriis de quibus ens dicitur homonimos, ab homonimis disputationem aggredi satius iudicauit.

1. Ratio

2. Ratio

2. Obserua. A 2. Adnotant Ammonius, & Simplicius homonyma ita esse diuidenda. Vt homonyma quædam sint à casu, & alia a consilio. Homonyma a casu dicuntur illa quorum nomē est commune casu, & fortuito, vt hoc nomen taurus dictum de monte tauro, & de animali tauro. Homonyma vero a consilio dicuntur illa quorum nomen est commune adhibito cōsilio, & deliberatione, vt hoc nomen homo est homonymum àcōsilio vt dicitur de homine viuo & picto, nā quia homo pictus est quædam imago viui propterea est illi hoc nomen inditum, quia imagines rerum ornantur eisdem nominibus quibus & res ipsæ. Præterea homonima a consilio sunt distributa in quinque partes, nam quædam dicūtur homonyma propter memoriā, alia propter spem, alia propter analogiam, & alia ab vno, & tandem alia ad vnum. Homonyma propter memoriam sunt illa quæ significāt plura propter aliquam memoriam, vt hoc nomen Carolus quod dicitur de filio propter nomen aui. Homonyma propterspē dicuntur quando nomen plura significat propter aliquam spem, vt si quis speret filium suum euasurum in maximum Philosophum, & ornet eum nomine isto, Aristoteles. Homonyma propter analogiam, & proportionem sunt illa quorum nomen est commune propter aliquam analogiam vt hoc nomen pes quod de pede scāni & pede hominis dicitur, quia quam habitudinem obseruat pes hominis ad hominem, eandem habet pes scamni ad scamnum. Homonyma ab vno sunt illa quorum nomen est commune, prout deriuantur ab aliquo vno principio, vt Medicinam dicimus librum, instrumenta, & hominem artis medicæ peritum, ea ratione qua deriuantur ab vna medicina. Tandem quædā sunt homonyma ad vnum ea s, ratione, qua referuntur ad vnum finem, & scopum, vt sunt vrina sana, & medicina sana, & animal sanum, nam hæc omnia dicuntur sana propter vnam sanitatem animalis.

A 3. Homonymia & in vocibus ac nominibus, & etiam in rebus ipsis reperitur nam hoc nomen canis est homonymum, res quoquæ significatæ, vt canis cælestis, terrestris, & marinus sunt homonymæ. Voces homonymæ dicuntur à græcis homonyma homonymantia, à Latinis autem æquiuoca æquiuocantia: res vero homonymæ dicuntur ab his æquiuoca æquiuocata, ab illis autē homonyma homonymata. Et idē iudicium est de synonymis. Nomina enim synonymanti a vel vniuocantia dicuntur: res vero ipsæ synonymata, vel vniuoca vniuocata nominantur, ex his ergo homonymis tantum sunt diffinita illæ quæ sunt homonymata, nam diffinita sunt in numero plurali at homonymaho monymantia non sunt multa, sed vnica simplex vox diuersis significationibus affecta. 3. Obseruatio.

A. 4. Circa particulam illam solū annotant Ammonius, Porphy. & Dexippus illam sumi aliquando pro eo quod est vnum, vt quando dicimus esse solum mundum, ideſt, vnum mundum. Sumi deinde pro eo quod est diuisum ab altero eiusdem naturę, qua ratione dicimus Socratem habere solum pallium, ideſt, non habere aliam vestem præter pallium. In qua significatione sumitur hoc loco dictio solum, quia homonyma præter nomen nihil aliud habent commune. 4. Obseruat.

A 5. Vox illa commune, vt interpretantur Porphy. Dexippus, Ammonius, Simplicius, & Boetius sumi potest quatuor modis. Nam primo com- 5. obseruatio.

commune dicitur aliquid per distributionem, vt dicimus commune prandium, quia distribuitur in multos homines. Secundo dicitur aliquid commune propter vsum, eo quod vna, & eadem re, multi vtantur diuersis temporibus, qua ratione seruum, & equum dicimus communia. Tertio vocatur commune illud quod antea erat proprium, deinde per recessum fit multis commune, qua ratione dicimus theatrum commune. Quarto dicitur commune illud quod indiuisum remanens potest multis accommodari, qua ratione dicimus vnam & eandem vocē magistri esse communem omnibus discipulis, quia eadem manens indiuisa percipitur ab omnibus illis. Cum ergo sint huius nominis quatuor significationes sumitur ab Arist. in postrema significatione, nā eadem vox homonyma indiuisa manens significat omnia sua significata, & ita est communis per indiuisionem omnibus illis.

6. Obserua. A. 6. Porphy. & Boetius vocem illam, diffinitio, interpretātur per rationem quæ quidem Particula aliquando significat argumentationē, aliquando intellectum ratiocinantem, & aliquando naturam & essentiam rei. Et ita in hoc loco per rationem intelligimus naturam & essentiam, vnde sensus erit in homonymis natura & essentia nomini accōmodata debet esse diuersa. Nā quod quidam per naturam intelligūt diffinitionem si de ea proprie agant, errant vehementer, quia cum neque genera suprema, neq. singularia obtineant essentialem diffinitionem, in illis non daretur homonymia, quod tamen est falsum.

QVAEST. VNICA. SINT ne uera quæ sunt tradita ab Arist. de homonymis.

EX veteribus Philosophis multi obiectiones varias aduersus ea quæ traduntur ab Arist. in hoc opere categoriarum proposuerunt, quæ erunt a nobis suis locis dissoluendæ, & ita sit primum argumentum aduersus diffinitionē homonymorum. Quæ diffiniuntur significant vnam aliquam naturam, quia diffinitio est vna oratio, sed homonyma non significant vnam aliquam naturam, sed multas, ergo homonyma nulla ratione possunt diffiniri. 1. argu.

Secundum. Quæ habent idem nomen & eandem rationem sunt synonyma, sed homonymahabent idem nomen, & eandem rationem, quia nomen homonymū commune est omnibus homonymis, præterea ratio vel diffinitio communis est omnibus illis, ergo homonyma sunt synonyma: 2. Arg.

Tertium. Nomen est signum & nota alicuius rei, ergo vbi erunt varia signa, & notæ erunt varia nomina, sed in voce aliqua homonyma dantur multæ significationes, ergo in homonymis non erit vnum nomen, sed multa. 3. Arg.

Præterea in verbis datur æquiuocatio, sicut & in nominibus, sed verba non sunt nomina, ergo non rectè dictum est ab Arist. quorum nomen est commune, sed quorum nomen vel verbum est commune. 4. argu.

Adhæc. In accidentibus datur homonymia, nam hoc nomen candidum, qūod est nomen accidentis, significat homonyme candorem albedinis, & vocis, dicimus enim candidam vocem, sicut & candidum parietem, sed in accidentibus non datur ratio substantiæ, quia accidentia non sunt substantiæ, ergo non rectè dictum est in diffinitione, ratio vero substantiæ, &c. 5. Argu.

Iam. Nomen homonymum si per se proferatur, nihil significat, si vero pro- 6. Arg.

ro proferatur cum aliquo addito est synonymum,non ergo datur nomẽ aliquod homonymum. Consimatur antecedens.Hoc nomen canis si per se proferatur non significat canem domesticum, nam possum ego intelligere marinum:si vero proferatur cum hoc addito domesticus, est nomen synonymum, nam canis domesticus prædicatur synonyme de hoc & illo cane domestico.

7. Arg. Iterũ.Omnia genera prædicãtur. homonyme de suis inferioribus,nã iuxta genera latent multæ æquiuocationes auctore Arist.7. Physi.c.4. sed genera eodem nomine,& eadem ratione prædicantur de suis speciebus,ergo homonyma eadem ratione dicentur de suis significatis.

His & aliis huiꝰ generis arg. Nicostratꝰ & eius sectatores,vt auctor est Simplic. aduersus hanc diffinitionẽ homonymorum,tanquã vitiosam, & minus recte traditam argumentabantur.Illis tñ eruditè idem Simpl. Ammo. Dexip. in qq. & Porphy. in interrog.occurrerunt, quorum doctrinam imitati,eisdem in hunc modum sigillatim,& seorsum satisfaciAd 1. argum. mus. Ad 1.resp distinguendo assumptio.quia homonyma sumi possunt materialiter,vel formaliter,i. vel ꝓ ipsis rebus homonymis, vel pro notione homonymorum.Si primo modo sumantur nulla ratione possunt homonyma diffiniri, nam canis cœlestis domesticus,& marinus,vthoc nomine significantur, non possunt habere cõem vnam aliquam significationem,aut naturam. Si vero secundo modo vsurpentur,significãt vnam aliquam naturam,possuntq. optime diffiniri,nam in hac diffinitione quemadmodum & in aliis diffinitionibus Logicis,diffinitum est secunda notio.

Ad 2. Ad 2.respondent Ammo.Simpli. Porph.& Dexip. distinguẽtes assũsump. vt distinxim' in superiori solu.nam si loquamur dehomonymis materialiter falsa est assumptio.carent quippe illa ratione aliqua sibi cõi. Quod si de eisdẽ loquamur formaliter, vel pro notione homonymorum vera est assumptio,quia notio homonymorum synonyma est, neq. n. est vllum absurdum vnam, & eandem rem diuersa ratione sumptam esse homonymam,& synonymam,&ita homonyma materialiter sumpta erunt homonyma,formaliter aũt vsurpata synon.vocabũtur.

Ad 3.resp. negando conseq. quia in rebus cõstitutis ex materia & forAd. 3. ma, distinctio non petitur à forma, sed á materia, vt docuit Arist.1.lib. de cœlo c.9. & ita cum in nomine reperiatur materia & forma(nam materia est vox ex Arist. 5.lib. de gene. animal. c.7. forma vero est significatio)distinctio nominis nõ petitur à significatione quæ est forma, sed à materia quæ est vox.Vnde quamuis in voce homonyma dentur multæ significationes,non erunt multa nomina, sed vnũ tantum quia vox tantum est vna.

Ad 4.respõ.nomen eo loco sumi Ad 4. pro qualibet dictione significante, quæ etiam complectitur verba, vt exposuimus in explicatione diffinitionis homony. supra tradita.

Ad 5.resp cum Ammo. substantiam aliquando significare apudAd 5. Arist.quidquid non est accidens,et aliquando essentiam & naturam rei, vt constare potest ex Arist.5.Metap. c.8,& 7.li.c.3.vnde si sumatur substantia in prima significatione,accidentia non sunt substantiæ,si vero sumatur in secunda significatione, accidentia dicuntur substantiæ,habent enim suam naturam, et essentiam,et in hac secunda significatione sẽmitur ratio substantiæ in proposita diffinitione, ac si diceremus aper-

apertius,ratio vero substantiæ,i.natura et essentia est diuersa. Quamuis non desint ex veteribus , vt Boetus Græcus, & Andronicus auctore Simplicio qui existiment particulam illam substantiæ esse extra textum,neq. fuisse propositam ab Arist.sed ab aliquo alio peripatetico: verum omnes alii particulam hanc & legunt & tanquam ab Aris. propositam retinent.

Ad 6. Ad sextum respon. nomen homomonymum absolute prolatum esse homonymum. Ad argumentum ergo quando ita dicimus nomen homonymum per se prolatum nihil significat,negandum erit,quia ipsum absolute prolatum significat omnia sua significata,& non vnum vel alterum tantum , vt nomen canis si per se proferatur significat tres canes,& non tantum cælestem, domesticum,aut marinum.

Ad 7. Ad septimum respon. duplicem esse homonymiam vnam physicã, & alteram dialecticam. Physica dicitur vnitas naturæ, quæ dispari ratione obtinetur a suis inferioribus,eo quod in vno illorum perfectiori modo quam in altero contineatur. Homonyma autem dialectica sunt illa quę habent idem nomẽ, & diuersam rationem essentialem. Vnde vna & eadem aliqua natura dici poterit homonyma physice, & synonyma dialectice vt sunt omnia genera. Quando ergo Arist. docuit iuxta genera esse homonymiã non est loquutus de homonymia dialectica,quæ est propria homonymia,sed de physica eo quod genus nobiliori modo reperiatur in vna specie,quam in alia,vt animal nobiliori modo reperitur in homine, quam in equo.

Caput 2. de Synonymis.

ARGVMENTVM CAPITIS.

QVemadmodum in superiori capite vnicam tantum definitionem homonymorum proposuerat, ita et in hoc alio solam diffinitionẽ synonymorum tradit, quam exemplo satis accommodato, animalis, illustrat.

SYnonyma autem, quæ uulgò uniuoca dicuntur, quorum & nomen commune est,& eadem nomini attributa essentiæ definitio , ut animal,id quod homo est,& id quod est bos.Nam & animal communi nomine eorum utrumque appellatur , & eadem est quæ essentiam explicat,definitio. Etenim si quis tradat definitionem quæ quid sit utrunque,quatenus animalia sunt,explicet, certè eãdem attribuet utrique.

COMMENTARIA.

ALteram diffinitionẽ ex ijs quas in Antecategoriis tradere instituebat Arist. ,synonymorum nimirum in hoc loco proponit: Ea sic se habet. Synonyma sunt,quorum nomen est commune,& eadem nomini attributa essentiæ diffinitio , vt animal est synonymum ad hominẽ & bouem quia & nomen animalis

est vtrique commune, & ratio illius quæ est esse substantiam corpoream animatam sentientem, de vtroque etiam prædicatur. In qua diffinitione prima particula est, dicũtur, quę indicat in rebus ipsis, vt sunt à parte rei, nõ reperiri synonymiam, sed ea ratione, qua nominibus, & vocibus quibusdam declarantur, eo modo, quo eandem particulam in diffinitione homonymorum exposuimus. Quæ particula continet rẽ diffinitam, reliquæ quæ sequuntur explicant illius diffinitionem, nam secunda est, *Quorum nomen est commune*, in qua re conueniũt illa cum homonymis, nam commune est vtrisque habere vocem communem: separantur tamen à multiuocis, vel polionymis, quæ quamuis vnam & eandem naturam obtineant, diuersis tamen nominibus illam significant, vt sunt hæc nomina vestis, & indumentum, gladius, & ensis. Tertia est, *& eadem nomini attributa essentiæ diffinitio*, quæ indicat in synonymis non tantum nomen, verum etiam & essentiam debere esse communem. Per quam particulã ab homonymis separantur, quia in illis ratio est multiplex & diuersa in synonymis vero est vna, & eadem. Itaq. synonyma non omnino opponuntur homonymis, cum habeant cum eis commune habere nomen vnũ et idẽ: opponũtur vero ætheronymis, vel diuersiuocis, quia in synonymis vtrumque est commune, & nomen & diffinitio, in ætheronymis vero, & ratio, & nomen distinguuntur, vt iam supra exposuimus.

Scholia in caput secũdum de Synonymis.

A 1. Oratores, & Poëtæ alio modo sumunt synonyma, quam Philosophi, nam Rhetores, & Poëtæ synonyma vocant ea quæ dicta sunt à nobis multiuoca, scilicet multa nomina eandem naturam significantia, vt gladius et ensis, vestis, et indumentum: at vero Philosophi synonyma ea vocant, quorum nomen est commune, et ratio substantiæ nomini accommodata vna est, et eadem. Obser. 1.

A 2. Simplicius ob duas rationes inquit esse institutam synonymorum tractationem ab Aristo. Prima est, vt intelligamus genera attributionum, quæ fiunt in categoriis, tantùm enim possunt naturæ synonymæ prædicari de synonymis. Secunda est vt intelligamus quænam contineantur sub eadem categoria, quia homonyma possunt in diuersis categoriis collocari, at synonyma omnia sunt ad vnam, et eandem categoriam reuocanda. Obser. 2.

A 3. Tria discrimina inter synonyma, et homonyma interueniunt. Prima est in homonymis ratio substantiæ est multiplex, in synonymis vero est vna, et eadem. Secundum est quia nomen homonymum significat multas naturas, vt hoc nomen canis, significat canem cœlestem, domesticum, et marinum, at nomina synonyma significant vnam, et eandem naturam, vt hoc nomen animal significat tantum naturam sentientem. Tertium est homonyma recipiunt contradictionem, vt hoc nomen homo, quod dicitur de homine viuo, et picto recipit contradictionem, dicimus enim hominem pictum esse hominem, et non esse hominem, nam est homo pictus, et nõ est homo viuus: at vero nomina synonyma non recipiunt cõtradictionem, vt hoc nomen animal quod effertur de homine, et boue, non recipit Obser. 3.

cipit contradictionem, non enim dicimus hominem esse animal, et non esse animal.

A 4. Triplex est synonymia physica, Logica, & metaphysica. Physica est vnitas naturæ quæ in multis exæquo reperitur, quæ sola in speciebus infimis inueniri potest, nam genera non possunt ex æquo à suis inferioribus participari, idque propter differentiarum inæqualitatem quæ ipsa ad certas & diffinitas species coercent. Metaphysica dicitur vnitas naturæ abstractæ à differentiis, & proprietatibus indiuiduantibus, absque eo quod in ea contemplemur notionem aliquam secundam vt natura humana abstracta à proprietatibus, & differentiis contrahentibus Petri, vel Ioannis, absque eo quod in ea contemplemur notionem speciei est synonyma synonymia metaphysica. Synonymia vero Logica illa est, quæ significat vnitatem naturæ multis communem, vt afficitur aliqua notione secunda qua ratione eadem natura humana vt afficitur notione secunda speciei, vel attributi, est natura synonyma synonymia Logica. Obser. 4.

A 5. Illud etiam non erit tradendum obliuioni duplicem esse synonymiam logicam, vnam essentialẽ, & alterã accidentariã. Essentialis est quando nomen est commune, & ratio quoque nomini accommodata est communis, diciturque secundũ essentiam de iis de quibus dicitur. Accidentaria vero est illa quãdo nomen est commune, & ratio quoque nomini accõmodata est cõmunis, non tamen dicitur secundum essentiam de iis de quibus dicitur. Primo genere synonymiæ tres voces prædicabiles genus species, & differentia dicuntur synonyme de inferioribus, nam nomen & rationem eis communicãt de quibus prædicãtur: secundo vero genere duæ aliæ voces proprium, & accidẽs commune efferuntur synonyme de his de quibus dicuntur, nam nomen & rationem illis communicant, non tamen secũdum essentiam de illis potest ratio prædicari, vt candidum, nomen, & rationem communicat cygno, nam dicimus cygnum esse candidum, & disgregare visum (quod est ratio, & natura candidi) non tamen dicitur secundum essentiã hæc ratio de ipso, neque enim est de essentia cygni esse candidum, sed esse substantiam corpoream animatam, sentientem. Obser. 5.

QVAESTIO VNIC. AN *sint uera quæ in hoc capite tradita fuerunt ab Arist. de synonymis.*

ADuersus ea quæ dicta sunt ab Arist. de synonymis se offerũt nonnulla argumenta, quę quamuis ex his quæ diximus nullam habere videantur difficultatem, vt tamen illa illustriora appareant, erunt in hoc loco proponenda.

Primum est. Nomina imponuntur rebus iuxta earum naturas, tot ergo erunt nomina, quot sunt naturæ significatæ, sed in synonymis sunt multæ naturæ significatæ, vt homo, & equus qui sunt synonyma in animali denotant diuersas naturas, ergo synonyma non erunt illa, quorum nomen est vnum & commune, sed quorum nomina sunt multa. 1. Arg.

Secundum. Natura generica est natura synonyma, sed non est vna, & eadem in omnibus suis speciebꝰ, ergo synonyma non sunt illa, quorum est vna & eadem natura. Confirmatur assumptio. Primo. Vna & eadem natura non potest continere 2. Arg.

contra

Universidad de Deusto
Biblioteca

contraria, sed natura generica cõtinet cotrarias differẽtias, ergo no est vna & eadem. Secũdo Arist. 1. de anima cap. 1. inquit aliam esse naturam generis in vna specie, & aliam esse in altera, vt aliam esse naturam animalis in homine, & aliam in equo, ergo natura generica non erit vna & eadem in suis speciebus.

3. Arg. Tertium. Accidentia prędicantur synonyme de subiectis, sed accidentia non prædicantur eodem nomine, & diffinitione essentiali de subiecto, auctore Arist. in categoria substantiæ, ergo synonyma non erunt illa, quorum est idem nomen & eadem diffinitio.

Vlt. arg. Vltimo Synonymia in vno solo reperitur nam Socrates v. g. ad seipsum relatus habet locum naturæ synonymæ, non ergo bene dictum est in diffinitione in numero plurali synonyma esse illa, quorum nomen est commune.

Hæc tamen argumenta facile dissolui poterunt, nam quæ ab Arist. in hoc loco traduntur sunt ita vera vt nulla ægeant probatione, quare erit illico æquum propositis argumentis satisfacere.

Ad 1. argumen. Ad primum igitur respon. naturas synonymas sumi posse vel vt significantur nomine synonymo, vel ea ratione qua aliis nominibus declarantur. Si primo modo sumantur vna est natura synonyma: si vero vsurpentur altero modo multiplex est natura synonymorum. Vt homo & equus si sumantur ea ratione qua significantur per hoc nomen animal quod est synonymum habent vnam & eandem naturam, si vero sumantur vt significantur propriis nominibus, habent diuersas naturas, & ita negandum erit synonyma

Ad 2. ea ratione qua synonyma sunt habere diuersas naturas.

Ad secundũ resp. negando assumptionem, & ad primam probationẽ dicimus, vnam & eandem numero naturam non posse continere contraria, attamen eandem naturam genere, aut specie, posse continere contraria, nam homo qui est vnus specie, continet contrarias qualitates, vt albedinem & nigredinem. Et ita cum natura generica sit vna genere optime poterit obtinere contrarias differentias. Ad secundam confirmationem dicimus Arist. Loquutũ esse de esse, non autem de essentia, aut natura generis, quia genus aliud esse habet in homine, aliud in equo: habet tamen vnam & eandem naturam in omnibus speciebus, nã eadem attributa essentialia animalis quæ sunt in homine, sunt etiam in equo, at synonyma non vocantur illa, quorum est idem esse, sed quorum est eadem natura & essentia.

Ad 3. Ad tertium respon. duplicem esse synonymiam vnam essentialem, & aliam accidentariam vt in scholiis obseruauimus: accidentia igitur prædicantur synonyme synonymia accidentaria, non autem essentiali. In hac autem diffinitione diffinita est synomia quæ est communis ad vtrãque. Arist. vero quando inquit accidentia non prędicari nomine & ratione intelligi debet, ita vt ratio sit de essentia subiecti de quo prædicantur, qua ratione iam diximus accidentia non dici synonyme.

Ad vlt. Ad vlt. respõ. negando Socr. relatũ ad seipsum esse naturam synonymam, nam synonymia tantum in vocibus vniuersis reperitur, significat enim communitatem tam nominis, quam rationis: at quidquid est commune est vniuersum vt auctor est Arist. 1. de partibus cap. 4.

De

De Paronymis caput tertium.

ARGVMENTVM CAP.

EO modo quo in superioribus capitibus, ita & in hoc capite vnicã proponit Paronymorum diffinitionem, quam duobus exemplis satis accommodatis illustrat.

PAronyma autem, quæ Latinè cognominata uocantur ea, quæ casu ab aliquo differentia habent ab eo nominis appellationem, ut à Grãmatica Grammaticus: fortis à fortitudine.

COMMENTARIA.

A. Vltima diffinitio quam præfatur Arist. in Antecategoriis est Paronymorum, ea his verbis proponitur ab illo *Paronyma vocantur quæ casu ab aliquo differentia habent ab eo nominis appellationem.* Quę certe diffinitio aperta est, redditque hunc sensum. Paronyma vocantur illa, quæ ab vna & eadem forma deriuata, eandem habent nominis appellationem, casu tamen inter se diuersam, vt Grammatica, et Grammaticus, fortitudo, et fortis sunt paronyma, quia ab vna et eadem forma deriuata eandem habent nominis appellationem, solumque casu inter se distinguuntur, nam Grammatica, et Grammaticus ab eadem arte, forma, et qualitate menti inhærente deriuantur, habentque eandem nominis appellationem, nã eadem appellatio, eademque nuncupatio est Grammaticus, et Grammatica, solo-

Obser. 1. 1. Paronyma (quæ à Latinis denominatiua, à Cicerone in Partitionibus, à Varrone lib. 4. de lingua Latina, et lib. 1. de analogia cognominata dicuntur) medię cuiusdam naturæ sunt inter synonyma, et homonyma, vt D. August. 4. cap. catego. D. Damascenus cap. 19. Dialecticæ, et Simplicius in hoc loco testantur. Nam in homonymis solum nomen est commune in synonymis ratio est vna, et eadem simpliciter, et absolute: at in paronymis idem est nomen, et eadem ratio, non tamen simpliciter et absolute, sed partim eadem, et partim diuersa. Primo quę nomen est vnum, et idem, quia fortis et fortitudo, Grammaticus, et Grammatica, vnum atque idem nomen obtinent. Verum non esse simpliciter, et absolute vnum, et idem, ex eo colligere licebit, quia non eadem ratione terminantur, nam fortitu-

Scholia in caput de Paronymis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

titudo, vt diximus in do, fortis autem in is, terminatur. Iam habere eandem rationem, vel naturam, & essentiam constat, quia in paronymis vnum est sicuti concretum, alterum vero, vt abstractum, at abstracti & concreti eadem est ratio & natura. Cæterum non esse hanc rationem simpliciter eandem demonstrare possumus, quia concretum exprimitur, vt habens naturam alteri inhærentem, abstractum vero vt habens eandem à subiecto omnino auulsam, & separatam, quæ diuersitatem aliquam efficiunt in natura. Et ob hanc causam post explicatam naturam synonymorum, & homonymorum illico de paronymis instituit Arist. disputationem tanquam de illis, quæ cum superioribus maximam naturæ affinitatem obtinere videantur.

2. Obserua. A 2. Porphy. in interroga. cap. 22. & Simplicius in commenta. tria putāt necessaria esse, vt aliqua sint paronyma. Primum vt sit res vel forma, quę variê participari queat (sub qua subiectum ipsum, quod participat, continetur) secūdum, vt sit nomen commune iuxta talem formā, Et tertium vt inter nomina diuersitas quædam in terminatione reperiatur, vt in eodem exemplo, de forti: fortitudo est forma quæ à forti participatur: nominis etiam communicationem habet cum ea, nam à fortitudine fortis denominatur, & præterea reperitur diuersitas quædam, & transmutatio nominis in fine, nā fortitudo in do, terminatur, fortitudo vero in is, desinit. Quæ tria ita sunt necessaria ad rationem Paronymo. vt si aliquod illorum defuerit, nulla ratione paronyma dici possint. Vnde propter primam cōditionem coruus non subiit albi denominationem, quia ille nō potest participare formam nomine albi significatam: propter secundam studiosus non potest à virtute denominari, quamuis etenim virtutem ipsam participet, illaq. animo illustretur, nullam habet cum ea nominis communicationem. Et tandem ratione vltimæ conditionis Grammatica, quæ de arte, & de muliere Grammatica dicitur, non erit paronymum, vel denominatiuum, quia nullam in fine nominis transmutationem habent, quamuis in principio conueniant, debent enim nomina paronyma, & in principio conuenire, & in fine differre.

3. Obseruatio. A 3. Verum vt hoc rectius intelligere posimus ex M. Sot Louan. Tole. & aliis distribuēda erunt denominatiua vel parony. in tria membra, in denominatiua sola voce, & nō re, in re tantum, & non voce, & in re simul, & voce. Voce tantum paronyma illa dicuntur, quæ ab eadem voce deriuantur, non tamen significant eēdem formam, vt studium, & studiosus, quæ quidem voce conueniunt, formæ tamen significatione distinguntur, nam studiosus virtutem significat, studium vero industriam, & laborem repræsentat. Re vero illa sunt denominatiua, quæ eandem formam significant, nominis tamen communione secernūtur, vt sunt virtus, & studiosus, nam nomine vtriusque eadem virtutis qualitas significatur, nomine tamen maxime distinguuntur, nam studiosus, & virtus nomina sunt distincta. At illa re & voce sunt denominatiua, quæ & ab eadem forma deriuantur, nominisque affinitate inter se connectuntur, vt sunt fortis, & fortitudo, Grammaticus, & Grammatica, nam hæc duo vnam, & eandem qualitatem significant, nimirum eandem artem Grāmaticam, sunt etiam inter se nominis affinitate coniuncta vt est omnibus

nibus apertum satis, & manifestum.

4. Obseruat. A 4. Animaduertenda etiam erūt in parony. vel denominatiuis hæc tria, res scilicet denominata, res denominans, & denominatiuum. Sit exemplū in albo, quod est denominatiuum, in quo hæc tria reperiuntur, res denominata vt homo, vel cygnus, qui denominantur albi, res denominans quæ est albedo, denominatiuum quod est album nomine concreto significatum, quod quidē duobus modis potest vsurpari, & pro denominatiuo denominato, id est, pro re ipsa significata nomine albi, & pro denominatiuo denominātē nimirum pro hac voce, album. Nam quemadmodum de æquiuocis, & vniuocis diximus in superioribus capit. quædam esse vniuoca, aut æquiuoca, vniuocantia, aut æquiuocantia, vt sunt nomina ipsa, & alia esse vniuoca, aut æquiuoca vniuocata, vel æquiuocata, vt sunt res ipsæ quæ nominibus vniuocis, aut equiuocis exprimuntur: ita etiā quędam erunt denominatiua denominantia, voces scilicet denominantes, & alia denominatiua denominata, res scilicet quæ his nominibus declarantur. Ita M. Soto vbi supra. Nonnulla alia, quæ se poterāt offerre, additis difficultatibus circa naturam paronymorum, in quæstionibus sequentibus explicabuntur.

QVAESTIO VNI. SITNE *optima diffinitio paronym. & quid sit illius diffinitum.*

PErpendamus iamfuerintne recte paronyma ab Arist. diffinita nec ne? Et quidem non esse optimam diffinitionem illorum assignatam argumētor primo. Studiosus est nomen paronymum, at illud nullum

1. argu. habet abstractum à quo deriuetur, non ergo paronymum ab aliquo debet deriuari, à quo solo casu differat. Confirmatur assumptio. Vel illius abstractum est virtus vel studium (neque enim aliquid aliud, quam vnum ex his duobus potest esse illius abstractum) sed neque virtus, neque studium sunt abstracta illius: non virtus, quia cum virtute non habet nominis communicationem, nō studiū, quia studium laborem, & diligentiam præfefert, studiosus vero non hæc, sed virtutem significat, ergo hoc nomen non habebit formam aliquam abstractam à qua deriuetur.

2. Arg. Secundum. Grammaticus, & Grāmatica habent se vt denominans, & denominatum, nam Grammaticus à Grammatica dicitur Grammaticus: sed hęc duo non differunt casu, nam tam Grammaticus, quam Grāma sunt in casu nominandi, ergo non recte docuit Aristo. denominatiua debere casu inter se differre.

3. Argu. Præterea. Quę sunt synonyma non sunt denominatiua, sed fortis, & Grammaticus, sunt synonyma, ergo non denominatiua, quare non recte tradidit exemplum Arist. fortis, & Grammatici agens de denominatiuis. Propositio ex eo sane constare potest, quod Arist. in hoc loco de synonymis, homonymis, & paronymis tanquam de rebus, & formis inter se multum diuersis pertractat. Assumptionem vero ita confirmo. Synonyma dicuntur illa quorum nomen, & ratio sunt multis communia: sed nomen, & ratio Grammatici sunt multis communia nimirū Petro & Antonino, ergo Grammaticus inter nomina synonima numerabitur, & idem erit iudicium de forti.

4. Arg. Adhæc. Homo ab humanitate ita denominatur, à qua solo casu id est, nominis terminatione differt: sed homo

Universidad de Deusto
Biblioteca

homo non est natura denominatiua, quia species (vt homo) non prædicantur denominatiue, sed synonymè: ergo non est optima diffinitio paronymorum tradita ab Arist. cum alteri à re diffinita conueniat.

Vera senten.

Cæterum hæc argumenta nihil nos commouent quominus putemus esse hanc optimam, & legitimã paronymorum diffinitionem, quod certe & auctoritate Arist. & communibus omnium dialecticorum suffragiis possumus confirmare, omnes enim illam & laudant, & amplectuntur, neq. ab hac est diuersa illa quã proponunt nonulli dialectici, & Oratores ex Cicerone Paronyma sunt quæ ab vna orta varie commutantur, idest, paronyma sunt quæ ab eadem forma deriuata eandem retinent nominis appellationem, quamuis diuersis modis terminatam vt à fortitudine fortis, fortiter, & fortissime deriuantur, quæ inter se eandem habent nominis appellationẽ, diuersis finibus terminatam quæ certe diffinitio eadem est cum hac quam nobis tradidit Arist. vt cuiq. accurate illam perpendenti poterit constare. Vnde sola contrauersia est de significato huius diffinitionis sitne voces paronymæ, & denominatiuæ, vel res ipsæ quæ his nominibus declarantur. Nominales Ochã & Marsilius vt auctor est M. Soto in cõmenta. huius loci ex Veneto, putarunt diffinitas esse solas voces. At contra viri grauissimi Ammonius, Boeti. arbitrantur res ipsas esse diffinitas. Verum quænam sit à nobis amplectenda opinio, his assertionibus explicamus, quarum prima sit.

In Partitionib.

1. Conclusio. 1. Arg.

Diffinitũ huius diffinitionis non sunt voces paronymæ vel denominatiuæ. Hanc aduersus Nominales cum M. Soto, Toleto, & aliis confirmamus primo. Quia hæc diffinitio intelligi debet eo modo quo aliæ duæ de hominimis, & synonymis fuerunt intellectæ, at in aliis non sunt solæ voces diffinitæ, vt iam supra ostendimus, & confirmari nunc vnico verbo poterit, quia homonymia v. g. in pluribus demonstratur (ob hanc enim causam fuerunt illa in plurali numero diffinita. *Quorum nomen est commune &c.*) At si diffinita esset vox non cerneretur in pluribus in homonymis n. vna tantũ est vox, vna enim vox canis homonyme dicitur de cane cæleſti, domesti co & marino, ergo & in paronymis nõ solæ sũt voces diffinitæ. 2. Quia si hæc diffinitio de vocibus esset intelligenda, falso profecto dixisset Arist. concreta a formis abstractis deriuari, vt Grammaticum, a Grammatica, & fortem a fortitudine, nam in vocibus res è contrario sese habet, in quibus non concreta ab abstractis, sed abstracta potius a concretis deriuãtur, vt fortitudo quod est nomen abstractum deriuatur a forti quod est concretum, sumpto enim datiuo huius nominis fortis, quod est forti, addito tudo, relinquitur hoc nomen fortitudo: quare hęc diffinitio non poterit solis nominibus adaptari. Iam. In paronymis ipsum paronymum denominatur tale a forma significata, vt album ab albedine dicitur album, at vero nomina non possunt dici talia a formis significatis, nam hoc nomen album non dicitur album ab albedine, sed paries est, qui ab albedine dicitur albus, neq. enim albedo afficit nomen, sed parietem, non igitur diffinitum huius diffinitionis sola vox esse poterit.

2. Arg.

3. Arg.

2. Conc.

Secunda conclusio. Diffinitum huius diffinitionis non sunt res ipsæ nude, & absolute sumptæ, vt res ipsæ quæ sunt album, Grammaticum, vel musicum. Confirmatur perfacili argumento, quia diffinitũ huius

huius diffinitionis debet esse illud quod nominis terminatione differat ab eo a quo deriuatur, vt conflat ex diffinitione, sed differre terminatione, vel quod idem est casu (vt vtamur verbis Aristo.) non potest rebus ipsis, sed nominibus conuenire, ergo res absolute, & nude sumptæ non erunt in hac diffinitione diffinitæ.

3. Conc.

Tertia conclusio. Res ipsæ vt nominibus exprimuntur, fuerunt ab Arist. in hac diffinitione diffinitæ. Vnde diffinita præcipua erunt ipsæ res, minus vero præcipua erunt nomina res ipsa significantia. Itaque res ipsas quæ est albedo erit forma denominans, & res quæ est album erit ipsum denominatum, non tamen nude, & absolute, sed ea ratione, qua his nominibus album, & albedo declarantur. hanc M. Soto, Toletus vbi supra, & M. Iustinianus lib. 3. institu. ca. 4. profitentur. Quæ certe confirmari potest ex iis, quæ in prologomenis huius operis diximus, nimirum materiam subiectam huius operis categoriarum, neque esse res ipsas nude sumptas, neque tantum voces, sed vtrumque res & voces, res quidem tanquam præcipua, voces vero tãquam minus præcipua obiecta.

Ad 1. argum.

Iam ad argu: Ad primum respon. studiosum non esse vere paronymũ iuxta omnes leges paronymorum, vel non esse paronymum secundũ rem & vocem, sed solum secundum rem, atque ita secundum rem habebit formam abstractam a qua deriuetur, nimirum virtutem, non tamen habebit aliquam a qua deriuetur secundum nomen, nam non cõuenit nomine cum virtute a qua sola deducitur. Verum ad hæc facilius intelligenda repetenda erunt illa, quæ in Scholiis fuerunt animaduersa.

Ad. 2.

Ad secundum respon. cum Porphy. in interroga. cap. 21. nomine casus hoc loco non intellexisse Arist. illos, quos casus nominum nuncupamus, nimirum casum nominandi, gignẽdi & alium huiusmodi, sed transmutationem quandam nominum, variamque, & diuersam terminationem. Igitur quamuis Grammaticus, & Grammatica, si ad casum primo modo inspiciamus, non differant casu, cum sit vtrumque nomen, in casu nominandi: si tamen agamus de casu altero secundo modo (vt hic loquimur) non erunt eiusdem casus, cum sint variæ horũ duorum nominum terminationes, nam Grammatica in, a, desinit, Grãmaticus vero in, us, terminatur.

Ad. 3.

In explicatione tertij argu. disceptatio est, an ea quæ dicuntur denominatiue, synonyme dici possint. Toletus, & quidam alij explicantes diffinitionem synonymorum id fieri nullo modo posse asseuerant. Primo quia accidentia (quæ denominatiue de subiecto dicuntur, vt album de homine) non possunt nomine & ratione dici de subiecto, vt auctor est Arist. in categoria substantiæ, at synonyma & nomine, & ratione de subiectis dicuntur: quare denominatiua, non erunt synonyma. Secundo quia Arist. 2. topico. cap. 2. ex eo probat genus non prædicari denominatiue de suis specieb⁹, quia prædicatur de eis synonyme, sentit igitur Arist. illa quæ prædicantur synonyme, non posse dici denominatiue.

Explicatur quædam dubita.

1. Arg.

4. Arg.

Opinio Caieta. & M. Soti.

At contra sentiunt accutissimus Caietanus, M. Soto, & Mercado in commentariis horum capitum, qui vere profitentur vnum, & idem attribu. diuersa ratione posse synonyme & denominatiue prædicari, vt album denominatiue, & synonyme dicitur de homine: etenim ea ratio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne qua nomen, & naturam communicant illi (nomen quidem quia quidam homo dicitur albus, rationem vero quia disgregare visum quod est ratio albi, etiam homini communicatur) synonyme prædicabitur de nominatiue autem ea ratione qua denotat concretum formæ cuiusdã accidentariæ, quæ rei naturam & essentiam nullo modo attingit. Quorum sententiam vt facilius percipere possimus sciendum erit de ratione synonymiæ in communi, vt est diffinita ab Arist. tantum esse vt nomine, & ratione attributum suis inferioribus communicetur, non autem quod ratio secundum essentiã de illis efferatur, tantum enim inquit Arist. illa sunt synonyma quorum nomen est commune, & ratio nomini accommodata est eadem. Vnde rationem dicit secundum essentiam de subiectis, in attributis synonymis, non competit illis ea ratione qua sunt synonyma, imo vt dixi est extra rationem illorum: sed vt sunt talia synonyma nimirum essentialia, iam enim monuimus in cap. de synonymis in Sholiis, duplicem esse synonymiam, vnam essentialem, & aliam accidentariam, quæ sunt species diuidentes synonymiam in communi. Et certe quæ prædicantur denominatiue prædicari etiam synonyme confirmari potest quia 4. & 5. prædicabile dicuntur synonyme ex perscripto omnium Dialecticorum, quæ denominatiue quoque de suis subiectis prædicantur. Ad argumenta vero quæ pro aliis proposuimus facilis est solutio, nam duo illa loca proposita ex Arist. tantum confirmant ea quæ prædicantur denominatiue, non posse dici synonyme essentialiter: nihil autem probãt aduersus synonymiam accidentariam. Vnde ad primum respon, accidentia non dici nomine, & ratione de prima substantia, ita vt ratio sit ipsi essentialis, dici tamen ratione, quia ratio quemadmodum, & nomen primæ substantiæ communicatur, nam Socrati v. g. & nomen albi, & disgregare visum (quod est eius ratio) communicantur, & hoc sufficit ad synonymiam accidentariam quamuis alio fortasis modo explicari debeat locus hic Aristo. vt in illa categoria ostendemus.

Confir. 2. opin.

Ad argum

Ad 1.

Ad 2. respon collectionem illam Aristo. (ex eo genus non prædicari denominatiue, quia prædicatur synonyme) intelligendum esse de synonymia essentiali, quo genere synonymiæ genera & species de suis inferioribus prædicantur: nõ aũt intelligendam esse de synonymia accidentaria, qua ratione idem synonyme, & denominatiue dici poterit.

Ad 2.

Igitur ad præcipuum argumentum quod tertio loco in principio quæst. proponebamus respon. Grammaticum, & fortẽ simul esse attrib. synonyma & denominatiua, alia tamen & alia ratione, nam sunt synonyma, vt nomen & rationem communicant subiectis de quibus dicũtur: sunt autem denominatiua, vt deriuantur à forma quadam accidẽtaria, quæ est extra naturam subiecti de quo dicuntur.

Ad 3. argum præcipuum.

Vltimum argu. attingit difficultatem illam num concreta, quæ à formis essentialibus deriuantur paronyme dici possint, vel vt alij quærunt, an sit de essentia paronymi vt forma denominans sit accidentaria, & non essentialis, quam difficultatẽ in quæstione sequẽti explicabimus, atque ita sit quæst. 2.

QVAESTIO II. AN FORMA denominans debeat esse essentialis, necne?

In

IN hac quæstione explicanda recensitis prius, & confutatis aliorum opinionib⁹, erit deinde nostra eaque verissima sententia proponẽda. Est igitur prima opinio Louanienſium, omnem formam denominantem necessariò debere esse accidentariam, nõ tantum respectu subiecti de quo dicitur, verumetiam in se, & iuxta propriam naturam consideratam. Hæc tamen sententia reijcitur primo, quia hæc est attributio denominatiua, ferrum est ignitũ in qua attributum nõ significat formam accidẽtaria, sed essentialem nimirum formam substantialem ipsius ignis. Secundo, quia hæc attributio, anulus est argenteus, est denominatiua, cuius attributum non est forma accidẽtaria secundum se, cum sit substantia.

Opinio 1. Louanien.

Reijcitur.

Thomas à Mercado putat solum accidens commune esse illud à quo peti debet omnis denominatio, vel attributio denominatiua. Verum si hoc ita esset, sequeretur profecto has attributiones, homo est risibilis, & leo est rugibilis, non esse denominatiuas, & quascunq. alias, in quibus proprietas de proprio subiecto prædicatur nam hæc attributa nõ sunt accidentis quinti prædicabilis, sed alterius, quod quartam vocem vniuersam, & prædicabilem constituit, quod certe non videtur posse vlla ratione admitti.

2. opin. Merca. Reijcitur.

M. Soto in hac re latissime loqui videtur, opinatur siquidem omnẽ vocem connotatiuam esse denominatiuam, vnde illud erit denominatiuum, quod instar nominum connotatiuorum, vnum tanquam materiam, & alterum tanquam formam indicabit. Si tamen nobis per ipsum integrum fuerit, hæc sententia non est ex omni parte vera, etenim quãuis in plerisque cõnotatiuis hoc sit verum, tamen dantur nonnulla huius generis, quę non possunt esse denominatiua, nam differentia essentialis, & maximè propria denotant aliquid tanquam materiam, nimirũ genus, & aliquid tanquam formam scilicet gradum proprium suæ naturæ, vt rationis particeps denotat tãquam materiam animal, & tanquã formam rationalitatem, nam est animal quod potest vti ratione, cùm tamen differentiæ non prædicentur denominatiue, sed synonyme, & synonymia essentiali.

3. opin. M. Soto.

His igitur opinionibus confutatis. Sit prima conclusio. Forma denominans nullo modo potest esse essentialis respectu subiecti denominati. Hanc docet D. Tho. 7. lib. Metaphy. lectio. 2. B. Alber. Mag. tract. 1. in catego. in expli. huius loci, Simplicius, Caietanus, Toletus quæst. vnica ferme ad finem, & M. Iustini. lib. 3. institu. cap. 4. Quæ confirmatur primo ex communi omniũ Dialecticorum consensu, omnes siquidem separant attributionem essentialem à denominatiua, at attributio illa quæ petitur à forma essentiali, est essentialis, quare attributio quæ petetur ab illa, non erit denominatiua. Secundo, quia Aristo. in categoria substantiæ latum interesse putat discrimen, inter prædicari denominatiue, & prædicari nomine ac ratione (quod intelligendum est essentiali) de prima substantia, sed in illa attributione, quæ petitur à forma essentiali attributum nomine & ratione essentiali dicitur de subiecto, ergo attributio quæ à tali forma petetur, non erit denominatiua.

1. Conclusio.

1. Arg.

2. Arg.

Secunda conclusio. Attributio denominatiua peti debet à forma accidentaria, nimirũ ab ea forma quæ nõ est de essentia, aut de natura subiecti de quo prædicatur. Hoc inquit B. Alber. Mag. indicare videtur Aristo. im

2. Conc.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sto. in illis verbis. *Quæcunque ab aliquo, &c.* quæ denotant formam denominantem debere esse extrinsecã rei denominatæ, esse siquidem ab aliquo tantum potest iis accommodari, quæ non attingunt rei naturã, & essentiam. Vnde colligimus has attributiones, Petrus est homo, & leo est animal, non esse denominatiuas, quia homo petitur ab humanitate, & animal ab animalitate, quæ non accidẽtariæ, sed essentiales sunt formæ: has vero alias, homo est candidus, Angelus est sapiens, esse denominatiuas, quia ab aliqua forma accidentaria nimirum candore, & iustitia postulantur.

Obiect. Contra tamen aliquis ita insurget. Quantum denominatiue & paronymè dicitur de iis de quibus dicitur, sed illud petitur à forma essentiali alicuius subiecti, de quo prædicatur, ergo attributio denominatiua peti poterit ab aliqua forma essentiali. Confirmatur assumptio. Quantum petitur à quantitate, sed quantitas est forma quædam essentialis respectu aliquorum, de quibus illud dicitur, dicitur enim illud de linea, & de magnitudine, nam linea est quanta, & magnitudo etiã vocatur magna ab August. 5. de Trini. cap. 10. de quibus secũdum essentiam dicitur quantitas, ergo quantum petetur à forma essentiali alicuius subiecti de quo ipsum prædicatur.

Solutio. Huic tamen obiectioni respondetur falsum esse quantum dicidenominatiuè respectu omnium de quibus dicitur, sed tantum respectu illorum, quibus forma significata potest accidentario conuenire, non autem respectu illorum, quibus forma secundum essentiam communicatur. Neque est absurdum vnum atque idẽ attributum diuersa ratione, aut respectu diuersorum dici secundum essentiam, vel synonyme, & denominatiue, nam disgregare visum dicitur synonyme, & secundum essentiam de albo, & denominatiue de pariete: & eadem ratione quantum dicetur denominatiue de substantia, synonyme vero & essentialiter de linea, & magnitudine. Verum de hac re vberius multo postea in categoria quantitatis.

Igitur ad argumentum quartum quod in quæstio. superio. proposuimus ex iis, quæ hactenus explicata fuerunt, respon. hominem non esse denominatiuum humanitatis, nam quamuis homo ab ea deriuetur, habeatque communem nominis appelationem soloque casu, & terminatione differant, non propterea erunt denominans, & denominatum, quia ad attributum denominatiuum prẽter hæc requiritur, vt forma significata non sit essentialis, sed accidentaria, at vero humanitas à qua homo dicitur homo, est forma essentialis. Soluitur argu. 4.

Quod siquis dicat fuit igitur Aristo. diminutus in assignãda hac definitione, cum prætermiserit hanc particulam, scilicet vt forma à qua res denominatur sit accidentaria, & non essentialis. Respondendum erit imprimis cum Caieta. Arist. hanc particulam tanquam manifestam omisisse, nam manifestum est denominatiua nomen ipsum, nõ autem naturam & essentiam conferre. Vel cum Arist. non exquisite, sed communi quadam, & populari ratione instituat agere in hoc loco de categoriis non omnia perfecta & omnibus suis numeris absoluta semper tradidit, vt in categoria quantitatis nonnullis in medium propositis exemplis ostendemus. Quare nihil mirum si in hoc loco etiam hanc particulam prætermiserit. Obiect. Solutio. 2. Solut.

QVAE-

QVAESTIO III. AN RES denominata magis præcipuè formam, quam subiectũ significet.

IN re denominata duo reperiri & subiectum denominatum, & formam denominantem perspicuũ est & exploratum, vt album quod est res denominata ab albedine, significat, & corpus tanquam subiectum denominatum, & albedinem tanquam formam denominantem. Itaque cũ in his nominibus hæc duo reperiantur, quærimus quodnam ex illis magis præcipue nomine denominatiuo designetur, num subiectum ipsum, vel potius forma, vt num album magis præcipue corpus vel albedinem ipsam significet? In qua quæstione omissis argumentis (eo quod illa in assertionibus sunt à nobis proponenda) in illius explicationem sunt inter se duæ grauissimorum virorum discrepantes sententiæ, & opiniones. Auicẽna enim vt testatur D. Thom. 1. lib. senten. dist. 8. artic. 2. ad 3. & in comment. in cap. 7. lib. 5. Metaph. arbitrabatur rem denominatam magis præcipuè primoque & per se significare subiectum, secundariò vero, & ex consequenti formam denominatam. At Auerroes in commenta. in cap. 7. libr. 5. Metaphy. contrarium putat tãquam verius esse amplectendum, scilicet has naturas primo & per se magisque præcipue formas quam subiecta significare. Quam sententiam sequutus est D. Thom. locis citatis, & M. Soto in hoc loco. 1. Opin. 2. Opin.

Obser. Vt tamen quæstionem hanc, & item cõponamus, animaduertimus cum Caieta. 1. par. q 12. arti. 1. & in libello de ente & essentia cap. 7. aliud esse loqui de re significata nomine concreto, & aliud de modo significandi rem illam, nam in accidentibus, tam concretis, quam abstractis res significata est forma, quamuis sit in vtrisque diuersus modus significandi: concreta enim significant illam, vt inhærentem subiecto, abstracta vero significant eãdem, vt auulsam, & separatam ab illo. Vnde sit prima conclusio.

Res primo & præcipue significata nomine paronymo est forma denominans, subiectum vero est res minus præcipue significata, & quasi secundario. Confirmatur prima pars conclusionis, scilicet formam esse præcipue significatam nomine concreto. Imprimis auctoritate Aristo. is enim in categoria substantiæ docet album solam qualitatem significare, sed album est paronymum, albedo forma, ergo parony. præcipue formam significabit. Præterea. Propter vnumquodque tale, & illud magis debet esse tale, sed nomẽ paronymum significat formam, & subiectum, & subiectum propter formam, vt hoc nomen album significat corpus, & albedinem, & corpus propter albedinem, ergo præcipuè & multo magis significabit formã quam subiectum. Secunda pars concluſi. est apertissima, quia nomina concreta eo separãtur ab abstractis, quod abstracta denotant formas auulsas à subiecto: concreta vero denotãt easdem vnitas cum subiecto, vt albedo significat albedinẽ à corpore separatam: album vero significat albedinem vnitam cum corpore, ergo nomen concretum secundario, & minus præcipue significabit subiectum denominatum per formam. 1. Conc. 1. Argu. 2. Argu.

Secunda conclusio Quamuis nomina concreta, vel res denominatæ significent præcipuè formas tanquã res significatas, ex modo tamen significandi easdem, magis præcipuè 2. Conc.

Universidad de Deusto
Biblioteca

subiecta ipsa, quam formas significabunt, hoc enim interest inter res denominatas, & naturas denominãtes, vel inter concreta & abstracta, quod quamuis quo ad rem significatam vtrumq. significet formam, tamen quo ad modum significandi abstracta formas, concreta vero è cõuerso prius subiecta denominata significant. Confirmatur. Illud præcipue quo ad modum significandi nomine concreti vel denominati exprimetur, quod retinet locum generis in illius diffinitione: sed subiectum in diffinitione concretorum retinet locum generis, forma vero locum differentiæ vt in diffinitione simi, quæ est nasus curuus, nasus qui est subiectum obtinet locũ generis, curuitas vero quæ est forma quædam subiecto inhærens, habet locum differentiæ: ergo concretum quo ad modum significandi prius subiectum, quam formam denotabit.

Confir.

Ex iis duabus conclusio. conciliare poterimus Auicennam, & Auerroem si dicamus Auerroem loquutum fuisse de re significata nomine concreti, quæ primo & per se est ipsa forma: Auicennam vero egisse de modo significandi eiusdem nominis concreti, qua ratione subiectum erit primum, & præcipuum nominis significatum: forma vero erit secundarium minusque præcipuum. Argumenta vero si quæ se possunt offerre aduersus nostram opinionem, cum quædam confirment ratione rei significatæ formã esse præcipuum significatum, & alia esse subiectum ratione modi significandi, ac proinde nihil aduersus nos colligant, hoc loco consulto prætermittimus, vt in aliis grauioribus diutius posimus immorari. Legendus est Iauellus 7. lib. metaphy. quæst. 2. consulendus etiam est Scotus quæst. 8. Prædicamen. in quo loco multa legi poterunt huic instituto satis accommodata.

Animaduersio.

EX his quæ de homonymis, synonymis, & paronymis hactenus enarrata fuerunt nonnulla colligere poterimus quæ erunt dialecticis maximo vsui futura. Primum triplicem esse attributionem homonymam, synonymam, & paronymam, homonyma est in qua vox significans multa dicitur de illis, vt quando canis dicitur de cælesti, domestico, & marino. Synonyma est quando vox significans vnam naturam dicitur de multis, vt quando animal dicitur de homine, & bruto. Paronyma vero est, quę sumitur ab accidente aliquo (vel ab habẽte modum illius) denominante subiectum vt quando candidum dicitur de cygno. Ex iis homonymæ reiiciuntur à categoriis, solumque duæ aliæ retinentur intra illas, nam si subiecta, & attributa fuerint eiusdem categorię, erit attributio synonyma, vt est attributio qua animal dicitur de homine, si vero fuerint diuersarum categoriarum, erit paronyma, qualis est ea in qua candor dicitur de cygno. Secundo colligimus homonyma, vt homonyma sunt nullum habere supra se genus, quia genus denotat vnam rationẽ omnibus suis formis communem: at homonyma nullam habent communem rationem. Ex quo etiam fit, vt illa qua talia sunt, non habeant locum in categoriis, quia categoriæ denotant rationem aliquam genericam omnibus suis formis ex æquo conuenientem. Præterea colligimus omnia genera & species synonyme prædicari de suis inferioribus, quia habent vnam,

1. Con.

2. Con.

3. Con

vnam, & eandem rationẽ omnibus competentẽ: at quę vna ratione dicũtur synony. dicuntur. Vltimo colligimus oĩa accidentia paronyme seu denominatiue dici de suis subiectis, quia denotant formam aliquam accidentariam illo nomine expressam, à quo solo casu, seu terminatione differunt subiecta denominata. Cõsulendi sunt Louanienses in hoc cap.

4. Con.

Annot. Sciendum etiam est præter hæc tria nominum genera, dari etiam alia scilicet Polionyma à Latinis multiuoca dicta, & ætheronyma quę ab eisdem diuersiuoca nuncupantur, de quibus, & ob quam causam fuerint prætermissa ab Arist. iam supra cap. priori de homononymis, in eius Scholiis exposuimus. Si quis tamen vberiorem de eisdem cognitionem haurire cupit, consulat Porph. in interrogat. cap. 19. & 20. D. Aug. cap. 2. catego & D. Damascenum in dialectica cap. 17. & 18.

Caput quartum de duabus diuisionibus.

ARGVMENTVM. CAP.

IN hoc cap. duas proponit Arist. diuisiones, breuiorem vnam, & secundam paulo diffusiorem, eorum quæ sunt in subiectis, & dicũtur de illis.

A *EOrum quæ dicuntur partim coniuncta sunt, partim simplicia. Ac coniuncta quidem, ut homo currit, homo uincit. Simplicia, ut homo, bos, currit, uincit.*

B *Eorum quæ sunt, alia de subiecto aliquo dicuntur, nec in subiecto insunt ullo, ut homo: de subiecto enim dicitur quopiam homine, in subiecto autem nullo inest. Alia in subiecto sunt illa quidem, sed de subiecto nullo dicuntur. In subiecto autem esse dico id, quod in re aliqua inest, non tanquam pars, nec potest seiunctum ab eo in quo est, consistere. Veluti Grammatica aliqua in subiecto inest animo, sed de subiecto nullo dicitur. Eodemque modo hic uel ille candor, est ille quidem in subiecto corpore (est enim in corpore color omnis) attamen de nullo subiecto dicitur. Quædam & de subiecto dicuntur, & sunt in subiecto, ut scientia in subiecto animo inest, ac de subiecta Grammatica dicitur. Nonnulla nec in subiecto sita sunt, nec de subiecto dicuntur ullo, ut quidam homo, quidam equus. Nihil enim eius generis neque in subiecto est, neque de subiecto ullo dicitur. Omnino autem individua & quæ sunt unum numero de subiecto nullo illa quidem dicũtur, sed eorum nonnulla in subiecto esse nihil prohibet. Nam hæc Grammatica ex eorũ est numero, quæ in subiecto insunt, nec de subiecto ullo dicitur.*

COMMENTARIA.

POst explicatas diffinitiones homony. synony. & parony. proponit Arist. duas diuisiones, vt ex illis, quæ sint in categoriis collocãda & quæ ab eisdẽ sint reiiciẽda facilẽ multo intelligere possimus.

1. Diui. A *Eorum quæ dicuntur partim, &c.* Prima diuisio est, qua ea quæ dicuntur in simplicia, & coniuncta distribuuntur. Ex iis igitur quæ dicuntur quædam sunt simplicia, nimirũ illa quę vnica sola voce exprimuntur, vt homo, bos, & equus: & alia sunt coniuncta, illa scilicet, quę pluribus nominibus declarãtur, vt homo currit, cygnus albꝰ, &c. Quæ diuisio proposita est ab Arist. vt intelligamus in categoriis ea tãtum quæ sunt simplicia habere locum; coniũctis vero nullum in eisdem locum concedi posse.

2. Diui. B *Eorum quæ sunt, &c.* Secunda diuisio est, eorum quæ sunt alia dicũtur de subiecto, & non sunt in subiecto, vt homo dicitur de quodam homine tanquam de subiecto, non tamen est in illo, aut in aliquo alio tanquam in subiecto. Alia sunt in subiecto, & non dicuntur de subiecto, vt hæc Grammatica, hic, vel ille candor, nam hæc duo sunt in aliquo subiecto, Grammatica in mente, candor vero in pariete, non tamen dicuntur de subiecto, quia dici non competit rebus singularibus, quales sunt hic candor, & illa Grammatica, sed solis vniuersis. Hinc desumpta occasione antequã alia duo membra diuisionis proponat, tradit Arist. definitionem eius quod est esse in subiecto. In subiecto inquit, illud est quod est in aliquo non tanquam pars, & à quo non potest separari, vt candor est in pariete, cuius non est pars, & à quo nullo modo potest separari. Qua diffinitione proposita, tradit iam tertium membrum diuisionis, quædam, inquit, sunt in subiecto, & dicuntur de subiecto, vt scientia quæ est in anima tanquam in subiecto, & dicitur de Grammatica, & Dialectica tanquam de subiecto. Et tandẽ alia sunt quæ neque sunt in subiecto, neque dicũtur de illo, vt quidam homo, & quidam equus, nam quidam homo, vt Petrus v. g. non est in subiecto, neque dicitur de aliquo subiecto cum sit natura singularis.

Scholia in cap. 4. de diuisionibus.

1. Observatio. A 1. Alexander Aphrodisęus propter hãc diuisionem existimat in categoriis tãtum agi de vocibus, nam dici, inquit, de rebus, tantum vocibus accommodatur, vt iam supra in prolegomenis exposuimus. Verum Simplicius, Ammonius, & alij putant ex hoc loco nihil tale colligi, existimantque hanc diuisionẽ, & rebus ipsis & nominibus accommodari, primo quidem & per se rebus, secundario vero nominibus. Si rebus accommodetur ita erit intelligenda. Rerum quæ vocibus explicantur aliæ sunt simplices, vt homo & bos: & aliæ coniunctæ, vt homo currit, & bos pascit. Si vero vocibus accommodetur ita erit explicanda. Voces quæ naturas aliquas significant, quædam significant naturam simplicem, vt hæc vox homo, & aliæ compositam, vt hæc oratio, homo currit.

2. Obserua. A 2. Præterea, voces coniunctæ sunt in tres, veluti formas, & membra distribuendæ, nam quædam sunt coniunctæ voce tantum, aliæ significatione solum, aliæ significatione simul & voce. Voce tantum illæ dicuntur coniunctæ, quæ exprimunt vnam rem eodem conceptu significatam, vt hæc oratio, animal rationis particeps, est vox coniuncta voce, quia exprimit rem vnam, & eandem, scilicet eandem naturam hominis, & eodem adæquato conceptu repræsentatam. Significatione tantum illæ sunt compositæ, quæ vnica dictione diuersas naturas significante exprimuntur, vt est hæc vox canis, & omnes aliæ homonymæ. Et tandem aliæ sunt vtroque modo coniunctæ, nimirum illę quę diuersis dictionibus diuersas naturas significantibus declarantur, vt homo currit, bos pascit, & leo rugit.

3. Observatio. B. Vt facilius hanc diuisionẽ quadrimembrem intelligere possimus, erunt nonnullæ diuisiones ad memoriam reuocandæ. Prima ens diuisum esse in substantiam, & accidentia, inter quæ hoc interest, quod accidentia sunt in aliquo tanquam in subiecto, substantia vero nulli subiecto inhæret, sed per se existit. Secunda est ex rebus quasdam esse vniuersas, & alias singulares tam in substantiis quam in accidentibus, inter quas hoc interest, quia vniuersę dicuntur de multis, singulares vero de nullo prædicãtur. Ex quibus diuisionibꝰ luce clarius intelligemus propositam diuisionem, nam primũ membrum nimirum quædam dicũtur de subiecto, & non sunt in illo, intelligi debet de substantiis vniuersis, quæ quia substantiæ sunt, nõ sunt in subiecto: quia vero sunt vniuersæ, dicuntur de subiecto. Secundum membrum alia sunt in subiecto, & non dicuntur de subiecto, intelligi debet de accidentibus singularibus, quæ quia accidẽtia sunt, sunt in subiecto, quia vero sunt singularia non dicuntur de illo. Tertium membrum quadam dicuntur de subiecto, & sunt in subiecto, intelligi debet de accidentibus vniuersis, quæ quia accidentia sunt, sunt in subiecto, & quia sunt vniuersa dicuntur de illo. Tandem vltimum membrum quædam neque sunt, neque dicuntur de subiecto, intelligi debet de substantiis singularibus, quæ quia substantię sunt, non sunt in subiecto, & quia sunt singulares non dicuntur de illo.

QVAES. I. QVAE NAM sit diuisio quadrimembris, eorumque quæ sunt ab Arist. proposita.

IN hac q explicanda existimat B. Alb. Mag. tracta. 1. categ. c. 5. hanc diuisionem simile esse diuisioni generis in species. Verum hæc opinio constare nullo modo potest, quia in hac diuisione res diuisa est ens, atvero ens non potest diuidi diuisione generis in species, vt profitetur Arist. 3. lib. Metaph. cap. 3. 1. Opin.

Simplicius vero existimat non esse hanc veram & legitimam diuisionem, sed quandam enumerationem eorum quæ sunt, sicut si coram constitutis hominibꝰ ita diceremus, hi homines quidam sunt Romani, & alij Athenienses, & alij Hispani, nihil diuideremus, sed tantum enumeraremus homines illos. 2. opin.

Hæc etiã sententia falsa est, quia diuisio analogi in analogata non est enumeratio, sed vera & legitima diuisio: at diuisio entis (quæ proponitur ab Arist. in hoc loco) est analogi in analogata, vt ipse passim docet præsertim q. 4. Metaphy. c. 2. Vnde his opinionibus reiectis, vt veram sententiam explicemus animaduertendum est, in hac diuisione contineri virtute tres alias diuisiones. Prima est entis in substantiam & accidentia: secũda substãtiæ, & accidẽtis in Reiicitur.

tis in naturam vniuersam, & singularem: tertia vero est vniuersi & singularis, in vniuersum, & singulare categoriæ substantiæ, & in vniuersum & singulare categoriæ accidentis, vt in scholiis admonuimus.

1. Conclusio. Sit ergo prima conclusio. Silo. quamur de hac quadrimembri diuisione iuxta primam diuisionem, est illa diuisio analogi in analogata. Cõfirmatur in hac diuisione ens est res diuisa, membra vero diuidẽtia sunt substantia, & accidens: sed ens est analogum ad substantiam & ad accidens, ergo erit diuisio analogi in analogata.

2. Conc. Secunda conclusio. Iuxta secundam diuisionem, proposita diuisio est subiecti in accidentia. Confirmatur. In hac diuisione res diuisa est subiectum scilicet natura substantiæ, vel accidentis, membra vero diuidentia sunt vniuersum, & singulare, quæ duo accidunt naturis, nã accidit naturæ substantiæ, vel accidentis, esse vniuersam vel singularem, ergo erit diuisio subiecti in accidentia.

3. Conc. Tertia conclusio. Iuxta tertiam diuisionem hæc diuisio est generis in species. Confirmatur. Res diuisa in illa est vniuersum, membra vero diuidentia sunt vniuersum, et singulare in categoria substantiæ, vel in categoria accidentis: sed vniuersum est verum genus ad huiusmodi vniuersa, ergo erit hæc diuisio generis in species.

Obiect. Dicet tamen aliquis contra idem secundum membrum propositæ diuisionis. Accidentia singularia dicuntur de subiecto, vt hæc Grammatica dicitur de Petro, dicimus enim Petrum esse hunc Grammaticum: ergo non recte docuit Arist. accidentia singularia non dici de subiecto.

Solu. Respon Aristo. intelligendum esse de subiecto essentiali attributionis, non autem de subiecto inhæsionis accidentario, nam accidentia singularia, qua singularia non habent aliquod subiectum de quo prædicentur secundum essentiam. Vnde quamuis hæc Grammatica prædicetur de hoc homine, non tamen prædicatur de illo, tanquam de subiecto essentiali attributionis, sed tanquam de subiecto accidentario inhæsionis.

Duæd. bitatio. Offerunt se præterea circa eandẽ diuisionem duæ aliæ dubitationes explicandæ, prima est, an differentiæ contineantur sub ista quadrimẽbri diuisione. Cui dubitationi possumus respon. imprimis contineri illas sub primo et tertio membro, nam si fuerint differentiæ categoriæ substantiæ continentur sub primo membro, quia non sunt illæ in subiecto, & dicuntur de subiecto: si vero fuerint differentiæ accidentiũ continentur sub tertio mẽbro, quia sunt in subiecto, & dicuntur de subiecto. Deinde possumus respondere non contineri differentias sub ista diuisione, quia in illa tantùm sunt proposita ea quæ habent naturas integras, & completas, vt sunt substãtiæ vniuersæ, & accidentia vniuersa: substantiæ singulares, & accidentia singularia, atque ita cum differentiæ non sint naturæ integræ, sed partes speciei, non continebuntur sub ista diuisione.

Prima. Solut. 1. Solut. 2.

Dubi. 2. Secunda dubitatio est quare Aris. post explicatam naturam substantiæ vniuersæ in vno membro, statim in secundo explicat naturam accidentis singularis, & non explicat naturam substantiæ singularis, vel accidentis vniuersi. Huic dubitationi respon. Simplicius Arist. consulto hunc ordinem obseruasse, quia cũ omnis diuisio fieri debeat per membra contraria, & accidentia singularia

Solutio.

ria contrarientur substantiis vniuersis, quia substantię vniuersæ nõ sunt in subiecto, dicuntur tamen de subiecto, accidentia vero singularia sunt in subiecto, & non dicuntur de subiecto, ob hanc causam primo diuisit id quod est, in substantias vniuersas, & accidentia singularia. Rursus cum substantiæ singulares, & accidentia vniuersa sibi inuicem contraria existant, proinde secũdo loco diuisit id quod est in accidentia vniuersa, & substantias singulares, esse autem illa inter sese cõtraria, ex eo constat, quia accidentia vniuersa & sunt in subiecto, & de eo dicuntur: substantiæ vero singulares neque sunt in subiecto, neque dicuntur de illo.

QVAESTIO II. AN SIT optima diffinitio eius quod est, esse in subiecto, proposita ab Arist.

HAnc diffinitionem illustriorem multo reddemus quibusdam argumentis, quæ aduersus ipsam fieri solent in medium adductis, ex quorum solutione luce clarius illa explicata remanebit. Primum est. Totum est in partibus, & non tanquã pars, & à quibus nulla ratione potest separari, at totum nõ est in partibus tanquam in subiecto: ergo diffinitio eius cp est esse in subiecto ab Arist. tradita non erit accommodata, cum competat aliis à re diffinita.

1. Arg.

Secundum. Forma est in materia non tanquam pars, quia forma iuxta omnes Philosophos non est pars materiæ, & à qua separari non potest (vna anima rationis participe excepta) sed forma non est in materia sicut in subiecto, quia illud quod est in subiecto habet esse à subiecto, forma autem non habet esse à materia prima, imo è contra, ergo diffinitio eius, quod est, esse in subiecto non erit accommodata cũ conueniat formæ, quæ non est in subiecto.

2. Arg.

Præterea. Locatum est in loco, & id quod tempore metitur est in tempore, & non potest locatum à loco separari, neque temporaneum à tẽpore: at locatum non est in loco tanquam in subiecto, neque temporaneum in tempore, vt est apertum, ergo proposita diffinitio non erit accommodata cum competat alteri à re diffinita.

3. Arg.

Iterum Creaturæ sunt in Deo, & non tanquam partes, à quo nulla ratione possunt separari, at creaturę non sunt in creatore tãquam in subiecto, ergo proposita diffinitio erit vitiosa.

4. Arg.

Iam. Odor est in pomo tanquam in subiecto, qui tamen separatur à pomo, & transit in manum, non ergo recte dictum est ab Arist. in proposita diffinitione, quod est in aliquo tanquam in subiecto non posse separari à subiecto.

5. Argu.

Quot modis aliquid sit in alio.

Antequam argumenta ista proposita diluamus animaduertendum est ex diuo Seuerino Boetio octo esse modos, quibus aliquid in alio esse contingit, quos ille ex Arist. 4. li. physico. cap. 3. collegit. Primus est quo totum est in partibus, secũdus quo partes dicuntur esse in toto, tertius quo species sunt in genere, quartus quo genera sunt in speciebus: quintus quo forma est in materia: sextus quo regnum est in rege: septimus quo media sunt in fine, octauus quo aliquid est in loco, vt aqua in vase. Præter quos octo modos quibus aliquid dicitur esse in alio, datur alius peculiaris, qui solus (illis prætermissis) ad præsens attinet institutum, qui est, quo aliquid in alio tanquã in subiecto dicitur esse conten

Universidad de Deusto Biblioteca

contentum, diffinituruque ille accu ratissime ab Arist. in hoc loco in hæc verba: *In subiecto autem esse dico, id quod in re aliqua inest, non tanquam pars, nec potest seiunctum ab eo in quo est, consistere* Quæ diffinitio est accidentis prædicamentalis, vel categoriæ explicans illius vim & naturam, cõstatque tribus particulis. Prima est, in aliquo, quæ iuxta Simplicium intelligi debet, primo in aliquo vno & non in multis: deinde in aliquo composito integro, & absoluto. Secunda particula est. *Non tanquã pars.* Per quam separatur forma a ratione accidẽtis, eo quod forma est pars totius cõpositi. Tertia particula est. *Nec potest seiunctum ab eo in quo est consistere.* Per quam separantur a ratione accidentium omnia quæ in loco, & in tempore esse dicuntur, quia quæ sunt in loco & in tempore separari possunt ab hoc loco, & ab hoc tempore in quo sunt: at accidentia nulla ratione esse possunt absque subiecto, in quo semel esse cæperũt.

Ad 1. argumen. Ad primum igitur argu. respon. in diffinitione proposita intelligendam esse illam particulam *esse in aliquo* addito pronomine vno, quę particula si sic fuerit intellecta, proposita diffinitio toti nullo modo potest conuenire, quod non est in aliquo vno, sed in multis partibus vt optime respõ. Simplicius.

Ad 2. Ad secundum respon. imprimis formam esse partem totius compositi, quamuis non sit pars materiæ, & ita non esse in subiecto, nam per participulam illam secundam, *non tanquã pars* debemus intelligere vel subiecti, vel totius compositi. Resp. dein de cũ Simplicio in diffinitione proposita sub illa particula, esse in aliquo, intelligi totum compositum integrum, & perfectum, ita vt esse in subiecto, sit esse in aliquo toto composito, quod est perfecta substantia, vt albedo est in Socrate qui est perfecta substantia, at vero materia nõ est substantia composita, neque perfecta, vnde quamuis forma sit in illa, non tamen dicitur esse in subiecto quia non est in aliquo.

Ad 3. Ad tertium dicimus primo locatum posse separari ab hoc, vel illo loco, & temporaneum ab hoc, vel illo tempore, quamuis nequeat vtrũque eorum separari à loco, vel à tẽpore in communi: illud vero quod est in aliquo tanquam in subiecto, ita est in vno subiecto determinato, vt ab eo, in quo semel esse cæpit nunquam possit remoueri. Resp. 2. cum Simplicio particulã illam, esse in aliquo, in 1. p. diffinitionis contẽtam denotare, inhærentiam eius, quod est in subiecto, ad subiectum cui inhæret, ita vt esse in aliquo sit alicui subiecto inhærere, at locatum non inhæret loco, neque temporaneũ inhæret tempori: & ita quamuis non possint hæc vel à tempore, vel à loco separari, non dicentur esse in iis tanquam in subiecto, neque illis vllo modo adaptabitur diffinitio eius quod est esse in subiecto.

Ad 4. Ad quartum resp. in diffinitione proposita per particulam illam *esse in aliquo* intelligendum esse inhærere subiecto: vnde cum creaturę non inhæreant Deo, non conuenit creaturis proposita diffinitio.

Ad 5. Ad quintum respondent quidam odorem pomi nunquam separari à subiecto: nam semper est vel in pomo, vel in manu, vel in veste. Vnde quãuis separetur à subiecto in quo antea erat, non tamen separatur à subiecto, in quo nunc est, vt quamuis separetur a pomo, in quo antea erat, non tamen separatur a manu, in qua nunc est. Hæc tamen solutio iure optimo displicet Ammonio, & Simplicio, sequeretur enim ex illa accidẽtia migrare de subiecto in subiectum, quod est absurdum, nã cum pomum, & manus sint diuersa subiecta, si idem odor qui est in pomo esset postea in manu, migraret odor de subiecto in subiectum. Vnde respondendum est duplex esse subiectum odoris vnum per se, & alterũ per accidens, subiectum per se sunt partes quædam tenuissimæ pomi, subiectum vero per accidens est pomum, vel manus. Vnde quamuis separetur odor à subiecto per accidens, vt a pomo, vel a manu, non tamen separatur a subiecto per seinam quando transit de pomo ad manum, exhalantur partes illæ renuissimæ in quibus est odor, & trãseunt ad pomum. Exhalari autem huiusmodi partes ex eo possumus colligere, quia quanto magis pomũ manibus contractamus, eo plures contrahit illud rugas, eoque magis marcescit, tanquam sint ab ipso subtiliores partes (in quibus inhærebat odor) exhalatæ.

De duobus præceptis caput quintum.

ARGVMENTVM CAP.

ABsolutis tribus diffinitionibus, duo præcepta præfatur in hoc cap. ad eandem categoriarum tractationem necessaria.

A Cvm alterum de altero tanquã de subiecto dicitur, quicquid de attributo dicitur, id omne de subiecto quoque dicetur. Veluti quia homo de quopiam homine dicitur, & animal de homine: ob eam etiam causam animal de singulis hominibus dicetur. Singuli enim homines, & homines sunt & animalia. B. Quando genera diuersa sunt, nec unũ ab altero continetur, eorum etiam differentiæ specie differunt, ut animalis & scientes. Animalis enim differentiæ sunt terrenum & bipes, & uolucre, & aquatile: at nero harum nulla scientiæ. Quoniam inter scientiam & scientiam hoc ipso quod bipes sit, nihil inest. Eorum autem generum, quorum unũ sub altero continetur, nihil prohibet easdem esse differentias. Nam superiora genera de iis quæ iis subiecta sunt generibus dicuntur. Ita fit, ut omnes quæ sunt attributi subiecti etiam sint futuræ differentiæ.

COMMENTARIA.

HActenus de diffinitionibus, tradit iam duo præcepta in hoc capite ad categorias intelligendas omnino necessaria. Primum est A. *Cum alterum de altero tanquam de subiecto dicitur, &c.* Quando aliquod attributum dicitur de aliquo tanquam de subiecto, quæcunque dicũtur de attributo secundum essentiam, dicuntur etiam de subiecto. Hoc præceptum exemplo satis aperto, & familiari possumus illustrare. Homo dicitur de quodam homine (nimirum de Petro) secundum essentiam 1. Præc.

tiam, de homine vero secundum essentiam dicitur animal, quare & animal de quodam homine (vt de Petro) dicetur secundum essentiam, nã quidam homo secundum essentiam & est homo, & est animal.

2. Præceptum. B. *Quando genera diuersa sunt, &c.* Secundum præceptum. Quando sunt aliqua genera, quorum vnum sub altero non continetur, sunt quoq. illorum generum diuersæ specie differentiæ: si vero vnum genus sub altero comprehensum fuerit, sunt illorum eædem differentiæ. Explicat Arist. primam partem huius regulæ exemplo satis accommodato, animal enim inquit, & scientia sunt diuersa genera, quorum vnum sub altero non cõtinetur, nam animal cõtinetur in categoria substantiæ, scientia vero in categoria qualitatis, & ita sunt differentiæ specie diuersæ animalis, & scientiæ: nam animal diuiditur in volucre terrestre, & aquatile, scientia vero in angelicam, diuinam & humanam. Secunda pars regulæ erat, si vero vnum sub altero contineatur, possunt habere easdem differentias, vt animal, & corpus animatum sunt genera diuersa, quorum vnum sub altero continetur, nam animal continetur sub corpore animato, & ita habent easdem differentias, nam differentia corporis animati sunt corporeum, & vitæ particeps, quæ eædem sunt differentiæ animalis, nam animal est substantia corporea, & vitæ particeps. Confirmat autem Atisto. hanc regulam ex superiori ad hunc modum, quando aliquid dicitur de aliquo attributo secundum essentiam, idem quoque dicitur de subiecto illius, sed differentiæ generum superiorum dicuntur de ipsis secundum essentiam, ergo cum genera inferiora continentur secundum essentiam sub generibus superioribus eędem differentię superiorum, prædicabuntur quoq. de generibus inferioribus. Et ita quando duo genera erunt ita inter se affecta, vt vnum contineatur sub altero, obtinebunt easdem differentias. Hæc regula est proposita ab Arist. vt intelligamus eorum, quæ cõtinentur in eadem categoria, easdẽ esse differentias: aliorum vero quæ continentur in diuersis categoriis esse diuersas differentias.

Scholia in hoc cap. de præceptis.

Obser. 1 A 1. Simplicius in commenta. Porphy. in interrog. cap. 35. & quidam alij existimant hoc præcepto Arist diffinire quid sit dici de subiecto, nam cum in cap. superiori proposuerit diffinitionẽ eius quod est esse in subiecto reliquũ erat, vt proponeret etiam diffinitionem eius, quod est dici de subiecto. Vnde dici de subiecto nihil aliud erit, quam ita de aliquo dici, vt quæcunque attributo conueniãt, de subiecto quoque prædicentur. Cæterum hæc sententia non videtur esse accommodata, quia in hoc præcepto nullam obseruat Arist. formam diffiniendi, sed legis cuiusdam, quare cum Ammonio in commenta. & cum B. Alber. Mag. tracta. 1. huius operis cap. 6. arbitramur hanc esse suppositionem quandam, ad modum præcepti traditam, ad categorias intelligendas maxime vtilem.

Obser. 2 A. 2. Huic præcepto duo alia adiunguntur, primum ab Arabibus Auicenna, & Algazele. Quando aliquod attributum negatur ab aliquo subiecto secundum essentiam, negatur quoque ab iis, quæ sub tali subiecto sunt comprehensa: vt quia de animali negatur secundum essentiam

tiam lapis, negatur etiam de homine, qui sub animali continetur. Dictum est autem secundum essentiã, nam si fuerit attributum accidentarium, quamuis negetur ab aliquo subiecto, non est necesse vt negetur ab iis quæ continentur sub tali subiecto. Vnde cum esse speciem infimam sit attributum accidentariũ, quamuis negetur ab animali non tamen negatur ab homine.

Secundum præceptum est traditum á Latinis interpretibus quod est huiusmodi. Quando aliquod attributum dicitur accidentario de aliquo subiecto, quæcunque dicuntur secundum essentiam de attributo, dicuntur etiam de subiecto accidentaria tamen ratione, vt quia albedo dicitur accidentario de homine, & disgregare visum, dicitur secundum essentiam de albedine, dicetur etiam disgregare visum de homine accidentaria quadam ratione.

4. Obseruat. B. Animaduertunt Simplicius, & Ammonius Aristo. consulto adhibuisse illam particulam, *specie diuersæ differentiæ*, quia quamuis sint aliqua genera quorum vnum sub altero non contineatur, optime possunt illa habere easdem differentias secũdum analogiam, & proportionem, vt animal, & instrumenta rebus domesticis deseruientia, sunt generadi uersa, quæ tamen duo habent easdem differentias secundum analogiam, nam differẽtiæ animalis sunt habere pedes, & non habere pedes, homines enim, & equi habẽt pedes, angues vero & serpentes carent illis, quæ duæ differentiæ reperiuntur etiam in instrumentis domus, quia quædam sunt apoda, id est nõ habentia pedes, vt sartagines cacaba, & ollæ, alia vero habent pedes, vt lecti, scamnum, & subsellia. Cæterum hæ differentiæ non sunt eædẽ secundum speciem, quia alia est ratio pedis in animali, et alia in scamno, sunt tamen eędem secundum analogiam, nam quam proportionẽ seruat pes animalis ad animal, eandem obtinet pes scamni ad scamnum.

Obser. 3 B. 2. Ammonius in commenta. putat secundum partem huius præcepti tam ad differentias constituentes, quã ad diuidentes esse referendam alia tamen, et alia ratione: nam si ad constituentes referatur est hęc pars secundum necessitatem intelligenda, necessario siquidem differentiæ constituentes genera superiora debent de generibus sub illis contentis prædicari, vt corporeum, et particeps vitæ sunt differentię constituentes corpus, et corpus animatũ, quæ necessario de animali (quod sub illis continetur) prædicantur. Si vero referatur ad differentias diuidentes, non est hæc pars prȩcepti secundum necessitatem intelligenda, sed secundum possibilitatem. Non quidem secundum necessitatem, quia differentiæ diuidentes corpus animatum, quæ sunt particeps sensus et expers, non diuidunt animal, quod sub corpore animato continetur. Secundum possibilitatem vero quia potest aliquando ita euenire, vt sint eędem differentię diuidentes generis superioris, et subalternati, quod sub illo continetur, maxime vero si fuerint differentiæ accidentariæ: nam pasci vel seminibus, vel carnibus, vel herbis, differentiæ sunt accidentario diuidentes animal, quę eędem sunt quoque differentię diuidentes volucre, quod sub animali tanquam sub genere continetur, ex volucribus siquidem

quædam pascuntur seminibus, alia herbis, et alia carnibus.

*

QVAE

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVAESTIO I. AN PRIMum præceptum sit uerum ne ne?

EXaminem⁹ sintne vera hæc duo præcepta necne: Non enim desunt argumenta, quibus illa euerti, ac penitus labefactari videantur. Im primisque aduersus primum præceptum (quod in hac quæstione examinare instituimus) est primum ar
1. Arg. gu. Animal dicitur de homine tanquam de subiecto, sed non quæcunque dicuntur de animali dicuntur de homine, nam de animali dicitur esse genus, quod non dicitur de homine, non ergo quando aliquid dicitur de aliquo tanquam de subiecto quæcunque dicuntur de attributo dicuntur quoque de subiecto.

2. Arg. Secundum. Rationis particeps dicitur de homine tanquam de subiecto, sed non quæcunque dicuntur de rationis participe dicuntur quoque de homine, ergo &c. Confirmatur assumptio. De rationis participe dicitur esse substantiam incompletam (nam est differentia) at omnis differentia substantialis est substantia incompleta: sed hoc attributum non dicitur de homine, neque enim ille est substantia incompleta, cum sit integra, & absoluta natura: ergo non quæcunque dicuntur de rationis participe, de homine quoque dici possunt.

3. Argu. Præterea. Homo dicitur de Socrate tanquam de subiecto, sed nō quęcunque dicuntur de homine dicuntur de Socrate, ergo &c. Confirmatur assumptio. De homine dicitur non esse Socratem quia homo non est Socrates, at hoc non dicitur de Sōcrate, ergo aliquid dicitur de homine quod non dicitur de Socrate.

4. Arg. Adhæc, Scientia dicitur de Grammatica, & Medicina tāquam de subiectis: sed non omnia, quæ dicuntur de scientia, dicuntur de Medicina, nam esse relatum dicitur de scientia, vt auctor est Arist. in Categoria relatorum, quod non dicitur de Medicina, vt idem docet in categoria qualitatis: ergo ruit præceptum ab Arist. propositum.

Explicatur opinio Aristo.

His & aliis leuioribus argumentis labefactari videtur hæc regula proposita ab Arist. Verum illa non debent nos commouere quominus sententiam Aristo. verissimam esse arbitremur, quæ innititur illi principio lumine naturæ notissimo, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, cui certe inniti. Perfacili satis exemplo fiet manifestū. Sumamus animal, quod dicitur de homine tanquam de subiecto, sumamus etiam corpus animatum, quod de animali effertur, profecto corpus animatum, & homo sunt idem vni tertio nimirum animali, nam & homo eadem res est cum animali, & corpus itidem animatum, ac proinde poterit corpus animatū quod est superius ad hominem, vere de homine enunciari propter idē ptitatem inter vtrumque interuenientem, quæ est fundamentum veræ attributionis nam quidquid est idem cum alio & eo superius, vere potest de illo dici Hoc quidem absq. vlla controuersia omnibus suffragantibus est concessum: quare tota controuersia est de modo explicandi hanc regulam, & præceptum, & qua ratione intelligi illud debeat sunt enim in re hac discrepantes inter se interpretum sententiæ.

1. opin.

Burleus nobilis Philosophus, qui (præter nomen) nihil aliud ridiculum habere videtur, putat intelligendam esse regulam de omnibus attributis tam essentialibus, quam accidentariis. Ita tamen vt addatur attributo nota vniuersa omnis, quę certe

certe si addita fuerit, verum erit quæcunque dicuntur de attributo, dici etiam de subiecto. Imprimisq. si attributum fuerit essentiale regula est absque vlla cōtrouersia admittenda, etenim si particeps sensus dicitur de omni animali, & animal dicitur de homine, & particeps sensus de eodem quoque dicetur. Deinde veram esse in attributis accidentariis hoc alio exemplo perspicuum satis fiet, nam si coloratum dicitur de omni animali, & animal dicitur de homine, etiam coloratum dicetur de homine, vt est apertum satis & manifestum. Hanc eandem interpreta. ante Burlæum grauissimi interpretes Arist. Simpli. in commenta. & Dexippus lib. 1. quæst. in catego. cap. 14. non obscure indicarunt.

2. Inter. Secunda interpretatio est Andronici Rhodij, vt auctor est Simpli., & B. Alberti Mag. tracta. 1. Catego. cap. 6. intelligendum esse præceptū de attributione alicuius vocis prædicabilis ex quinque propositis à Porphy. Itaque si aliquid prædicetur de aliquo tanquam de subiecto prædicatione generis, speciei, differentiæ, proprij, vel communis accidentis, quidquid dicetur de attributo dicetur quoque de subiecto. Addunt Arabes, Auicenna, & Algazel intelligendam esse regulam non tantum de attributis harum quinque vocum positiuis, sed etiam de aliis attributis negatiuis. Vt quia animal dicitur de homine, & non particeps sensus quod est attributum negatiuum, negatur ab animali, non particeps sensus ab homine quoq. negabitur.

Reiicit. Cæterum ex hac interpretatione non videntur omnino dissolui difficultates quas in initio proposuimus. Nam Genus dicitur de animali prædicatione quinti prędicabilis, accidit enim animali esse genus, quod tamen attributum non dicitur de homine de quo animal prædicatur.

3. Inter. Tertiam interpretationē proponunt Venet. in hoc loco & Tolet. intelligendū esse præceptūde attributione essentiali siue in quid, siue in quale, ita vt sensus sit, quando aliquid dicitur de aliquo secundum essentiam siue inquid, vt genus & species, siue in quale, vt differentia, quæcunque dicuntur de attributo, dicuntur quoque de subiecto, vt quia homo dicitur de Petro secundum essentiam, & in quid, & animal dicitur de homine, etiam animal dicetur de Petro: & quia animal dicitur de homine secundum essentiā, & inquid, & sentiens dicitur de animali secundum essentiam, & in quale, sentiens etiam de eodem homine dicetur.

Reiicit. Verum neque hæc interpretatio est ex omni parte vera, neque ex illa dissolui potest argu. quod secundo loco proposuimus, nam ita ago. Rationis particeps dicitur de homine tanquam differentia in quale secundum essentiam, sed non quæcū que dicuntur de rationis participe etiam secundum essentiam dicuntur de homine, non igitur semper quando aliquid dicitur de aliquo secundum essentiam quęcunque dicuntur de attributo, dicentur quoque de subiecto. Cōfirmatur assumptio. De rationis participe dicitur secundum essentiam esse substantiā incompletam, nam cum sit substantia secundum essentiam, & non sit substantia integra, vel completa, erit profecto substātia incompleta. Et certe cum obtineat rationem partis de ratione illius erit esse substātiam incompletam: at hoc attributum homini conuenire nullo modo potest, nam est ille integra, absoluta, & completa substantia, quare

Universidad de Deusto
Biblioteca

non omnia quæ dicuntur secundũ essentiam de rationis participe, de homine etiam dici poterunt.

4. Interpreta. His igitur duabus interpretationibus confutatis, dicimus cum Simpli. Ammonio, M. Soto & aliis intelligendum esse præceptum de iis quę dicuntur de subiectis secundum essentiam, & inquid, vel quod idem est de iis quæ dicuntur de subiectis in recta serie categoriæ. Quare tantum intelligi debet regula de generibus, & speciebus, quæ in recta serie categoriæ de suis subiectis prædicãtur: vnde sensus regulæ erit, quæcũque tanquam genera, vel tanquam species, dicuntur de aliquo, vt de subiecto quidquid de attributo dicetur secundum essentiam, dicetur quoque de subiecto. Et quidem cũ hæc præcepta eo tradita fuerint ab Aristo. vt intelligamus qua ratione de se inuicem prædicentur ea quæ in categoriis cõtinentur, in quibus primo, & per se tantum genera, species, & indiuidua comprehenduntur, profecto non videbitur alienũ ab instituto, & mente Arist. imo maxime illi accommodatum, regulam hanc ita limitare, vt tantum de generibus, & speciebus, sit intelligenda, vel de iis quæ in recta serie categoriæ continentur, & non de aliis quæ in latere continentur, quales sunt differentiæ. Ex his interpretationibus hæc vltima videtur verior, & magis Arist. accommodata, quamuis neque Burlęi contemnenda esse videatur.

Ad 1. argumen. Igitur ad argumenta quæ in principio proponebamus iuxta hanc nostram interpretationem facilis est solutio. Nam ad primum respond. esse genus non esse attributum essentiale animalis, sed accidentariũ, ac proinde quamuis dicatur de animali, non propterea dicetur de homine. Vel iuxta interpretationem Dexippi, & Burlęi dicere possumus esse genus non dici de omni animali, & ita neque dici de homine, nam regula non est absolute intelligenda, sed quando illud quod dicitur de attributo dicitur de eo cum hac nota vniuersa omnis, quod si non ita dicatur non est necesse, vt quæcunq. dicuntur de attributo dicantur quo que de subiecto.

Ad 2. Ad secundum respond. negando consequentiam, nam regula iuxta nostram opinionem tantum intelligi debet de generibus, & speciebus, quæ in recta serie categorię continẽtur, at rationis particeps, & quæcunque aliæ differentiæ non in recta serie, sed ad latus collocantur. Et ita non est necesse vt quæcunque dicũtur de differentiis dicantur etiamde subiectis, de quibus ipsæ differentię prædicantur.

Ad. 3. Ad tertium respon. cum Dexippo intelligendam esse regulam de attributis positiuis, & secundum essentiam, at non esse Socratem non est attributum positiuum, & essentiale hominis, ac proinde quamuis dicatur de homine, & homo dicatur de Socrate tanquam de subiecto non propterea esse non Socratem dicetur de Socrate.

Ad 4. Ad quartum respon. etiam esse relatum dici de Grammatica, & Medicina, possunt enim hæc sumi, aut in propria, & peculiari ratione, vt exprimuntur nomine Grammaticæ, & Medicinæ, aut in ratione communi scientiæ. Vnde quamuis primo modo esse relatum non dicatur de Grãmatica, vel Medicina, vt ex hac auctori. Arist. proposita colligi potest: verum altero modo dicitur de illis, vt idem Arist. testatur lib. 5. Metap. cap. 15. inquiens quædam esse relata ratione sui generis, quia nimirum ipsorum genus ad aliud refertur, vt Medicina quippiam relatũ est, quia scien-

scientia quę est illius genus inter naturas relatas continetur.

QVAESTIO II. SITNE uerum secundum præceptum propositum ab Arist.

SEcundum præceptum ab Arist. propositum huiusmodi erat, *Quando genera sunt diuersa nec vnum ab altero continetur eorum etiam differẽtiæ specie differunt, &c.* Aduersus quod præceptum sese offerunt nonnullæ difficultates, & argumenta quorum

1. argu. primũ est. Volucre & terrestre sunt genera diuersa, quorum vnum sub alio non cõtinetur, sed horum sunt eædem differentiæ, ergo falsum est quod inquit Aristo in prima parte præcepti, quando genera sunt diuersa, nec vnum sub alio continetur esse specie diuersas differentias. Confirmatur assumptio. Primo. Differẽtiæ animalis terrestris sunt bipes, & quadrupes, nam ex terrestribus quędam sunt bipeda, vt homo, & alia quadrupeda, vt equus, & leo, sed hę eædem sunt differentiæ volucris, nam ex volucribus quędam sunt bipeda animalia, vt perdices, gallinę passeres, &c. & alia quadrupeda, vt de Grypho ferunt, qui inter reliquas volucres quatuor habet pedes.

2. Arg. Secundum. Corpus quod continetur in categoria substantiæ, & illud quod continetur in categoria quantitatis, sunt genera diuersa, sed illorum sunt eædem differentiæ, nã differentiæ corporis quod continetur in categoria quantitatis sunt lõgitudo, latitudo, & profũditas, quæ certe eædem sunt differentiæ corporis quod cõtinetur in categoria substantiæ, falsum igitur est diuersorũ generum, quorum vnum sub alio non continetur non esse easdem specie differentias.

3. Arg. Tertium. Genera suprema sunt diuersa genera, quorum vnum sub alio non continetur, at illa nullas habent differentias quibus inter se distinguantur, sunt enim primo diuersa, quorũ nullæ possunt esse differentiæ, ergo ruit præceptum Aristotelicum diuersorum generum, quorum vnum sub alio non continetur esse diuersas specie differentias.

4. Arg. Præterea, aduersus secundam partem eiusdem præcepti est quartum argumentum sentire est differentia animalis, sed illud non est differentia corporis animati, sub quo animal continetur, non enim omne corpus animatum est particeps sensus: ergo falsum est quod inquit in 2. p. præcepti, si vero vnum sub altero contineatur erunt eædem specie differentiæ.

5. Argu. Iam. Homo continetur sub animali secundum essentiam tanquam sub genere subalterno, sed nõ sunt eædem differentiæ hominis, & animalis, falsum igitur est quando vnũ sub alio cõtinetur secundum essentiam esse easdem specie differẽtias.

Opinio Nicostrati. His & aliis huius generis argumẽtis sectatores Nicostrati, vt auctor est Simplicius, vtebantur aduersus hanc regulam ab Arist. propositam, quibus tamen idem Simplicius, Ammonius, Boetus Gręcus, Herminus, Dexip. & alij occurrerunt, quibus vt & nos satisfacere possimus erunt nonnulla breuiter prius proponenda. Primum est ex cap. de differentia petitum differentias generum quasdam esse diuidentes, & alias constituentes, v. g. differentiæ diuidentes animal, sunt rationis particeps, & expers: constituentes vero sunt corporeum, particeps vitæ, & sensus: Inter quas hoc interest, quia consti-

Obs. 1. a

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuentes de qualibet specie sub genere comprehensa seorsum prædicantur, vt corporeum, particeps vitæ, & sensus, de homine, & bruto seorsum prædicantur, at diuisiuæ non coniunctim, sed disiunctim de speciebus quæ sub genere continentur dici possunt, vt particeps, & expers rationis, non coniunctim, sed disiũctim pro altera nimirum parte (quæ est particeps rationis) dicuntur de homine.

2. Obscura. Secundum, quod proponimus est tribus modis aliqua genera posse esse diuersa. Primo quia sunt in diuersis categoriis comprehensa, vt animal & numerus sunt ita genera diuersa, quia animal in categoria substantię, numerus vero in categoria quantitatis continetur. Secundo, quando vnum sub altero non continetur, quamuis vtrumque sub limitibus eiusdem Categorię sit comprehensum, vt sunt animal risibile, & volucre, vtrumque siquidem sub animali comprehenditur, vnum tamen sub altero contineri nullo modo potest, & idem iudiciũ est de potentia naturali et figura, quę sunt duo genera, quorum vnum sub alio non continetur, vtrumque tamen sub limitibus categorię qualitatis est comprehensum. Tertio, illa sunt diuersa genera quę & intra limites eiusdem categorię continentur, et sunt ita inter se affecta, vt vnum sub altero comprehendatur, vt sunt animal viuens, et corpus, et denique omnia illa, quae intra seriem eiusdem categoriae collocantur.

1. Conc. Quibus ita propositis hanc regulam his assertionibus explicamus, sit prima. Si genera fuerint diuersa primo modo, ita vt in diuersis categoriis collocentur, non poterunt esse illorum eędem differentię simpliciter, et absolute, neque diuidentes, neque constituentes. Hæc est aperta, ab omnibusque concessa, confirmarique potest, quia in qualibet categoria datur propria potentia datur etiam proprius actus, quę duo ita sunt inter se impermixta, vt actus qui coercet, et limitat potentiã generis alicuius categoriae, non possit coercere, aut limitare potentiam generis alteri⁹ categoriae, vt auctor est Arist. 12. Metaph. cap. 4. sed differentiae sunt quidam actus limitãtes, et coercentes potẽtiam generis, ergo diuersorum generum, quae in diuersis categoriis continentur, nõ poterũt esse eędem differentiae simpliciter et absolute. Dictum est simpliciter et absolute, quia secundum analogiam bene poterunt esse eædem differentiae, quę in diuersis categoriis continentur: vt iam monuimus ex Simplicio, & Ammonio in scholiis. Nam animal, et instrumenta domestica in diuersis categoriis continentur, animal enim in categoria substantiae, instrumenta vero in categoria qualitatis sub figura cõtinentur, quorum tamen sunt eædem differentiae secundum analogiam, nam differẽtiae animalis sunt habere pedes, et non habere illos, equi enim et leones habent pedes: angues vero, et serpentes non habent, quæ sunt etiam differentiae secundum analogiam instrumentorũ domus, nam ex instrumentis, quædam habent pedes, vt lecti, scamna, et subsellia, et alia non habent, vt ollæ, et sartagines.

Secunda conclusio. Si fuerint genera diuersa secundo modo, ita vt neutrum sub altero cõtineatur, ambo vero contineantur sub eodem tertio, recte poterunt esse eædem differentiae, quamuis hoc non sit semper necesse, neque possit omnibus huiusmodi generibus accommodari. Imprimis recte posse easdem differentias obtinere, exemplo satis facili possumus ostendere, nam animal volucre, & terrestre sunt genera ita diuersa, quorum tamen sunt eædem differentiæ, & diuidentes, & constituentes, nam bipes, & quadrupes sunt differentiæ diuidentes animal terrestre, & cõstituentes eius species, nimirum hominem qui est bipes, & bouẽ, qui est quadrupes, quæ eædem diuidunt etiam animal volucre ex volucribus siquidem quædam sunt bipeda animalia, vt aquilæ, anseres, & perdices: & alia sunt quadrupeda, vt gryphus, auctore Simplitio. Cæterum nõ semper hutusmodi genera habere easdem differentias diuidentes, & constituentes, cõstat imprimis in categoria substãtiæ, de substantia corporea & incorporea quarum vtraque, sub substantia, tanquam sub eodem genere continetur: at neutrius possunt esse eædem differentiæ, neque diuidentes, neque constituentes. Cõstat deinde de numero & linea quæ sunt genera sub quantitate comprehensa tanquam sub tertio aliquo genere, quorum tamen nullo modo possũt esse eædem differentiæ constituentes, & diuidentes, nam par, & impar sunt differentiæ numeri, & non lineæ.

2. Conc. Secunda conclu. Si fuerint genera diuersa secundo modo, ita vt neutrum sub altero cõtineatur, ambo vero contineantur sub eodem tertio, recte poterunt esse eædem differentiae, quamuis hoc non sit semper necesse, neque possit omnibus huiusmodi generibus accommodari.

3. Conc. Tertia conclu. Si fuerint genera diuersa tertio modo, ita vt vnũ sub altero intra rectam seriem categorię contineatur, quod idem est, ac esse genera subalternatim posita erunt eædem differentiæ constituẽtes, id que necessario, non tamen diuidentes, quamuis & aliquando possint esse communes. Primam partem de constituentibus confirmat Arist. in contextu aperto satis, & facili argumento, quia hæ differentiæ dicũtur secundum essentiã de generibus superioribus, sed quidquid dicitur de superioribus secundum essentiã dicitur quoque de inferioribus, ergo & hæ differentiæ cõstituentes genera superiorum dicentur quoq. de generibus inferioribus quæ sub illis continentur. Præterea de diuidentibus non necesse esse easdem generũ superiorum, & inferiorum quæ sub alternatim collocantur, constat hoc exemplo satis manifesto, quia particeps & expers sensus sunt differẽtiæ diuidentes corpus animatum, quæ certe non diuidunt animal, quod sub corpore animato tanquam genere continetur, ergo non erunt necessario eædem differentiæ diuidentes generum superiorum, & illorũ quæ sub eis continentur. Esse tamen aliquando easdem differentias Simplicius, & Ammonius profitentur proponentes exemplum de animali, & volucri, quod sub animali continetur, quorum eędem sunt differentię diuidentes, nam pasciherbis, semini bus, vel carnibus differentiæ sunt animalis, quæ etiam sunt volucris, vt in scholiis admonuimus. Et hoc indicare videntur verba illa Arist. *Nihil prohibet easdem esse differentias*, quæ certe præferunt aliquãdo horum generum posse esse easdem differentias, quamuis non semper hoc ita eueniat.

Iam ad arg. Ad 1. resp. q quamuis hæc duo non contineãtur intra se, vtrũq. tñ continetur sub eodem, nã volucre, & terrestre continẽtur sub animali, ac proinde poterũt habere easdem differentias diuidentes. Ad 1. arg.

Ad 2. resp. negando assumptionẽ, nam differentiæ corporis quod continetur in categoria quãtitatis sunt longum, latum, & profundum, quæ non sunt differentiæ corporis quod continetur in categoria substantię, nam si de differentijs huius agamus constituentibus, non sunt aliæ quam esse naturam cui debetur hęc trina dimensio: si vero diuiden- Ad 2. arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tes contemplemur, sunt esse particeps, & expers vitæ, omne siquidem corpus, quod in categoria substantiæ continetur vel est particeps vitæ vel expers.

Ad 3. Ad tertium respon. nomine differentiarum diuidentium, nonsolum esse intelligendas veras, & legitimas differentias, sed etiam modos internos essẽdi, quare licet genera suprema non habeant veras & legitimas differentias, quia tamen habent modos internos erunt eorum differentiæ diuersæ specie.

Ad 4. Ad quartum respon. cum Simplicio regulam intelligendam esse de differentiis constituentibus genera superiora, & non de differentiis inferiorum. Itaque differentiæ constituentes superiora dicuntur quoque de generibus inferioribus, quæ sub illis continentur, non tamen aliæ quæ constituunt genera inferiora, dici poterunt, de generibus superioribus: at sentire differentia est constituens animal, quod est genus inferius ad corpus animatum, atque ita non dicetur de corpore animato.

Ad quintum resp. regulam propositam intelligendam esse de differentiis constituentibus genera superiora, & non de diuidentibus, nisi eo modo quo exposuimus in assertionibus: at rationis particeps, & expers, sunt differentiæ diuidentes animal, & non constituentes: atque ita non poterunt hæ duæ differentiæ homini, qui sub animali continetur conuenire. Ad 5.

Caput sextum de diuisione entis in decem Categorias.

ARGVMENTVM CAP.

DIstributum est caput in duas partes, in quarum prima diuidit Arist. ens in decem genera suprema: in altera vero quandam proprietatem horum generum tradit, quæ est illa per se prolata, neque affirmationem, neque negationem denotare.

A. *QVæ autem planè simplicia sunt, ea uel substantiam significant, uel quantum, uel quale, uel quæ cum aliquo comparantur, uel in loco, uel in tempore, uel situm esse, uel habere, uel facere, uel pati.* Est autem substantia, ut rem exemplo adumbremus, ut homo, ut equus. Quãtum, ut quod duorum cubitorum est, quodque trium. Quale, ut album, Grammaticum. Quæ cum aliquo cõparantur, ut duplum, & simplum, ut maius. In loco, ut in foro, in Lycio. In tempore, ut cras, anno superiore. Situm esse, ut iacere, sedere. Habere, ut armatum esse, uestitum esse. Facere, ut secare, urere. Pati, ut secari, uri. B. *Nihil autem eorũ quæ enumerata sunt, per se affirmationem aut negationem faciunt: sed ex eorum mutua quadam coniunctione omnis & affirmatio & negatio nascitur. Nam & omnis affirmatio & negatio,*

tio, aut uera est, aut falsa, & nihil eorum quæ plane simplicia sunt uerum est aut falsum, ut homo, ut candor, ut currit, ut uincit.

COMMENTARIA.

VLtimum quod præstat in antecatego. Arist. est generalem quãdam, & vniuersam eius, quod est, diuisionem proponere, ea sic se habet.

A *Quæ autem plane simplicia sunt &c.* Ea quæ sunt simplicia (vt coniuncta ommitamus) sunt in decem genera suprema distributa, nam quædã significant substantiam vt homo, alia quantitatem vt bicubitum, vel tricubitum, alia qualitatem, vt Grãmatica, & candor, alia relationem vt simplum esse, & duplum: alia vbi, vt esse in foro, alia quando, vt esse hodie, vel fuisse heri, alia situ esse, vt iacere, vel sedere, alia habere vt esse vestitum, vel armatum, alia agere, vt secare, & vrere, & alia pati, vt secari, & vri.

B *Nihil autem eorum &c.* Docet dein de Arist. categorias si per se proferãtur neque significare affirmationẽ, neq. negationem: si quis enim hanc solam proferat vocem, substantia (v.g.) is neque affirmat aliquid, neque negat, quod sic confirmat Aris. Vbi est affirmatio, vel negatio, ibi est & veritas vel falsitas, at in categoriis per se prolatis neque est veritas, neque falsitas, ergo neque erit in illis affirmatio vel negatio.

Scholia in caput sextum.

Obser. 1 A 1. Hæc diuisio subdiuisio est alterius primæ diuisionis propositæ in cap. 4. nam cum ibi diuisa fuerint ea quæ dicuntur in simplicia, & coniuncta in hoc loco simplicia subdiuiduntur in decem genera suprema.

A 2. Porphy. in interrogatio. cap. 43. hanc diuisionem eo putat differre à secunda proposita in ca. 4. quod illa sit breuis, siue minima, nam in illa diuiditur id quod est, in illud quod non est in subiecto, & dicitur de subiecto &c. Hæc autem maxima sit, & latius patens, in qua id quod est immediate diuiditur in substantiam, quantitatem &c. Quare hæc diuisio eadem erit cum illa differens tantum secundum maiorem, aut minorem extensionem, vel latitudinem. Potest autem hæc diuisio & rebus, & nominibus accommodari, rebus si dicamus res quæ nomine entis significãtur, vel sunt substantia, vel quantitas, vel qualitas, &c. Si vero de nominibus fuerit intelligẽda reddet hunc sensum. Id quod nomen entis significat, vel est substantia, vel quantitas &c. Vt recte Ammonius animaduertit. Obser. 2

A 3. Herminus & alij vt testatur Simplicius putant hanc non esse veram diuisionem entis in decem categorias, sed enumerationem quandã vocis ambiguæ in sua significata, eo modo quo diuidimus canem, in cælestem, domesticum, & marinũ, in qua diuisione nullam rem diuidimus, sed tantum varias huius vocis significationes enumeramus. Fallũtur tamen, quia præter nominis cõmunicationem decem categoria (in quas ens diuiditur) habent communem rationem essendi, communem inquam, secundum analogiam, quare non erit sola enumeratio vocis ambiguæ in sua significata, verum de hac re in controuersiis quas in sectione secunda huius cap. proponemus. 3. Obseruatio.

4. Obseruat. A 4. Ammonius, & Simplicius obseruant per ea quæ sunt simplicia intelligēda esse in hoc loco tam ea quæ sunt simplicia voce, quam ea quæ sunt simplicia significatione. Vnde quæ sunt composita significatione cuius generis sunt voces omnes homonymæ, vt canis, vel lego: & ea que sunt composita voce, vt hæ orationes, homo currit, homo legit, arcenda erūt omnino à categoriis, in quibus tantum simplicia tam voce quam significatione continentur.

Obseruat. 5. A 5. Multi ex Philosophis, qui post Arist. philosophati fuerunt, vt Anthenedorus, Cornutus, Nicostratus, Plotinus & alij varias difficultates aduersus hanc diuisionem entis in decem categorias proposuerunt, superuacaneam ipsam existimātes, alij esse diminutam, minusque continentem, quam ambitus entis comprehendat, & alij eo quod quædam pro aliis fuerint in illa vsurpata, qui sane potius studio contradicendi, quam indagandi veritatem has difficultates obiecerunt. Quibus quidem abūde satis Ammonius, & Simplicius in commentariis, Porphy. in interroga. in antecatego. in cap. vlti. Dexippus 1. lib. quæst. in postrema parte, & multi alij occurrerūt: nosq in hoc loco eandem etiā prouincia assumpsissemus, nisi fuisset institutum in 2. sectio. huius cap in quæst. quadam peculiari de numero categoriarum his difficultatibus, & aliis quæ aduersus earum numerum fieri solent satisfacere.

6. Obseruat. B 1. Ammonius putat particulam illam *aut negationem faciunt* esse superfluam, & multos codices emendatiores non habere illam, sed in illis hæc tantum verba legi. *Nihil autem eorum quæ enumerata sunt per se affirmationem faciunt*. Quia inquit si prædicamenta per se prolata nullā affirmationem significant, clarum & apertum erit neque illa negationem aliquam significare, quia negatio tantum est nata fieri circa illa, circa quæ nata est fieri affirmatio, ac proinde superfluum erit adderé prædicamenta per se prolata negationem non facere, cum hoc iam in affirmatione, intelligatur. Cæterum exemplaria fere omnia, & omnes interpretes Argiropylus, Boetius, Perionius, non tantum legunt categorias per se prolatas non facere affirmationem, verum etiam, & neque efficere negationem, ac proinde hęc lectio nostri interpretis est omnino retinenda, quæ certe apertius multo explicat institutum Arist. quam alia proposita ab Ammonio.

7. Obseruatio. B 2. M. Sotus existimat Arist. instituisse docere Categorias, esse voces quasdam simplices vtentē atq id cōfirmandum hac collectione. Categoriæ per se prolatæ non significant verum neque falsum, sed quod neque verum neque falsum significat est vox simplex, ergo categoriæ erunt voces simplices. Cæterum hęc collectio (si nobis per ipsum integrum sit) nulla est, quia multæ orationes imperfectæ, vt homo albus, philosophus sapiens, neque verum neque falsum significant, quæ tamē non sunt simplices, sed compositæ voce, quare non ex eo colligere licebit aliquam vocem esse simplicem, quia non significat verum, neque falsum. Vnde verius multo respon. cum Porphy. in interroga. cap. 46. Arist. in hoc loco instituere tradere discrimen inter hunc lib. categoriarum, & lib. de interpreta. ratione materiæ subiectæ, quia in his materia subiecta est vox composita, quę significat verum, aut falsum: categoria. vero materia subiecta, est vox simplex, quæ neque verum neque falsum significat.

QVAE-

QVAEST. VNI. SINTNE *uera quæ in hoc cap. fuerunt tradita ab Arist.*

A Duersus ea quæ hoc loco proposita fuere ab Arist quasdam breuiores, & faciliores difficultates proponemus, maiores ad sectio. 2. disputa in hoc cap. omittentes. Est igitur

1. Argu. primum argum. Rationale est vox simplex, & voce, & significatione: at illud in nulla categoria continetur, nam si contineretur esset certe in categoria substantiæ, ergo non omnia quæ sunt simplicia voce, & significatione in categorijs continentur. Confirmatur assumptio. Substātia quæ constituit illam categoriā, aut est prima, aut secunda: sed rationale neque est prima substantia, cum dicatur de multis, prima vero substantia de nullo dicitur: neque secūda, quia non est genus, vel species, ergo non erit substantia.

2. argu. Secundum. Sola simplicia continentur in categoriis, *sed esse in Lyceo, vel esse in foro, vestitum esse, vel armatum esse*, sunt voces compositæ, ergo non recte Arist. proponens exempla eorum quę sunt in categoriis comprehensa, inquit esse in foro, vel Lyceo contineri in catego. vbi: & armatum, vel vestitum esse in catego habitus.

3. Arg. Præterea. Currit, & vincit, significant verum, vel falsum, nam hæc verba includunt subiecta, quæ harum actionum munera exerceār, vt currit, includit Socratem, significat que Socrates currit, & vincit, includit Alexandrum, redditq. hunc sensum, Alexander vincit, ergo falsum est quod in vltimis verbis capitis, inquit Arist. hęc 5. verba, currere & vincere neque veritatem, neque falsitatem significare.

Dubita. Iam dubitabit aliquis ob quācausam Arist. explicans singulas categorias, nō explicat illas propositis diffinitionibus, sed exemplis quibusdam, nam inquit substantiam esse, vt homo, vel equus, quantitas vt quod est, duorum vel trium cubitorum, nā rerum naturæ melius multo diffinitionibus, quam exemplis explicantur.

His tamen argumentis, & difficultatibus, ita sigillatim occurremus. Ad 1. Ad primum cum Louanien. respon. rationale, & esse substantiam, & nō esse, sumpta substantia in alia, & alia significatione, nā si sumpta fuerit, vt est diuisa contra accidens, rationale erit substantia, si autem vt significat naturam integrā in recta serie comprehensam non erit, quia non in hoc loco, sed ad latus categoriæ continetur. Vnde quādo Arist. inquit quæ sunt simplicia quædam significant substantiam, nomine substantiæ, non tantum intellexit eam quæ in recta serie categorię substantiæ continetur, sed etiam eam quæ est diuisa contra accidens, qua ratione hæc vox simplex rationale, sub substantia comprehenditur.

Ad secundum respon. admittentes esse in Lyceo, vel in foro, esse voces compositas, & contineri nihilominus in categoriis, quia quamuis sint voces compositæ, sumuntur tamen pro simplicibus, etenim cum ob penuriam vocabulorum nō possimus vti aliqua voce simplici ad explicandum aliquem hominem esse in foro, aut in Lyceo, aut habere vestem, vtimur his vocibus compositis, quæ quamuis sint compositę voce, vi tamen, & potestate sunt simplices, atque ita non tanquam cōpositis, sed tanquam simplicibus vtimur illis. Ad 2.

Ad tertium respon. cum Porphy. in interroga cap 46. hæc verba currit, & vincit sumi posse duobus modis, Ad 3.

dis, primo voce, & pronũciatione, & secundo vi atque potestate. Primo modo simplicia sunt: secundo vero composita, quare primo, neque verum, neque falsum significabunt, quia hæc simplicibus non possunt conuenire: secundo vero significabunt, quia ita sunt voces quædam compositæ. Quando igitur Arist. in quit, currit, & vincit neque verum, neque falsum significare, loquutus est de his verbis iuxta vocem & pronunciationem, non autẽ iuxta vim & facultatem, nam ita verum & falsum significant: currit enim, significat Socrates currit, & vincit, Alexãder vincit.

Ad quartam difficultatem respõ. cum eodem Porphy. in interrogat. cap. 45. Arist. ob hanc causam non explicasse categorias propositis diffinitionibus, quia cum sint genera suprema, non possunt supra se habere aliquod genus, ac proinde neque diffinitionem, quæ ex genere, & differentia coalescit. Verum quia exempla familiaria maxime illustrant id de quo est instituta disputatio, resqueipsas explicant apertissimè, tyronibus præcipue, & his qui in arte sunt parum versati, propterea Arist. catego. earumque naturam propositis quibus familiaribus exemplis explicauit. Dubitatio. explicatio

Disputatio de ente, & de his quæ in categorijs continentur, in duas sectiones distributa.

SECTIO PRIMA DE ENte, & illius analogia.

ARGVMENTVM.

POteram sanè hanc disputationem de ente iure optimo hoc in loco prætermittere, cum illam in nostra Metaphysica disputatione de Transcendentibus, iam superioribus annis euulgata, ita luculenter absoluerim, vt (nisi me mea fallũt) iis quæ ibi diximus, aut nulla, aut pauca addi posse videãtur: maximevero illis quæ ad homonymiam, synonymiam, analogiam, & conceptum entis spectãt. de quibus toto lib. 1. disseruimus. Verùm quia fortassis hi nostri libri ad aliquorum manus nõ deuenerunt, ad quos

quos deuenient hæc Commentaria, libuit iterum hanc eãdem disputationem repetere, non quidem tam diffuso sermone, & tam longa oratione, vt in illo loco præstitimus, (ne semel acta iterum agere videamur) sed breuiori, ad Anacephaleosim & breuem quandam summam illa reuocantes. Hanc igitur disputationem in quatuor partes præcipuas distribuemus, in quarũ prima de analogia in communi, in secunda de homonymia entis, in tertia de analogia. & tandem in quarta de conceptu disputabimus. Imprimisque de analogia in communi.

Secti. I. Pars I. Cap. I. Quid sit Analogia, & quot queue sint formæ ac species illius.

Qui egerint de analogis.

DE analogis egerunt primi philosophi 4. lib. metaphy. cap. 2. agentes de homonymia entis, Dialectici in cõmen. huius loci, M Sot. q. vni. de hom. Tole. q. vni. de homo. Villalpã. à Veracruce, & Ferrarien. 1. contra gentes, capit. 34. Verum qui inter omnes tractationem hanc & eruditissime & acutissime absoluit, is est Cardinalis Caieta. in illo aureo opere de nominum analogia à se ædito, & in altero opusculo de hoc eodem genere argu. ad Ferrari. missio, quem certe tanquam antesignanum in hac disputat. potissime sequemur, innitẽtes iis quæ D. Th. cum in aliis locis tum vel maxi. 1. lib. senten. dist. 19. qu. est 5. art. 2. ad 1. quæst. 7. de potentia art. 7. ad 8. & 1. c. gent. cap. 34. de analogis nobis conscripta reliquit. A nomine igitur vt exordiamur analgia si Quintilia. credimus lib. 1. inst. proportionem aliquorum inter se significat, vt proportio illa quæ inter pedem montis, & ipsum montem, (fulcientis nimirum ad rem quæ fulcitur) intercedit, analogia nuncupatur. Mathematici analogiam vocarunt proportionalitatem, id est, cõparationem quatuor numerorum inter se, vt quando dicimus ita sese habere octo adquatuor, quemadmodum sese habent duodecim ad sex: vt enim duodecim se habẽt ad sex eo modo, quo totum ad suam mediam partem, ita octo se habent ad quatuor, vt totum ad suam mediã partem. Cicero analogiam conuenientiam appellat, quæ certe significatio magis est in vsu Dialecticorũ, quam alię priores, nam analoga illa vocant, quæ in nomine conueniũt & ratione, quamuis nõ simpliciter, & absolute eadem, sed partim eadẽ, & partim diuersa, vt postea explicabimus. Cæterũ vt hoc rectius multo, & facillius intelligere possimus, reuocanda erunt ad memoriam illa, quæ de diuisione homonymorũ supra c. 1. adnota. 2. ex Simplicio, & Ammonio obseruauimus, scilicet inter homony. à consilio quædam vocari homonyma secundum analogiam, alia ab vno, & alia ad vnũ. Secundum analogiam illa dicuntur homo-

Varia nomin. analogiæ acceptio.

Obseruatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

homonyma quorum nomen est cõmune, ratio vero nomini accommodata partim est eadem & partim, diuersa, vt hoc nomen pes est hac ratione homonymum ad pedem montis, & scamni: nam nomen est commune, ratio vero nomini accommodata simpliciter est diuersa, cum aliam naturam habeat pes montis, & aliam pes scamni, est tamen eadem secundum analogiam, quia quemadmodum se habet pes montis ad montem illius fulsiendo grauitatẽ: ita etiam se habet pes scamni ad ſcẽ num fulsiendo nimirum illius pondus, & grauitatem. Homonyma ab vno vocantur illa, quæ idem habent nomen, & eandem rationem ab vno ortam, vt hoc nomen medicum quod dicitur de homine medico, libris etiam & instrumentis medicis est homonymum, nam nomẽ est commune significatque omnia hæc vt deriuantur ab vna, & eadẽ arte Medicinæ. Illa vero dicuntur homonyma ad vnum, quæ habent idem nomen, & eandem rationem, vt ad vnum, & eundem scopum referuntur, qua ratione sanum est homonymum, vt dicitur de vrina, medicina, & animali, nam nomen iis omnibus est commune, ratio quoq. nomini accommodata partim est eadem, vt hæc omnia tendunt in vnã sanitatem animalis, aut tuendam, aut efficiendam, aut significandam tanquam in finẽ, & in scopum. Hæc igitur homonyma à consilio sunt analoga de quibus in hoc loco disputationem instituimus, ambiuntque illa species analogorum de quibus, erit agendum, nimirum analoga secundum attributionem quę dicuntur ab vno, vel ad vnum: & analoga secũdum proportionalitatem. Ne tamen à communi, & protrita diuisione analogorum recedere videamur, diuidenda erunt illa in analoga inæqualitatis, attributionis, & proportionalitatis. Quam diuisionem sub aliis verbis in loco notato ex 1. senten. ita proponit D. Th. Analoga quædam sunt secundum intentionem tantum, & non secundũ esse, vt est sanum quod de vrina, medicina, & animali dicitur, cuius notio his omnibus est communis, esse tamen sanitatis in solo animali reperitur. Alia sunt secundum esse, & non secundum intentionem, quãdo notio vel conceptus communis est, & ex æquo omnibus inferioribus conueniens, esse vero naturæ significatæ per conceptum non ex æquo in inferioribus reperitur, sed in vno est nobiliori modo quam in altero vt corpus est analogum ad cæleste, & terrestre, quia nomen corporis est commune, notio autẽ vel conceptus, qui est habere trinam dimensionem, ex æquo quoque reperitur in vtroque, esse tamen nobiliori modo in cælesti, quam interrestri reperitur. Tandemque alia sunt secundum intentionem, & secundum esse, quando nomen est commune, at notio & esse non sunt eadem simpliciter; sed partim sunt eadem, & partim sunt diuersa, vt ens quod dicitur de substantia, & de accidentibus, cuius notio non est simpliciter eadem, neque esse est simpliciter idem, sed duo hæc simpliciter sunt diuersa, & sunt tantum eadem secũdum analogiam, vt postea ostendemus. De his igitur tribus speciebus analogorum erit à nobis sermo in sequentibus capitibus habendus.

Caput secundum de analogis inæqualitatis.

Analo

Quid sint analoga inæqualitatis.

Analoga inæqualitatis vocantur illa quorum nomen est commune, & ratio nomini accommodata, est vna & eadem simpliciter, non tamen ex æquo, sed inæqualiter participata, qua ratione omne genus dicitur analogum in habitudine ad suas species quia nomen est illis cõmune, ratioque nomi accommodata est in omnibus illis vna & eadem, participata tamen inæqualiter ab eisdem, etenim cum differentiæ specificæ habeant inæqualem perfectionem (sunt enim illa veluti numeri, in quibus non possunt duo æqualium vnitatum reperiri) genus in specie nobiliori perfectius esse habebit, quam in specie ignobiliori, vt animal perfectius esse habet in homine, quam in equo, & in equo quam in formica. Hanc analogiam contemplatus Arist. 7. physico cap. 4. docuerat iuxta genera esse æquiuocationes, vel (vt alij vertunt) latere multa, quia illa suo ambitu cõplectuntur multa, nimirum multas species dispari, & inæquali ratione naturam generis obtinentes. Et decimo metaph. cap. vlt. dixerat corpora cælestia, & terrestria, vel corruptibilia, & incorruptibilia genere differre, non certe quia notio vel cõceptus corporis diuersus sit in corporibus superioribus, & inferioribus, sed quia esse aut existentia naturæ corporis perfectius multo in cælestibus, quam in inferioribus reperitur.

Quo modo vocentur a D. Tho.

Vocantur hæc analoga à D. Tho. vbi supra, secundum esse, & non secundum intentionem: nam secundum intentionem id est conceptũ, & rationem significatam per illum sunt synonyma: at iuxta esse quod habent à parte rei, (cum illud non sit vnum & idem simpliciter & absolute, sed inæquale) analoga vocabuntur. Hæc etiam communi nomine à dialecticis, & metaphysicis vocantur analoga physica & synonyma logica, & metaphysica: etenim cum hi artifices ex eo differãt quod philosophus agit de rebus vt sunt à parte rei, dialecticus vero de eisdẽ vt ab intellectu concipiuntur, & Metaphy. de quidditatibus, & naturis earundem, generaque vt existunt à parte rei, nobiliori modo in vno, quam in alio reperiantur, vt autem concipiuntur ab intellectu eodem modo concipiantur, habeantq. eandem quidditatem, & naturã in omnibus suis inferioribus, ob hãc causam, apud philosophum naturalem erunt illa analoga, apud dialecticũ vero & metaphysicum synonyma. Cæterum quia hæc infimum & fere nullum locum inter analoga retinent, cum vt diximus simpliciter apud dialecticum synonyma nũcupentur, propterea erunt à choro analogorum reiicienda, vnde quę dein de analogis sumus explicaturi, non erunt de iis analogis intelligenda, sed de aliis attributionis, & proportionalitatis, de quibus erumque natura in capitibus sequentibus disputabimus. Legendus est Caie. in opus. de analogia cap. 1.

Caput tertium de analogis attributionis.

Quæ analoga attributionis.

Secũdum genus analogorum est illorum quæ attributionis, vel proportionis nucupantur, quæ à Græcis communi nomine homony ab vno, vel ad vnum dicuntur, imo & ab Arist. non alio, quam isto nomine variis in locis 4. metaphy. ca. 2. lib. 5. cap. 6. lib. 7. cap. cap. 4. lib. 12. cap. 4. lib. 2. de demonst. cap. 16. nuncupan-

cupantur. Illa vero dicuntur quorũ nomen est commune, ratio vero nomini accommodata partim est eadem, & partim diuersa, nam est eadem ratione eiusdẽ principij à quo fluunt analoga vel termini in quẽ feruntur, est tamen diuersa propter diuersam habitudinem quam habent ad principium, vel ad terminum, vt sanum quod de medicamẽtis, vrina, & animali dicitur, est analogum secundum attributionem, quia nomẽ iis omnibus est commune, ratio vero partim est eadem, & partim diuersa, eadem quidem propter eundem terminum (nimirum sanitatem animalis) in quem omnia illa feruntur, diuersa vero propter diuersam habitudinem, qua ad hunc eundem terminum referũtur: nam vrina refertur ad illam tãquam ipsius signum, medicamenta tanquam causę, dieta tanquam conseruans, & animal tanquam subiectum cui inhæret. Præterea esse medicum est analogum attributionis ab vno, nam dicitur de libris instrumẽtis, & de artifice medico, quibus omnibus nomen medici est commune, nam dicimus librum medicum, hominem medicum, & instrumenta medica, ratio vero partim est eadem, & partim diuersae, et eadem ratione eiusdẽ principij à quo fluũt, nimirum artis medicinæ à qua ista omnia hoc nomine ornantur, est tamen diuersa propter diuersam habitudinem ad hoc vnum principiũ, nam libri dicuntur medici quia cõtinent præcepta medicinæ: instrumenta dicuntur medica, quia inducunt optimam valetudinem iuxta leges, quas perscribit medicina: & tandẽ homo dicitur medicus, quia est subiectum artis medicæ.

Hæc analoga in quatuor causarum generibus reperiuntur.

Possunt autem hæc analoga in quatuor generibus causarum reperiri, nam & in genere causæ finalis, & in genere causæ efficientis, & in genere causæ materialis, & in genere causæ formalis potest analogia attributionis reperiri, quæ omnia exẽplis quibusdam in medium propositis illustriora reddentur. Im primisque de analogia in genere causæ finalis est exemplum propopositum de sanitate animalis, in quam medicamenta, dieta, & vrina tanquam in finem referuntur. De analogia vero in genere causæ efficientis est alterum exẽplum de medico, quod de libris instrumentis, & homine dicitur, ea ratione qua hæc omnia ab vna arte medicina, tãquam ab vna arte deriuantur. De analogia præterea in genere causę materialis, est exemplum in analogia entis ad substantiam, & ad accidentia, nam ens ex eo dicitur analogice de accidentibus per habitudinem ad substantiam, quia substantia est subiectum & materia suo sinu fouens, & recepiens accidentia, illaque firmissima sua existentia, sustentans. Denique exemplum anologiæ in genere causæ formalis, est bonum, vel pulchrum, quod de Deo dicitur, & de creaturis, nam pulchrum dicitur de creaturis propter habitudinem quã habent ad formas exemplariaque pulchritudinis, quæ sunt in mente diuina: ex eo enim creaturæ dicuntur pulchræ, quia deductæ sunt, & deriuatæ, à formis illis, & exemplaribus pulchritudinis, quæ existunt in mente diuina

tuor causarũ generibus reperiuntur.

Diuiduntur à D. Tho. 1. p. q. 3. ar. 5. & 1. c. gen. cap. 34. in analoga duorum vel plurium ad vnum tertium, & in alia quæ sunt vnius ad vnum. Prioris generis sunt illa quã do multa ad vnuũ referuntur, vt sunt vrina, medicamenta, & dieta sana, quę omnia referuntur ad vnũ tertium scilicet ad vnam sanitatem animalis: posterioris vero generis sunt

Diuisio horum analogorum ex D. Thom.

sunt illa in quibus vnum ad alterũ refertur, qua ratione vrina sana, & animal sanum sunt analoga, nam vnum refertur ad alterum, vrina nimirum sana ad sanitatem animalis. Vocantur hæc analoga à D Tho. in 1. sen. loco iam citato, analoga secũdum intentionem tantum, & non secundum esse, vt in superiori cap. explicantes illorum diffinitionem, exposuimus.

Proponit autem Caietanus quasdam proprietates horum analogorum maxime animaduertendas, quibus certe cognitis, ipsorũ obscura, & latens natura, luce meridiana clarior nobis aperietur. Prima proprietas est analogum attributionis tantum est in vno ex analogatis secundum essentiam, vel inhæsiue: in aliis vero secundum extrinsecam denominationem reperitur, vt sanum, quod in debita primarũ qualitatum, & quatuor humorum proportione est constitutum secundũ essentiam, vel inhæsiue, tantum reperitur in animali, hæc siquidem debita humorum proportio, tantum illi inhæret, in medicamentis vero, urina, & dieta reperitur extrinseca denominatione, vel quia efficiunt proportionem illam in animali, vel quia fouent, & tuentur, vel quia significant.

1. Proprietas analo.

2. Proprietas.

Secunda proprietas est. In huiusmodi analogis quæ sunt minus præcipua (sunt autem quæ sola extrinseca denominatione participant naturam analogi) debent per magis præcipuum (vt est illud in quo secundum essentiam & inhæsiue natura analogi reperitur) diffiniri. Quod certe & ratione & exẽplo per facili sic se habere, ita possumus sudere. Ratione quidem, si enim diffinitio explicat rei naturam, & essentiam, omniaque analoga minus prę cipua, habent naturam in habitudine ad illud quod est magis præcipuum (vt constat ex prima proprietate) certe omnia minus præcipua diffinienda erunt per habitudinem ad illud quod fuerit magis præcipuum. Exẽplo vero explicatur hæc proprietas in sanitate vrinæ, medicinæ, dietæ, & animalis: ex quibus medicina, vrina, & dieta, quæ sunt membra minus præcipua, diffiniũtur per sanitatem animalis, quæ huius analogiæ est membrum magis præcipuum: nam vrina vt sana diffinitur illud, quod indicat sanitatẽ animalis, medicina, illud quod efficit sanitatem animalis, dieta vero, illud quod conseruat sanitatem eiusdem animalis, in quibus omnibus diffinitionibus sanitas animalis (quæ est huius analogiæ membrum magis præcipuũ) est inclusa.

Tertia proprietas est in his analogis non est omnium illorum vna diffinitio, sed tot sunt illæ, & tam diuersæ, quot, & quam diuersa sunt membra analogata, vel partes quæ ipsum analogum distribuunt: non enim omnium quæ sana dicuntur est eadem diffinitio, sed multiplex, & diuersa, alia enim est medicamenti, alia dietæ, alia vrinæ, & alia animalis qua sanum est, diffinitio, vt constat ex diffinitionibus horum omnium proxime propositis.

3. Proprietas.

Quarta proprietas est in analogis terminus ille in quem membra omnia analogata referuntur, est vnus secundum numerum. Nolumus dicere absolute loquendo tantum esse vnicum terminum in omnibus analogis eiusdẽ rationis, sed quod sumpta qualibet analogia in particulari tantum est in illa vnicus terminus à quo vno omnia membra dicantur talia, præcipuum intrinseca denominatione, reliqua vero minus præcipua extrinseca, vt in analogia sanitatis non asserimus vnicã tantum

4. Proprietas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tantum esse uumero sanitatem in omnibus subiectis à quo omnia illa dicantur sana, sed quod sumpta hac analogia sanitatis in particulari huius scilicet medicamenti, huius vrinæ, & huius animalis, non sunt in his tribus tres sanitates numero diuersæ, & differentes: sed vnica est tantum in omnibus illis à qua animal intrinseca denominatione, & per inhærentiam dicitur sanum, medicamenta vero, & vrina ab eadē extrinsecæ sana nuncupantur. Legendus est Caiet. in eodē opus. c. 2.

Caput quartum de analogis proportionalitatis.

PRoportionalitas, si nominis vim & naturam contemplemur, nihil est aliud, quam habitudo quædam duarum, vel plurium proportionū inter se, ita vt quemadmodum sese habet hoc adillud, ita illud ad aliud referatur: vt habitudo illa quæ intercedit inter pedem montis, ad mōtem, & inter pedem animalis ad animal, dicitur proportionalitas, nam vt se habet pes montis ad montem, illius pondus ferens, & grauitatem: ita etiam sese habet pes animalis ad animal, eiusdem pondus sulciens, atque sustentans. Diffiniuntur autem hæc analoga in hunc modum. Quorum nomen est commune, ratio vero nominimini accommodata eadem est secundum proportionem vt in eodem exemplo pedis, nomen vtrique pedi montis, & animalis est cōmune, ratio vero eadem est secundum proportionem, nam est corporis grauitatem sustinere, quæ secundum proportionem in vtroque pede eadem reperitur, etenim quod munus gerit pes animalis ad animal, sua firmate illius sulciens grauitatem: ita etiam idem officium exequitur pes montis in monte cum illius quoque pondus sustineat, & grauitatem.

Quæ analoga proportionalitatis.

Diuiduntur hæc analoga in propria, & metaphorica. Illa dicuntur metaphorica, quando nomen analogum vni ex membris proprie & alteri per metaphorā accōmodatur, vt ridere est nomē analogū huius generis, nam dicitur de homine qui ex animi hilaritate in vultu præfefert quandam exteriorem iucunditatē, & de secunda, prosperaque fortuna, dicimus enim quando alicui cuncta ex animi sententia eueniunt, fortunam illi arrisisse, quod certe nomē de fortuna tantum per metaphorā dicitur, de homine vero læto, propriè. Ex his prætermissis analogis quæ dicuntur per metaphoram, alia proprie dicta sunt quæ in vsu dialecticorum, & aliorum artificum versantur. Horū igitur nonnullæ sunt assignandæ proprietates. Prima. In his analogis ratio significata nomine analogo in omnibus analogatis secundum essentiam reperitur, vt ratio significata nomine pedis, quæ est sustinere grauitatem in pede mōtis, & pede animalis secundum essentiam reperitur. Secunda proprietas est. In his analogis non est vna ratio numerica in omnibus illis, sed tot sunt rationes numericæ analogi, quot sunt membra in quæ ipsum est distributum, nam in pede montis sua reperitur ratio sustinēdi corpus graue, distincta numero ab alia quæ in pede animalis reperitur. Tertia proprietas est. In his analogis vnum non diffinitur per alterum, neque enim pes montis diffinitur per pedem animalis, neque pes animalis per pedem montis, nam pes montis diffinitur, pes ferens grauitatem

Diuisio analogorum.

1. Proprietas.

2. Proprietas.

3. Proprietas.

tatem montis, in qua diffinitione non collocatur pes animalis.

Obiect.

Quod si quis dicat ens est analogum proportionalitatis ad substantiam, & ad accidentia: sed accidentia diffiniuntur per substantiā ex Arist. 7. lib. Metaphy. cap. 1. ergo in his analogis poterit vnum per alterum diffiniri. Respon. ens & esse analogum attributionis, & proportionalitatis ad hæc duo membra, atque ita si in illo contemplemur rationem analogiæ attributionis, accidentia diffinientur per substantiam, tanquam per membrum magis præcipuum: si vero solam analogiam proportionalitatis consideremus non diffinietur accidens per substantiam, vt vberius multò infra agentes de analogia entis explicabimus.

Solutio.

4. Proprietas. Quarta proprietas est. Nomen analogum in analogis huius generis significare vnum conceptum formalem, & obiectiuum, non quidem vnum simpliciter & absolute, cum habere huiusmodi conceptum solis naturis synonymis possit conuenire, sed secundum quid, vel secundum proportionalitatem. In quare separatur à naturis homonymis, quę (vt homonymæ sunt) nullum conceptum, neque formalem, neque obiectiuum possunt obtinere, vt in eodem exemplo sæpe repetito pes significat vnum conceptum formale, qui est illud quod intra mentem de eius natura effingimus, nimirum pedem esse illud, quod sustinet pondus corporis. Significat etiam conceptum aliquem obiectiuum, scilicet illud, quod à parte rei huic conceptui formali correspondet, quamuis hic conceptus si fuerit præcisus à suis inferioribus non potest esse perfectus: si vero non fuerit, sed incluserit conceptus suorum inferiorum (vt inter se retinent aliquam similitudinem) erit perfectus, & absolutus, vt de conceptu entis a perte satis de ipso infra differentes ostendemus.

Ex hac proprietate colligere possumus primo analoga proportionalitatis vnam, & eandem diffinitionem posse obtinere, nam est illorū vnus conceptus, tam formalis quā obiectiuus. Colligimus secū do, posse illud esse subiectum alicuius scientiæ, quia cum sit vnum ab eo poterunt fluere proprietates, quæ de ipso in tali scientia concludantur. Colligimus tertio esse latum discrimen inter hæc analoga, & analoga attributionis, qui in analogis attributionis, ratio nomine analogi expressa, tantum reperitur in vno secundū essentiam & in aliis extrinseca denominatione: tum etiam vna est secūdum numerum ratio in omnibus illis: & tandem vnum per alterum diffinitur, vt diximus in capite superiori: at in analogis proportionalitatis, ratio in omnibus membris formaliter reperitur, diuiditur etiam illa in omnibus analogatis, neque est vna numero in omnibus illis: & tādem ex membris vnum non diffinitur per alterum, vt ex his quæ diximus aperte constat. Vnde si hæc analoga attributionis collata fuerint cum analogis proportionalitatis, neque nomen, neque dignitatem analogorum promerentur, quemadmodum si analoga inæqualitatis cum analogis attributionis conferantur indigna sunt, vt analogorum nomine ornentur.

Consectaria.

Vocantur hæc à D. Th. in loco sentē. quem c. 1. proposuimus analoga secundum esse, & intentionem, quia tam esse quam ratio simpliciter differunt, suntque eadem secundum proportionem, vt in eodem cap. exposuimus.

Obseruat. ex D. Tho

Tandem sciendum erit attributionem analogi de membris analo-

gatis, neque esse pure homonymã, neque pure synonymam, sed habere cum vtraque affinitatem, eo modo quo medium habet affinitatem cum vtroque extremo. Præterea diuisio analogorum, neque est sola enumeratio, vt est diuisio vocis ambiguæ, neque alicuius naturæ, quæ sit vna in suis inferioribus simpliciter & absolutè, vt est diuisio naturę synonymæ, sed est naturæ absolute diuersæ, & eiusdem secundum proportionem & analogiam. Multa hoc loco de analogis prętermittimus, quæ legi poterunt apud Caietanũ, Ferrarien. & alios, pręsertimque nũ analoga habeant conceptum præcisum à conceptibus suorum inferiorum, & num debeat vnum per alterum diffiniri, quarũ primam in controuersijs de conceptu entis explicabimus. Alteram vero expositam iam dedimus lib. 1. Transcend. cap. 16. non enim est animus diffusiorem de his habere sermonem, ne in aliis grauioribus quæstionibus breui oratione vti cogamur.

Secti. I. De ente & eius analogia, pars secunda.

Quæstio I. An ens sit homonymum ad omnia sua inferiora.

NOmine entis intelligimus ens in late patente significatione, vt suo ambitu amplectitur ens rei, & rationis, ens finitum, & infinitum, substantiam, & accidentia, qua etiam ratione illud sumemus in omnibus quæst. sequenti. quando de illius homonymia synonymia aut analogia disputabimus. In quibus ita nos geremus, vt prius de ente in habitudine ad ens rei & rationis, secundo de eodem in habitudine ad ens finitum & infinitum, & tandem in habitudine ad substantiam, & ad accidẽtia q. explicemus.

Primo igitur ens esse homonymũ vel æquiuocum ad ens rei & rationis confirmo. Quia maior est conue- 1. Argu.
nientia & affinitas naturæ inter ens finitum, & infinitum (Deum nimirum & creaturas) quam inter ens rei & rationis, quia Deus & creaturæ continentur intra idem membrum entis rei, at ens rei, & rationis, sunt membra inter se opposita, sed inter Deum & creaturas est affinitas secũdum analogiam: ergo inter ens rei & rationis erit minor conuenientia & affinitas naturæ: at nulla minor potest esse, quam conuenientia solius nominis, quæ est conuenientia homonymiæ, vel æquiuocationis, ergo, &c.

Secundo. Vbi nulla vnitas nomini correspondet, illud dicitur pure homonyme de his de quibus dicitur, sed enti quod est commune ad ens rei, & rationis nulla vnitas naturæ correspondet, ergo erit illud homonymũ ad ens rei & rationis. Propositio est perspicua. Confirmatur assumptio. Si aliqua vnitas corresponderet, vel esset rei, vel rationis: sed neque potest esse rei neque rationis, 2. Arg.

nis, non rei quia ita non conueniret enti rationis, neq. rationis, quia ita non conueniret enti rei: ergo enti quod est commune ad ens rei, & rationis nulla vnitas potest correspondere.

3. Arg. Præterea confirmo esse homonymum ad ens finitum & infinitum ad Deum, & ad creaturas. Eadem est ratio entis, & causæ, vt dicuntur de Deo & creaturis: sed causa dicitur homonyme de illis, quia Deus est causa homonyma, pleræque vero creaturæ sunt causæ synonymæ: ergo ens etiam dicetur homonyme de Deo & creaturis.

4. Arg. Iam. Quando aliquid effertur secundum nomen, & non secundum rationem, prædicatur pure homonyme: sed sapientia prædicatur de Deo, & creaturis secundum nomen, non tamen secundum rationem, ergo prædicabitur de illis homonyme. Confirmatur assumptio. Amoto genere, amouetur ratio significata per nomen, vt si amoueatur substantia, quæ est genus animalis, illico amoueri debet animal: at sapientia quæ reperitur in creaturis, est qualitas in ratione generis, quæ amouetur á sapientia diuina, quia sapientia in Deo non est qualitas, ergo nulla erit ratio eadem, quæ conueniat vtrique sapientiæ. Cùm igitur sit eadem ratio entis & sapiẽtiæ, sequitur ens dici pure homonyme de Deo, et creaturis.

5. Arg. Quinto confirmo esse homonymum ad substantiam, et ad accidentia, idque ex Arist. qui variis in locis hoc profitetur 4. lib. Metaphy. c. 2. et 1. Physi. cap. etiam 2. et 1. de reprehensio. Sophista. cap. 3, et Porph. in cap. de specie inquit ex Arist. esse homonym. ad decem genera suprema.

6. Arg. Vltimo idem confirmo, quia magis differunt substantia et accidentia, quam canis domesticus et marinus, sed canis dicitur homonyme de domestico et marino: ergo et ens quoque dicetur homonyme de substantia, et de accidentibus. Assumptio nota est, confirmatur propositio. Magis differunt quæ constituũt diuersa genera suprema, quam illa quæ infra ambitum eiusdem categoriæ continentur, sed substantia et accidentia constituunt diuersa genera suprema, canis vero domesticus, et marinus intra eandem categoriam substantiæ continentur, ergo magis differunt substantia et accidentia, quã canis domesticus, et marinus.

Hæc quæstio anceps est, et dubia apud Philosophos, in qua explicanda est prima opinio, ens in habitudine ad ens rei et rationis esse naturã pure homonymam, nihilque aliud hæc duo genera entis quam nomen ipsum inter se habere commune. 1. Opin.
Profitentur hanc sententiam multi viri graues, Soncinas 4. Metaph. q. 5. et 10. q. 1. Iauellus cap. 1. Transcenden. et lib. 1. Metaphy. q. 1. Niger 1. p. clypei, q. 4. Bañes 1. p. q. 28. artic. 1. Zumel 1. p. q. 13. arti. 5. conclu. 3. Zimara in tabula verbo, ens, dum agit de illius diuisionibus, & in contradictionibus 6. lib. Metaphy. q. 1. Trombeta 1. Metaph. q. 1. ad 1. & Si recti in suis formalitatib⁹, quas Scotistæ in maximo pretio, & veneratione habent.

Secunda opinio est quæ de ente finito, & infinito, nimirum de Deo, & creaturis, inquit, ens de his duobus membris pure homonyme, vel æquiuocè dici. Ita docuit Rabbi quidam Moyses, vt testatur D. Th. q. 7. de potentia, arti. 7. quem deinde Aureolus apud Capreolum in 1. dist. 2. q. 1. fuit sequutus. 2. Opin.

Alij de ente in habitudine ad substantiã, & ad accidẽtia opinãtur esse illud homonymum, absoluta qua 3. opin.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dam,& simplici homonymia. Amplectuntur hanc opinionem multi ex veteribus Herminus apud Simplicium in vltima diuisione Antecatego. Porphy. in sua Isagoge in caput de specie, vbi & hoc idē tribuit etiam Arist. Plotinus Aenea.6.lib.3. cap.6.Boetius in commenta.antecatego.in vlti. diuisio. & in commen. in cap.de specie in editio 2. Aureolus apud Capreolum vbi supra, & Rabbi Moyses, vt ibidem testatur D.Tho.At quænam sit in hac quæstione explicanda vera opinio, his assertionibus aperte satis ostendemus,sit igitur prima.

Ens non dicitur purehomonyme de ente rei,& rationis. Hanc profite
1. Con. mur cum D.Tho.q.2.de verita art. 11.ad 5.& in commentariis in cap.2. lib.4 Metaph.Capreol. in 1.dist. 2. quæst.1.in solutio.argum.contra 9. concluſ.Caieta.in libello de nominum analogia,cap.8.Aquario 4.metaphy.q.1.Fonseca in eodem lib.capit.2.q.1.sect.7. & M.Iustiniano in suis institutionibus lib. 3.cap. 10.
4. Arg. Quæ confirmatur primo,quia obiectum alicuius scientię debet esse vnum aliqua vnitate ex Arist.4.metaph.cap.2.& 11.cap.6.& certe cum omne obiectum sit in ea scientia(quę circa illud versatur)diffinibile debet necessario esse vnum, cum diffinitio sit vna oratio:sed ens quod est commune enti rei & rationis est obiectum primæ Philosophiæ,nam Arist.4.lib metaphy.cap.2.docet obiectum primæ Philosophiæ esse illud ens quod est homonymum ab vno,& ad vnū,& ambire sub se negationes,& priuationes, quæ sunt entia rationis:ergo ens quod est cōmune ad ens rei,& rationis, erit vnum aliqua vnitate,sed in pure homonymis, nulla est præter nomen vnitas naturæ communis: ergo ens quod est commune enti rei & rationis,non erit pure homonymum. Iā. 2. Arg.
Obiectum intellectus est vnum aliqua vnitate,at ens quod est commune ad ens rei & rationis obiectum est intellectus. Addo. Illud de quo concluduntur proprietates esse vnum aliqua vnitate, quia proprietates ab aliqua vna natura fluunt. De ente vero communi ad ens rei & rationis concludimus aliquas prpprietates,scilicet verum, & bonum, nā illud & est intelligibile, & ob hanc causam erit verum & est in se indiuisum ob quam rationem dicetur vnum. Cum igitur in pure homonymis præter nomen non possit esse aliqua natura cōmunis,ens quod est commune ad ens rei & rationis non erit pure homonymum. Legenda sunt ea quæ diximus lib.1. Transcen.cap.8.

Secunda conclusio. Ens non dici 2. Conc.
tur homonyme homonymia logica vel metaphysica de ente finito, & infinito, de Deo nimirum & creaturis. Hanc profitetur D. Tho. 1.p.q. 13.art.5 q.7.de poten.art.7. 1. con. gen.cap. 34. & reliqui Theologi in 1.dist.25. & 26. agentes de persona, & de aliis nominibus diuinis. Confirmaturque primo quia in pure homonymis nulla intercedit (vt nomine homonymo exprimuntur) similitudo,at inter Deum & creaturas intercedit aliqua similitudo in entitate & in aliis attributis. Secūdo quia 2. argu.
in pure homonymis nullus datur ordo iuxta prius,& posterius, nullaque est vnius ad alterum habitudo,sed inter Deum, & creaturas ratione entitatis datur ordo prioris & posterioris, quia entitas competit prius Deo,& deinde competit creaturis: datur etiam habitudo vnius ad alterum nam vt se habet Deus ad suam entitatem, ita creaturæ se habent ad suam entitatem, etenim quemadmodum Deus per entitatē est id,

est id,quod est: ita etiam & creaturę per suam entitatem sunt id quod sunt,non igitur dicetur pure homo-
3. Argu. nyme de Deo & creaturis. Iam ex cognitione vnius homonymi non possumus deuenire in alterius cognitionem, nam quis quæso ex cane cælesti,intelliget naturam canis domestici:at ex cognitione creaturarum in cognitionē Dei opt. max. deuenimus ad Rom.1. *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Et Sap. 13. *A magnitudine speciei, & creaturæ poterit cognoscibiliter horum creator videri.* Nō igitur ens pure homonyme de ente
Obser. finito,& infinito dicetur. Diximus
circa cō autem in conclusione homonymia
clu. logica,& metaphysica,quia si de homonymia physica agamus certum est ens esse homonymū adhæc duo membra,quia illud nobiliori modo habet esse in Deo, quam in creaturis. Verum hæc est homonymia secundum quid, & non simpliciter, nam in generibus in quibus homonymia simpliciter reperiri nullo modo potest,hoc genus homonymiæ inuenitur, nobiliori siquidem modo natura generica in vna ex suis speciebus,quam in altera reperitur. Videnda sunt quæ de hac re proposuimus lib 1.Transcen.cap 11.

3.Conc. Tertia conclusio. Ens non est pure homony.ad substantiam & ad accidentia Hanc fere omnes Graeci Ammonius,Simplicius, Dexippus, Arabes Auicenna, Alpharabius, Algazel, Latini D.Tho. Beatus Albert. Mag.Caieta Louanien. (vt innumeram multitudinem recētiorum prætermittam) profitentur, quidam in commenta. huius loci,aliis in com-
1. Arg. menta in cap.2.4. lib.metaphysi. & alij vbi de hac re sese illis offerebat disputandi occasio. Et confirmatur primo ex Aristo. qui varis in locis profitetur ens non dici pure homonyme de substantia, & de accidentibus, sed in habitudine adhæc duo membra esse de numero eorum quę dicuntur ab vno, & ad vnum. Ita habet 4.metaphy.cap.2.& 11.capi. 3.& 7.cap.4.& de bono quod est proprietas entis idem asserit 1. Ethico. cap.6. Deinde nulla scientia versatur in obiecto pure homonymo, 2. Arg.
sed vel in synonymo, vel in analogo vt docebat Arist.4.metaphy.ca. 2.& 11.cap.6. sed prima philosophia quæ est vna scientia versatur in explicanda natura entis quod est commune ad substātiam, & accidentia: ergo non erit illud pure homonymum ad hæc membra. Addo in pure homonymis nullū ordinem prio- 3. A
ris, & posterioris reperiri: at inter substantiam & accidentia in entitate hic ordo intercedit, prius enim ens dicitur de substantia, & deinde de accidentibus. Legendus est Themistius qui accurate hanc rationē prosequitur in sua paraphrasi ad 12 metaphy.& quæ nos diximus 1.lib. Transcenden cap.17.

His igitur statutis sequitur vt ar- Ad 1.ar
gumentis quæ in initio proposuimus satisfaciamus. Ad primum respon. falsum esse maiorem esse affinitatem inter Deum, & creaturas quā inter ens rei,& rationis. Ad argu. vero Deus & creaturæ continentur in tra idem membrum entis rei,ens vero rei, & rationis sunt membra opposita, ergo erit maior affinitas naturę inter Deum & creaturas,quam inter ens rei,& rationis,neganda est consequentia;etenim si ea quę sunt intra idem membrum diuisionis fuerint finita,verum est maiorē esse affinitatem naturæ inter illa, quam inter membra contraria eiusdem diuisionis:si tñ vnū ex illis fuerit finitum, & alterum infinitum, maior profecto erit affinitas inter membra opposita eiusdem diuisionis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam inter ea quæ intra idem membrum continentur: nam summa dissimilitudo est ea quæ inter finitum, & infinitum intercedit: at quamuis Deus & creaturæ intra idem membrum diuisionis contineantur, quia tamen Deus est ens infinitum, creaturæ vero sunt entia finita, ob hãc causam minor erit affinitas naturæ inter Deum & creaturas, quam inter ens rei, & rationis.

Ad 2. Ad secundum respon. cum Capreolo in 1. dist. 2. quæst. 1. in solutio. 6. rationis pro. 2. suppositio aduersus 9. rationem in ente quod est commune ad ens rei, & rationis dari aliquam vnitatem communem vtrique, quæ neque est rei, neque rationis, sed abstrahẽs ab vnitate rei, & ab vnitate rationis, quod intelligi debet de vnitate imperfecta entis nam hæc abstracta est ab vnitate entis rei, & rationis, & nõ de vnitate perfecta illius, & absoluta, nã hæc non potest abstrahi ab vnitate entis rei, & ab vnitate entis rationis, sed includit necessario vtramquæ vnitatem, ea ratione qua inter se retinent analogam similitudinẽ vt deinde agentes de conceptu entis explicabimus.

Ad 3. Ad tertium respon. esse longe diuersam rationem inter hæc duo esse causam homonymam, & rationẽ causæ homonyme conuenire, nam esse causam homonymã nihil aliud est, quam habere vim, & facultatem producendi varios effectus specie differentes: rationem vero causę homonyme conuenire, est essentiam nomine causæ significatam (quę est esse illud ad cuius esse aliud sequitur) aliam esse in Deo, & aliam in creaturis. Erit igitur Deus causa homonyma, quia potest multos effectus specie diuersos producere, vt orbes cælestes, elementa, & quæ ex iis constantur, non tamen ratio causæ comprehendit illi homonyme, quia quem admodum ratio causæ in creaturis, est esse illud ad cuius esse aliquid sequitur, ita etiam & in Deo ratio causæ erit esse illud ad cuius esse aliud sequitur.

Ad quartum respon. admittentes sapientiam diuinam, & creatam nõ contineri sub eodem genere: negamus tamen hinc sequi illam homonyme dici de ipsis, etenim quamuis non contineantur in eadem categoria, non proinde fit sapientiam esse vocem homonymam, nam vrina sana, & medicamentum sanum differunt genere categoriæ, cum vnũ eorũ (nimirum vrina) sit in genere signi, ac proinde in categoria relatorum, alterum vero sit in genere causę, quibus tamen nomen sani, quod vtrique est commune, non competit homonyme, sed secundum analogiam, & eadem ratione quamuis sapientia creata, & increata non contineantur in eadem categoria nõ propterea dicetur sapientia de illis homonyme. Ad 4.

Ad quintum respon. Arist. in his locis non docere ens esse simpliciter homonymum, sed cum hoc addito ab vno vel ad vnum, quod genus homonymiæ cũ posterioribus Dialecticis analogiam attributionis nũcupamus. Ad 5.

Ad vlti. respon. ex D. Tho. quæst. 2. de verita. art. 2. ad 7. negando consequentiam, etenim quamuis absolute magis conueniant canis domesticus & marinus, vt nomine substantiæ vel animalis significantur, quam substantia, & accidentia, vt tamen significantur nomine canis minus conueniunt nam illis nulla ratio hoc nomine significata potest esse communis, substantiæ vero & accidenti communis est ratio essendi, quæ nomine entis designatur. Ad vlt.

QVAE

QVAESTIO II. AN ENS sit synonymum ad Deum & ad creaturas, substantiam, & ad accidentia.

POstquam in superiori quæstione luculenter satis ostendimus ens non esse homonymum ad vlla inferiora sua, siue ad Deũ & ad creaturas, siue ad substantiam, & ad accidentia, siue deniq. ad ens rei & rationis, æquum est iam explicemus in hac, sitne illud synonymum ad aliqua ex his inferioribus suis modo recensita. Ac primum quidem illud synonymum esse ad ens finitũ, & infinitum (Deum nempe Opt. Maxi. & creaturas) confirmari potest nonnullis argumentis. Est primum.

2. Arg. Conceptus certus & distinctus, diuersus est à conceptu dubio, & obscuro, sed possumus certo & distincte scire aliquod esse ens, & dubitare sitne illud infinitum, vel finitũ: Deus vel creatura, ergo conceptus entis diuersus erit à conceptu creaturarum & Dei, quare erit vnus, & ex consequenti synonymus.

4. Arg. Secundum. Metaphysici hoc modo progrediũtur in cognitione Dei, imprimis cognoscunt rationem formalem alicuius attributi, vt sapientiæ verbi causa, deinde separatis ab ea omnibus imperfectionibus, vt esse finitam, qualitatem inhærentẽ subiecto, & aliis huius generis, quod supereſt attribuunt Deo: sed hoc fieri nulla ratione posset, nisi sapientia, & alia attributa dicerentur synonyme de Deo, & de creaturis, ergo ea quæ sunt communia Deo, & creaturis synonyme efferuntur.

3. Arg. Prætera. In his attributionibus Deus est ens, creaturæ sunt entia, aut nomine entis intelligimus naturam aliquam communem Deo, & creaturis, aut in prima attributione nomine entis intelligimus ens diuinum, & in secunda ens creatum, & finitum: sed hoc secundum dici nõ potest, quia fieret vt hæ attributiones essent idempticæ, redderentque hunc sensum, prima Deus est Deus, secunda creaturæ sunt creaturæ, erit ergo primum illud quod dicebamus verum, ens igitur erit vna, & communis natura ad Deum, & creaturas, & ex consequenti erit synonymum.

Quartum. Si ens non significaret communem aliquam, & synonymã naturã Deo & creaturis, sequeretur vt Deus non posset cognosci à nobis cognitione aliqua simplici, atqui hoc videtur esse absurdum, ergo &c. Confirmatur propositio. Ea tantum possumus cognoscere simplici cognitione (quamdiu anima est in corpore) quæ repræsentantur in phantasmatibus illustratis lumine intellectus agentis, sed solæ creaturæ sunt, quæ repræsentantur lumine intellectus agẽtis in phantasmatibus, ergo si non esset ipsis, & Deo natura entis communis, & synonyma, non possemus cognoscere Deum cognitione simplici. 4. argu.

Iam. Omnis comparatio fieri debet iuxta aliquam naturam synonymam, quia fieri debet inter ea, quæ continentur sub eodem genere, vt auctor est Arist. 7. physico. cap. 4. sed comparamus Deum cum creaturis iuxta ens, dicimus enim Deum esse magis ens quam creaturas, erit igitur ens natura, quæ dicatur synonyme de Deo, & de creaturis. 5. argu.

Rursus. Illa natura quæ est mensura entitatis, & veritatis aliorum, est eiusdem rationis, & synonyma cũ rebus mensuratis, auctore Arist. 2. metaphy. cap. 1. sed Deus est mensura entitatis, & veritatis rerum omnium, ergo erit eiusdem rationis synonyme cum aliis entibus. 6. Arg.

Ad confirmandum prætera ens synonyme dici de substantia, & de Argum. 2. Gen.

Universidad de Deusto
Biblioteca

accidentibus offerunt se nobis hæc alia argumenta.

1. Arg. Primum est. Illa sunt synonyma quæ prædicantur eodem nomine, & eadem ratione de suis inferioribus, vt cõstat ex diffinitione synon. sed ens prædicatur de substantia, et de accidentibus eodem nomine & eadẽ ratione, nomine quia tã substantia, quam accidentia dicuntur entia: ratione vero, quia esse (quod est ratio entis) tam in substantia quam in accidẽtibus reperitur, ergo ens erit synonymum.

2. Argu. Secundum. Ab omnib⁹ similibus abstrahi potest vna, & synonyma ratio, eo modo quo sunt similia: sed substantia & accidentia habent similitudinem in ente, ergo ab ipsis abstrahi poterit vna communis, & synonyma ratio entis.

3. argu. Tertium. Conceptus alicuius rei certus, diuersus est à conceptu dubio eiusdem: sed potest aliquis certo scire rem aliquam esse ens, & ignorare (dubiusq. saltim esse) sitne substãtia vel accidens, quia multi sciunt quantitatem esse ens, qui tamen dubitant, distinguaturne illa à substãtia necne: & ita ignorãt sitne illa substantia vel accidens, ergo conceptus entis diuersus erit à cõceptibus propriis substantiæ et accidentium, vnde erit ille vnus, & synonymus.

4. Arg. Præterea. Obiectum potentiæ synonymæ est synony. sed ens est obiectum intel. qui est potentia synonyma, ergo ens erit synonymũ. Assump. est aperta, confir. propos. Potentiæ obtinent naturam à suis obiectis in quæ ferũtur, ergo talis debet esse natura, & vnitas obiecti qualis est ea quam cõfert facultati: si ergo facultas fuerit synonyma, et eius obiectum erit quoq. synonymum.

5. Argu. Rursus. In omnibus scientiis obiectũ debet esse non multiplex, sed vnum & synonymum, eo quod omne obiectum habet vnam rationem formalem iuxta quam pertractatur in aliqua sciẽtia, sed ens est obiectũ primæ Philosophiæ, vt auctor est Arist. 4. Meta. c. 1. ergo ens non erit multiplex & analog. sed synonymũ.

6. Arg. Iterum. Illud quod cõcipitur ab intellectu est vnũ, ergo quod primo concipietur erit primo, & maxime vnum, sed ens est illud quod primo concipitur ab intellectu iuxta opinionem D. Th. & Auicen. ergo ens erit maxime vnũ: sed maxima vnitas est vnitas synonyma, ergo ens erit synonymum.

7. Arg. Adhæc proprietates entis sunt synonymæ, ergo & ens quoq. erit synonymum. Consequ. est manifesta, quia proprietates non prædicantur de rebus alia ratione, quam prædicetur earum subiectum. Confir. añs. Imprimis vnum quod est proprietas entis cum sit diuisionis priuatio non recipiet magis & minus, quia priuationes sitæ sunt in indiuisibili, at quæ non recipiunt magis & minus prædicantur ex æquo, & synonyme: ergo vnum prædicabitur synonyme. Deinde Verum, quod itidem est proprietas entis prædicatur ex æquo, & synonyme, quia est adæquatio rei ad intellectum, quæ ex æquo enunciatur de omnibus cum sit cõstituta in indiuisibili, ergo proprietates entis erunt synonymæ, vel vniuocæ, & idem confirmare adhuc possumus auctori D. Th. 10. Metap. lec. 2, quo in loco apertissimis verbis docet ens, & vnum, ex æquo dici de rebus omnibus.

8. Argu. Iam. Illa quæ continentur in primis principiis non debẽt esse ambigua, sed synonyma: eo quod prima principia sint omnibus lumine naturæ notissima, vnde & sine vlla homonymia cognosci debent: sed ens continetur in primo principio lumine naturæ notissimo, cuiusmodi est principium cõtradictionis, impossibile s. est, idem simul esse, & non esse, ergo ens erit synonymum.

9 argu. Tandem. Omne medium syllogismi est synonymum, quia si esset homonymum nihil concluderemus, in propositione enim sumeretur medium vno modo, et in assump. altero, vt si ita diceremus, oĩs canis latrat, sydus cœleste est canis, ergo sydus cœleste latrat, nihil profecto concluderemus, quia propositio intelligitur de vno cane (domestico nimirũ) assump. vero de altero à 1. distincto: sed est ens medium alicuius syllogismi, vthuius oẽ ens est bonũ, sed mõstruũ nõ est ens, ergo monstruũ nõ est bonũ: ergo ens erit natura synon.

1. Opin. Scot. In hac quæstione multi graues Philosophi tuentur ens esse synonymum ad Deum & creaturas; ad substantiam & ad accidentia. Ita Scotus in 1. dist. 3. q. 1. & 3. & dist. 8. q. 2. et 4. Metaphy. q. 1. Antonius Andræas in eodem lib. q. 1. Trombeta q. 2. Bonetus 1. lib. suæ metaphy. cap. 6. & Nominales, vt Ochamus, et Gabriel in 1. distin. 2 q. 9. Gregorius in eadem dist. 2. q. 8 et Gabriel Zerbi 4. meta physi. q. 1. Hanc autem opinionem suam, vt explicent triplicem distinguunt synonymiam, Logicam, nimirum Physicam, et Metaphysicã.

Triplex synonymia iuxta Scoti stas. Physica (vt ipsis videtur) est vnitas naturæ indiuisibilis omnino, et formaliter quæ à parte rei in multis reperitur indiuiduis, hæc tamen synonymia in sola specie atoma, et non in superioribus generibus potest reperiri, quia genera non habent vnã naturam indiuisibilem formaliter, quælibet autem species est indiuisibilis secundum formam. Metaphysicam synonymiam appellant vnitatem naturæ abstractæ per intellectum à proprietatibus singularibus et differentiis contrahentibus, ea ratione, qua ab ea separamus omnem

secundam notionem denominantẽ. Logica denique est hæc ipsa natura auulsa à proprietatibus singularibus, vt afficitur tamen aliqua notione secunda generis, vel alterius cuiuspiam vocis vniuersæ. Hac distinctione constituta omnes illi profitentur ens non esse synonymum synonymia physica, quia cum sub illo tot naturæ contineantur, et genere, et specie diuersæ, fieri nulla ratione poterit, vt ipsi synonymia physica adaptetur. Asserunt nihilominus illud aliis duobus modis esse synonymum, nimirum secundum synonymiam Logicam, et secundum synonymiam Metaphysicam, etenim cum exprimat vnum conceptum, et naturam præcisam à propriis rationibus Dei, et creaturarum, substantiæ, et accidentium merito synonymum metaphysicum nuncupabitur: et quia huiusmodi vna natura affici potest aliqua notione secunda vel attributi, vel vniuersi iuxta optimo vocari poterit synonymum logicum. Suam istam opinionem tã de ente respectu Dei, et creaturarum: quam respectu substantiæ, et accidentium eo modo quo exposuimus declaratam, argumentis iã propositis à nobis, videntur sibi satis munitam relinquere.

Explicatur opinio Sco.

2. opin. D. Thomæ. Contrariam tamen sententiam & opinionem, ens s. nulla ratione posse dici synonyme de Deo et creaturis, necnon et de substantia, ac de accidentibus, vt veritati magis consonam vno consensu sequuntur, et aperto ore profitẽtur, veteres et præstantissimi Philosophi, et in doctrina Arist. exercitatissimi, D. Thom. 1. par. q 13. arti 5. q 7. de poten. artic. 7. 1. contra gent. cap. 33. et cum eo Theologi quamplurimi D. Bonauẽ. Aegydius Romanus. Durandus, Argentina, et alii, in 1. distin. 25. et 26. agentes de persona quo in loco do-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cent, neque per personam, neque vlla alia nomina dici posse homonyme aut synonyme de Deo et de creaturis, sed dumtaxat analogice. Eandem non solum de ente in habitudine ad Deum et creaturas (vt iam citati Doctores) sed etiam de ente in habitudine ad substantiam, et ad accidentia, idem D. Tho. cap. 2 lib. de ente et essentia, et in commenta. in capit. 2. 4. lib. Metaphys. et cum eo B. Alber. Mag. Auerroes in commentariis eiusdē loci, Auicenna in sua Metaph. lib. 2. cap. 1. Themistius in paraphrasi in 12. lib. Metaphys. Capreolus, Caietanus, Ferrariensis, Deça, Petrus Niger 1. par. clypei Thomis. q. 49. M. Sotus quæst. 1. Antecatego. & ex Metaphys. in 4. lib. metaphy. cap. 2. Iauellus, & Sueßanus q. 1 Soncinas q. 4. Flandrensis q. 2. articu. 3. Fonseca q 1. libenter amplectuntur.

Obseruatio in explica. quæst.

In cuius sententię explicationem breuiter animaduertēdum erit tria esse necessaria, vt aliqua natura sit synonyma ea synonymia quæ fuit diffinita ab Arist. in 2. cap. huius operis Antecatego. sicut fere omnes ipsius interpretes in commentariis illius obseruasse ostendimus. Primū est, vt sit nomen commune, secundum, vt ratio, ideſt, natura essentialis, vel accidētaria diffinitione explicata, sit vna præcisa, & cōmunis: tertium vt ex æquo participetur à suis inferioribus hac lege, vt non efferatur de ipsis, neque secundum prius & posterius, neque secundum magis & minus, quæ si vera sunt, non erit aduersus Scotum in hac quæst. disputandum, cum ipse non vtatur in hac significatione nomine synonymiæ, sed in alia à se conficta, in qua synonymia significat vnitatem alicuius naturæ præcisam à suis inferioribus, siue de illis efferatur secundum prius & posterius, siue quatenus alia ratione, dum tamen sit vna et communis ipsis. Vnde & nonnulli ex illius imitatoribus docuerunt cum hac synony. naturam synonymam posse etiam esse simul analogam, eo quod in huiusmodi naturis quemadmodum & in analogis datur ratio prioris & posterioris. Agendum tamen erit aduersus eum inferius dum de conceptu entis instituetur à nobis disputatio. Nunc pro positæ quæstioni his tribus conclusionibus respondendum est, quarum prima in hunc modum se habet.

Anton. Andræ. 4. Metap. q 1. ad 1.

1. Conclusio.

Ens non dicitur synonyme de ente rei, & de ente rationis. Hanc profitemur aduersus Bonetum 1. lib. suæ metaphy. cap 6. & aduersus nonnullos alios Scotistas opinantes ens vno, & synonymo conceptu dici de ente rei, & de ente rationis. Confir.

1. Argu.

tamen conclusio. Primo in quibus reperitur prius & posterius, tum magis, ac minus in habitudine ad tale nomen, nulla ratio synonyma poterit illis conuenire, quia natura synonyma ex æquo competit omnibus suis inferioribus, sed ens prius & magis dicitur de ente rei, quam de ente rationis, vt omnibus est notissimum ergo non dicetur de illis synonyme. Secundo. ens rationis cognoscitur per ens rei, & diffinitur per illud, vt negationes cognoscuntur per affirmationes, & per eas diffiniuntur, & priuationes per suos habitus, & formas, non igitur ens vna & eadem ratione dicetur de ente rei & rationis, ac proinde non dicetur synonyme.

2. argu.

Addo ens rationis esse defectum quendam entis rei vt priuatio est quidam defectus affirmationis at fieri nullo modo potest vt natura aliqua cōmunis quę de quibusdam dicitur tanquam de naturis perfectis & absolutis, & de aliis tanquam de defectibus dicatur

3. argu.

tur synonyme de illis.

2. Conc.

Secunda cōclusio. Ens nullo modo est ad ens finitum, & infinitum (Deum, scilicet, et creaturas) synonymum constituendum. Hanc confirmatur assumptio. De nulla creatura absolute, & sine vlla limitatione enuntiamus esse, sed cum limitatione dicimus esse hominis, vel plātæ, de Deo autem absolute enū tiamus esse, vt constare poterit ex illis verbis Exodi 3. *Ego sum qui sum & qui est misit me ad vos.* In quibus appellatio entis simpliciter, & absolute tribuitur Deo, ergo &c. De qua auctoritate cōsulenda sunt quæ 1. lib. Transc. cap. 13 docebamus. Tertium. Homo non dicitur synonyme de homine viuo, & picto, quia homo pictus est quędam adumbrata similitudo hominis viui, sed omnes creaturæ sunt quædam imagines, & adumbratæ similitudines Dei opt. max. ergo ens non dicetur synonyme de Deo, & creaturis. Confirmatur assumptio. Illud dicitur adumbrata similtudo alicuius, quod illud repræsentat, & cum eo comparatum, est fere nihil, at creaturæ repræsentant Deum, & cum eo comparatæ sunt fere nihil, vt constat ex Esaia cap. 40. *Omnes gentes quasi nō sint ante te.* Et Ioan. 1. *Quod factum est in ipso vita erat.* Quasi apertius dicat, omnes creaturæ, quæ sunt per verbum diuinum conditæ, in se consistentes videntur esse veluti mortuæ, omnisque vitæ expertes, at in verbo diuino sunt viuentes vita diuina: ergo &c. Porro. Illa non dicuntur synonyma de quorum vno aliquid efertur, quod non de altero iuxta tale nomen: sed de sapientia diuina aliquid effertur, etiam vt sapientia est, quod non dicitur de sapientia humana: de diuina enim sapientia dicuntur bonitas, iustitia, pulchritudo, & alia in numera attributa, quæ nulla ratione dici possunt de

1. argu.

3. Arg.

Ioan. 4

2. Arg.

4. Arg.

huma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

humana: sapientia namque diuina ita est sapientia, vt sit etiam iustitia, pulchritudo, & bonitas: humana vero ita est sapientia, vt neque sit bonitas neque pulchritudo, ergo sapientia non dicetur synonyme de diuina & creata, idemque est iudicium de ente. Vltimo. Magis differunt Deus, & creaturæ, quam genera suprema, sed generibus supremis non est aliqua natura synonyma communis, quia sunt illa primo diuersa, & primo diuersa non possunt conuenire in aliqua natura synonyma, ergo ens non erit synononymũ ad Deum & creaturas.

Vlti. argum.

3. Conc. Tertia conclusio. Ens non potest vllo pacto synonyme efferri de substantia, & de accidentibus. Confirmatur his argu. Primum petitum est ex variis testimoniis Arist. Is enim in multis locis expressis verbis profitetur ens non dici vno modo & synonyme, sed multis modis, & homonyme, secundum analogiam attributionis, eo modo quo sanum dicitur de animali, vrina, & medicamentis sanis. Ita docet 4. metaphy. cap. 2. 7. cap. 4. etiam, & 11. lib. cap. 2. ac demum 1. physi. cap. 2. agens aduersus Parmenidem, & Melissum, qui constituebant omnia esse vnum, inquit, eos maxime decipi, cum ens non vno, sed multis modis dicatur de decẽ categoriis. Probe noui hoc argumentum dissolui ab aduersariis propositis nonnullis perbellis interpretationibus, quæ tam leues sun, & à contextu menteque Arist. adeo alienæ, vt ineptum sit velle in illis confutandis vel perminimum temporis momentum immorari. Illas refellunt Zimara in tabula verbo ens, Suesanus, & Aquar. in locis citatis. Secundum. Nulla natura synonyma prædicatur per prius & posterius de suis inferioribus, et de quibusdam per attributionem ad alia, quia natura synonyma ex æquo dicitur de suis inferioribus, sed natura entis prius dicitur de substantia, quam de accidentibus, vt docet Arist. 7. Metaphy. cap. 1. et effertur de accidentibus per attributionem ad substantiam, vt idem ipse auctor est 4. metaphy. cap. 2. et passim in aliis locis, ergo natura entis non erit synonyma. Aduersarij tamen respondent huic argu. falsam esse propositionem quia quælibet natura generica est synonyma, quæ tamen prius dicitur de vna specie quã de altera, quod ne alicui mirum videatur, his duobus argumentis suadẽt.

2. Arg.

Solutio.

Primum est. Quia iuxta Arist. 2. metaphy. cap. 1. et 10. cap. 2. in omni genere debet constitui vnum aliquod quod et prius, sit mẽsura cæterorũ.

Solut. 1. Confir.

Alterum est: Inter species alicuius generis debet constitui ordo aliquis essentialis, vnde cum inter ea quæ sunt ordinata essentialiter, quædã priora esse debeãt & alia posteriora, inter species eiusdem generis quædam erunt priores, et aliæ posteriores. Cæterum hæc solutio ex diametro opponitur et aduersatur Arist. in post catego. cap. 9. in quo loco docet inter species quæ continenur sub aliquo genere non esse vnam priorem et alteram posteriorem, sed omnes esse simul natura, & ex æquo diuidere genus. Errant autem illi maxime existimantes idem esse aliqua esse ordinata essentialiter, & inter illa reperiri ordinem prioris, & posterioris secundum naturã, quia ad ordinem essentialem sat est, vnã speciem esse altera nobiliorem secũdum essentiam: at vero ad rationem prioris, & posterioris secundum naturam debet vnum illorum esse vel causa alterius, vel saltim non debẽt duo illa ex æquo diuidere communem aliquam naturam. Vnde quamuis species alicuius generis sint ordinatæ secundum essentiam, quia semper vna vincit alteram in perfectione essentiali: non tamen est vna prior altera secundum naturam, quia vna non est causa alterius, & omnes ex æquo diuiduntidem genus. Et ita quando Arist. in locis allatis docuit in vnoquoque genere constituendum esse aliquod vnum, quod sit principium, & mensura cæterorum loquutus est de priori secundum nobilitatem, non secundũ naturam, quia in quouis genere species quæ est reliquis nobilior constitui debet omnium aliarum mensura.

2. Confirma.

Confut.

3. Argu. Iterum. Si ens esset synonymũ contraheretur ad substantiam, & ad accidentia per aliquas differentias, quia omnis natura synonyma contrahitur per differentias ad sua inferiora, atqui ens non potest contrahi per differentias, ergo neque potest dici, nec est vllo modo natura synonyma. Confirmatur assumptio. Si ens contraheretur per aliquas differẽtias, scilicet per esse per se, & in alio, aut illę includerent formaliter ens, aut non includerent: si non includerent ergo essent non entia formaliter, sed non ens non potest dici de ente, ergo hæ differentiæ non prædicarentur formaliter de aliquo ente, quare esse per se nõ prædicaretur formaliter de substantia, neque esse in alio de accidentibus. Si vero includerent formaliter ens, ergo si ita dicamus substantia est ens per se, cõmitteremus nugationem, quia in eadem oratione bis repetemus ens, semel quando dicimus ens, & iterum quando pronuntiamus per se. Confirmatur hoc argu. Ex sententia Scotistarum genus non includitur formaliter in differentiis, vt animal in rationis participe & experte quia si includeretur, quando ita dicermus, homo est animal particeps rationis, committeremus apertam nugationem: ergo pari ratione si ens includitur formaliter in esse per se, quando dicimus substantia est ens per se, committeremus nugationem. Nituntur tamen alij huic argu. satisfacere dicentes, ens non includi formaliter in suis differentiis, sed idemptice & secundum rem, neque hoc impedit quominus hæ differentiæ efferantur de aliquo ente formaliter, quia vt illæ de aliquo ente prædicentur formaliter, non est necesse quod sint entia formaliter, sed sat est quod sint entia idemptice & secundum rem. Attamen hæc solutio est manifeste falsa & omnino absurda, quod ita confirmo. Arist. 3. metaphy. ca. 3. docet ens non esse genus ex eo quod est inclusum in suis differentiis, rogonum intelligat illud esse inclusum formaliter vel idemptice. Si intelligat hoc secũdum, ergo nullum est discrimẽ propositum ab eo inter ens, & genus, eo quod ens est inclusum in vltimis differentiis, genus autem non est inclusũ, falsum enim est (quemadmodum etiam ipsi profitentur) genus idemptice & secundum rem non esse inclusum in suis vltimis differentiis, iam ergo perperam docent ens non esse inclusum in illis formaliter, & secundum essentiam. Adhæc esse per se non est formaliter ens, ergo substantia magis erit formaliter non ens quam ens, quia cuiusque rei natura magis debet peti à differentia, quam ab attributis communibus: si ergo esse per se (quod est modus intimus & differentia substantiæ) sit nõ ens formaliter, & substantia quoque erit non ens formaliter, & ita erit magis non ens, quam ens, hoc autem quam sit absurdum, nemo est tam imperitus qui non probe cognoscat, quare & absurda etiam erit illorum Solutio.

Solutio.

Confutatio 1.

Confutatio 2.

Rur-

4. arg. Rursus. Aliquis gradus entis continetur in substantia, qui non continetur in accidentibus, & aliquis in accidentibus, qui non continetur in substantia, vt esse per se continetur in substantia, quod non continetur in accidẽtibus, et esse in alio cõtinetur in accidentibus, et non in substantia: ergo ens non erit synonymum ad substantiam et ad accidentia. Confirmatur consequentia. In natura synonyma nullus gradus continetur in vno ex inferioribus, qui non contineatur in alio: quemadmodum nullus gradus naturæ animalis continetur in homine, qui non contineatur in equo, ergo si aliquis gradus entis cõtinetur in substantia qui non continetur in accidentibus, et è conuerso, ens non erit synonymum ad substantiam, et ad accidentia.

5. argu. Adhæc. Illa quæ continẽtur sub vocibus contradicentibus non possunt in aliqua natura synonyma cõuenire: sed substantia et accidentia continentur sub vocibus contradicentibus, quia substantia est ens per se cohærens, accidentia non sunt entia per se cohærentia: substantia nõ est ens dependens, accidentia sunt entia dependentia, quę omnes sunt voces contradicentes, ergo substantia et accidentia non conuenient in natura entis synonyma. Confirmatur propositio. Omnis cõceptus cõmunis synonym⁹ est separatus suapte natura à propriis rationibus suorum inferiorum: sed nullus est conceptus separatus ab vno ex duobus contradicẽtibus, quia quidquid est necessario debet contineri sub aliquo ex cõtradicentibus, iuxta principium illud metaphysicum. De qualibet re vera est affirmatio, aut negatio, de nulla vero ambæ simul: ergo non poterit constitui cõceptus aliquis communis synonymus his quæ contineantur sub vocibus contradicentibus.

Ad argu. primo loco effecta. Iam ad argumenta quæ in initio proposuimus supereſt, vt satisfacia mus. Imprimisq. ad argum. primo loco proposita, quibus conabamur ostendere ens esse synonymum ad ens finitum et infinitum.

Ad 1. Ad primum respon. admittentes ens obtinere vnum conceptum cõmunẽ ad Deũ, et ad creaturas. Hinc tamen non recte colligitur illud esse synonymum, cum natura entis illo conceptu repræsentata nõ ex æquo reperiatur in Deo, et creaturis.

Ad 2. Ad secundum dicimus Metaphysicos in principio inuestigationis progredi ab attributis synonymis, quando inquirunt aliquod attributum in his rebus inferioribus: deinde vero in progressu, quando scilicet abstractis ab illo omnibus imperfectionibus illud Deo tribuunt. progredi ab attributis analogis, quia hæc attributa ab omnibus imperfectionibus separata, *Deo*que attributa, nõ sunt synonyma, sed analoga.

Ad. 3. Ad tertium dicimus in illis attributionibus intelligendum esse ens, quod est vnum, et secundum rationem abstractum à *Deo* et creaturis, negamus tamen illud esse synonymum, quia prius et magis dicitur de Deo, quam de creaturis.

Ad 4. ¶ Ad quartum dicimus duplicem esse posse cognitionem Dei simplicem, vnam adæquatam et perfectã, et alteram inadæquatam, et imperfectã. Illa prima in nulla natura creata potest reperiri, nullus enim intellectus creatus potest comprehendere diuinam naturam: posterior vero à quolibet intellectu potest obtineri, illuminatis siquidem phantasmatibus, cognitaque natura in eis repræsentata per simplicem apprehensionem, simul cognoscitur in eadẽ cognitione Deus, quia cognita imagine,

gine, simul etiã cognosci debet res quam repræsentat, creaturæ vero sunt quædam imagines Dei. Alias solutiones proponit Ferrariensis 1. cõtra gent. cap. 32. quae consulat cui libitum fuerit.

Ad 5. Ad quintum respon. comparationem non tantum fieri inter synonyma, sed etiam inter analoga, quemadmodum Arist. comparat in ratione naturæ materiam cum forma 2. Physic. cap. 1. de quibus dicitur natura analogice, cum prius, et magis dicatur de forma quam de materia, vt in commenta. illius loci cum Aristo docuimus. Et ita comparamus Deum et creaturas in natura entis, non tanquam in synonyma, sed tanquam in analoga natura.

Ad 6. Ad sextum respon. cum D. Tho. 1. p. q. 13. articu. 5. ad 3. duplicem esse mensuram vnam proportionatam, qualis est albedo respectu colorum, quia vtrumque & mensura, & mensuratum sunt res finitæ: & alteram improportionatam, quando scilicet vnum eorum est finitum, & alterũ infinitum. Mensura ergo & mensuratum primi generis sunt eiusdem naturæ synonymæ, at vero mensura & mensuratum secundi generis, non sunt eiusdem naturæ synonymæ: & ita cum Deus sit mensura improportionata creaturis non erit eiusdem naturæ synonymæ cum eis. Arist. autem intelligi debet de mensura quando est proportionata mẽsurato.

Ad arg. secũdo loco effecta. Argumentis vero secundo loco pro aliorum opinione adductis sigillatim etiam oportet respon. Ad primum igitur respon. propositionem esse veram, si natura illa fuerit participata ex æquo à suis inferioribus: Ad 1. argumen. quod si participetur ab eis secundũ prius, & posterius, & secundum magis & minus, non erit synonyma. Et ita cum natura entis prius, & magis conueniat substantiæ, quam accidentibus non erit synonyma.

Ad 2. Ad secundum respon. à substantia et ab accidentibus posse abstrahi communem aliquam naturam, eo modo, quo inter se retinent similitudinem in esse, hæc tamen natura nõ est synonyma sed analoga, quia prius et magis reperitur in substantia, quam in accidentibus.

Ad. 3. Ad tertium dicimus ex hoc argumento tantum colligi, conceptum entis esse vnum, et diuersum à substãtia, et ab accidẽtibus, non tamen colligitur esse synonymum, quia ad synonymiam præter vnitatem, et diuersitatem requiritur vt natura repræsentata ex æquo insit suis inferioribus, quod enti nullo modo competit.

Ad 4. Ad quartum respon. non esse necesse vt obiectum potentiæ synonymæ sit synonymum, sed sufficit vt sit analogum, nam quamuis potentiæ hauriant naturam à suis obiectis: non est tamen necesse vt eandẽ vnitatem retineant obiecta, quam retinent facultates, si enim eandem retinerent, sequeretur vt si facultas esset vna specie, et obiectum quoq. esset vnum specie, quod tamen est omnino falsum, quia facultas videndi est vna specie, et illius obiectum (quod est color) nõ est vnũ specie, sed genere: et intellectus hominis est vnus specie, et ens quod est ipsius obiectum non est vnum specie, imo neque genere, sed secundum solam analogiam, quare ex eo quod intellectus est facultas synonyma non colligitur ens etiam debere esse naturam synonymam.

Ad 5. Ad quintum respon ex Arist. 4. metaphy. cap. 2. et 11. cap. 6. obiectũ scientiarum debere esse vel synonymum vel analogum: et hac ratione ens est obiectum 1. Philoso. quia est analogum ad sua inferiora.

Ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad sextum respon. illam rationē nullam esse quia sequeretur vnitatem entis non esse communem, & vt ita dicam generica, sed numericā: quia vnitas numerica est maior vnitas quam specifica, vel generica, si ergo enti ex eo quod primo percipitur ab intellectu, tribuenda esset maxima vnitas, tribui deberet vnitas numerica. Quare respon. falsum esse illud quod primo percipitur ab intellectu debere esse maxime vnum: imo debet esse minime vnum, quia est illud in tot naturas diuisum ob late patentem ambitū, vt minima indiuisio sit illi necessario concedenda, & ex consequenti minima vnitas.

Ad 7. Ad septimum respondē. negantes proprietates entis synonyme dici de suis inferioribus. Ad rationem de vno propositam dicimus, priuationes ratione sui non recipere magis ac minus, bene tamē ratione sui fundamenti, & ita vnitas ratione entitatis, quæ est eius fundamentum, recipiet magis ac minus, nam illa sunt magis vnum, quæ sunt magis entia, ita enim cernimus maiorem esse vnitatem in Deo, quam in creaturis, & in substantiis separatis, quā in iis quæ oriuntur, & intereunt, quia est in eis maior entitas. Ad alterā vero de veritate resp. rationē veri nō esse sitam in indiuisibili, cum sint quædam aliis veriora, vt principia veriora sunt conclusionibus (si credimus Aristo. 1. de demonst. cap. 2) nam quo aliqua obtinuerint plures causas veritatis, & maiorem entitatem, eo erunt veriora. Ad auctoritatem D. Tho. respon. ipsum nō conferre in eo loco ens, & vnum cū his de quibus dicuntur, ita vt instituat docere ens & vnum prædicari ex æquo, & synonyme de rebus omnibus, sed conferre ens, & vnum inter se, docetque illa duo obtinere eū dem modum prædicandi de suis inferioribus, nam eo modo effertur de illis vnum quo effertur alterum, & hoc est ens & vnum ex æquo dici de omnibus, id est, eodem modo, & ita cum ens dicatur analogice, pari ratione & vnū dici debet analogice.

Ad octauum respon. in primis principiis notis lumine naturę non posse contineri vocem aliquam homonymam, bene tamen analogam, eoquod vox analoga exprimit aliquam vnitatem ratione cuius nulla perturbatio propter multiplicitatē nominis suboriri poterit in primis principiis: & ita ens cum sit analogum cōtineri poterit in primo principio contradictionis. Ad 8.

Ad nonum respon. non omne medium syllogismi posse esse synonymum, posse tamen esse analogum propter vnitatem, quæ in analogis reperitur, ob illam enim non sumitur medium vno modo in propositione, & altero in assumptione, sed in vtraque propositione sumitur eadem ratione, & ita ens propter analogiam poterit esse medium syllogismi. Ad 9.

QVAEST. III. NVM ENS *sit synonymum ad inferiora mediata, quæ sub eo continentur.*

EX inferioribus entis (sumpto illo, vt est totū vniuersum) quædam sunt inferiora mediata, & alia immediata, inferiora immediata sūt substantia, & accidētia, Deus & creaturæ, mediata vero sunt naturæ synonymæ, quę sub istis prioribus cōtinentur, vt homo, et leo, candor, et atror. Quæstio igitur est: Num ens sit synonymum ad sua inferiora mediata, vt ad hominem, & equum, ad candorem, & atrorem, quia ex superiori

riori disputatione tantum constat ens esse analogum, et non esse sinonymum ad inferiora immediata. Alij hanc quæstionem proponūt sub huiusmodi titulo, an ens sit synonymum ad naturas synonymas, vt ad leonem, & bouem, quamuis non sit synonymum ad naturas analogas, vt ad substantiam, & ad accidētia. Et quidem ens synonymum esse ad inferiora mediata hominem v. g. et equum, & alia huiusmodi confirmare possumus his argumentis.

1. Arg. Primum est: In his quæ non dicūtur synonyme, sed secundum analogiam, vnum membrum per alterū diffinitur, quemadmodum inuenimur in analogia sanitatis, in qua sanitas vrinę, & medicinæ diffiniuntur per sanitatem animalis: sed homo (exempli gratia) non diffinitur per equum, neque equus per hominem, vt entia sunt, vt constat ex eorum diffinitionibus, ergo ens synonyme dicetur de homine, & equo.

2. Arg. Secundum. Voces homonymæ si accommodentur vni ex suis significatis fiunt synonymæ, vt canis si accommodetur cani domestico, fit natura synonyma, quia canis domesticus proculdubio est natura synonyma, quamuis si ille referatur ad hūc cœlestem, & marinum sit natura homonyma: ergo quamuis ens sit natura analoga, vel homonyma ab vno, & ad vnum, si tamen accommodetur substantiæ, vel accidenti, vt homini vel colori, erit natura sinonyma.

3. Arg. Tertium. Ens in animali est animal, & ens in homine est homo: sed animal, & homo prædicātur de suis inferioribus synonyme: ergo & ens prædicabitur quoque de eisdem synonyme, et non analogicè.

1. Opin. In hac quęstione quidam viri docti, vt Petrus Fonseca 4. Metaph. c. 2. q. 1. sectio. 5. & Franciscus Zumel 1. p. q. 13. art. 5. quæs. 1. conclu. 4. arbitrantur ens esse synonymum ad naturas synonymas, & ad inferiora mediata, vt ad hominem, et leonem, quamuis ad inferiora immediata sit analogum, quam opinionem ante ipsos sequutus fuerat Caieta. 1. p. q. 13. art. 5. ad finem.

2. opin. Contraria tamen opinio semper mihi placuit, existimo enim ita esse ens analogum suapte vi, & propria natura, vt siue conferatur cum indiuiduis mediatis, siue cum immediatis mutare illā nulla ratione queat. Vndequemadmodum animal, ex eo quod suapte natura est natura synonyma, semper retinet hāc naturam, siue conferatur cum inferioribus immediatis, vt cum homine, & bruto, siue cum mediatis, vt cum Petro, & hoc leone: ita quoque cū ens sit suapte natura analogum, semper retinebit hanc naturam, siue conferatur cum indiuiduis mediatis, siue cum immediatis. Atque ita sit prima conclusio.

1. Conclusio. Ens non est synonymum ad sua inferiora mediata. Confirmatur his argumentis. Primum est. Illa natura quæ dicitur non de his tantum in quibus sua inferiora conueniunt, verum etiam de his in quibus differunt, non est synonyma: quia natura synonyma tantum dicitur de his, in quibus conueniūt sua inferiora: quemadmodum animal tantū dicitur de homine, & bruto iuxta attributa in quibus conueniūt, nō autē dicitur de illis in quibus differunt, neque enim dicitur de participe, & experte rationis: sed ens non tantū dicitur de his in quibus conueniūt sua inferiora mediata, verum etiam de his in quibus differūt, non enim de homine tantum, & leone dicitur, iuxta attributa vtrique communia, verum etiam iuxta proprias differētias, quia cum illæ non sint nihil,

1. Argu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

erunt entia: ergo ens non erit synonymum ad sua inferiora mediata. Secundum. Animal siue conferatur cum suis individuis mediatis, siue cum immediatis semper est natura synonyma, & idem iudicium est de quauis alia natura synonyma: ergo prædicari mediate, vel immediate de inferioribus non mutat rationem naturæ synonymæ: neque igitur in natura analoga, qualis est natura entis mutabitur ratio analogiæ, siue efferatur illa de inferioribus mediatis siue de immediatis. Tertium, si ens non esset analogum, sed synonymum ad hominem, & leonē ex eo esset, quia homo vt ens est nō diffinitur per leonem, neque leo per hominem, atqui hęc ratio nulla est, quia iuxta eundem Fonsecam in eadem quęstione, ens dicitur analogice de vltimis differentiis, cum tamen vna non diffiniatur per alteram, vt particeps rationis non diffiniatur per expers, neque expers per particeps: ergo quamuis homo non diffiniatur per leonem, neque leo per hominem, vt entia sunt, non hinc colligi debet ens esse naturam synonymam.

2. argu.

3. argu.

Secunda conclusio. Ens non est analogum ad inferiora mediata analogia attributionis. Hæc est perspicua, breuiterque in hunc modum confirmatur. Ex inferioribus mediatis, vnum non est ens per attributionem ad aliud, ergo non erit ens ad illa analogum attributionis. Consequentia est nota, confirmatur antecedens. Homo vt ens est, non diffinitur per leonem, neq. leo per hominem, & sic de aliis inferioribus mediatis, ergo homo non erit ens per attributionem ad leonem, neque leo per attributionem ad hominem.

2. Conc.

Tertia conclusio. Ens est analogum proportionalitatis ad infer. ora mediata. Etenim eodem modo se se habet homo ad suam entitatem, quo leo ad suam, quemadmodum enim homo per suam entitatem est, id quod est, ita vt sit ipsa inclusa in conceptu vltimo differentiæ illius: ita etiam leo per suam entitatem est id quod est, ita vt sit ipsius entitas in conceptu vltimo differentiæ leonis inclusa: sed illa sunt analoga proportionalitatis, quę ita sunt inter se affecta, vt quemadmodum se habet hoc ad illud, ita etiam illud ad aliud se habeat, ergo ens erit analogum proportionalitatis ad sua inferiora mediata.

5. Conc.

Ad argumenta vero quæ proposuimus ita respondemus. Ad primū dicimus ex illo tantum colligiens non esse analogum attributionis ad sua inferiora mediata, non tamen non esse analogum proportionalitatis, nam quamuis ens non dicatur de homine per attributionē ad leonem, est tamen inclusum in vltimis differentiis vtriusque, ac proinde erit analogum secundum proportionalitatem.

Ad 1. argum.

Ad secundum respon. primo voces homonymas non significare naturam aliquam synonymam, etiam si accommodentur alicui ex suis significatis, nisi adhibita fuerit aliqua alia vox synonyma, quæ latitudinē vocis homonymę coerceat, & efficiat vt id quod est homonymum, synonyme efferatur. Vnde ens semper erit vox homonyma nisi illi addita fuerit aliqua particula synonyma, vt per se, v.g. qua ratione iam non homonyma, sed synonyma erit natura, nam significabit tunc temporis synonymam, & non homonymam naturam, vt ens per se, quod est ratio substantiæ significabit naturam synonymam, quemadmodū substantia eandem significat. Secundo respon. esse latum discrimen inter ens

Ad 2.

ter ens, & alias voces homonymas, quia in aliis res nomine homonymo, vel analogo significata non includitur in conceptu differentiarū earum rerum, quas significant, atq. ita si accommodentur alicui ex significatis synonyme prædicantur, at ens est inclusum in cōceptu vltimo suorum inferiorum, quamobrem quāuis alicui ex illis applicetur non poterit esse natura synonyma.

Ad 3.

Ad tertium respon. negando consequentiam, quia quamuis ens in animali, vel in equo secundum rem sit idem cum eis, differt tamen ratione, ob quam causam alio, & alio modo de suis inferioribus prædicabtur: atq. ita licet animal, vel homo synonyme dicantur, nō tamen hinc fit, vt ens synonyme quoque de eis dē subiectis efferatur. Quod si quis scire cupiat causam ob quam cum ens & animal, v.g. sint idem secundum rem, non dicantur de eisdem subiectis eodem modo, hanc poterit accipere: quia animal non est inclusum in conceptu vltimo suarum differentiarum, ens vero inclusum est in conceptu earundum, ac proinde cum illa natura, quæ est inclusa in conceptu vltimarum differentiarū non posit esse synonyma, altera vero quæ non est inclusa esse posit, propterea natura animalis erit synonyma, entis vero nullo modo esse poterit.

QVAESTIO III. AN ENS *sit analogum ad sua inferiora necne?*

LVculenter satis de homonymia, & synonymia entis disseruimus. Sequitur vt falsis aliorum opinionibus confutatis veram sententiam (quæ illud esse analogū constituit) explicemus. Verum vt hæc sententia illustrior multo appareat erunt prius proponenda argumenta, quæ analogiam entis euertere omnino videntur, quæ in tres classes distribuemus, nam in prima proponem' argumenta aduersus analogiam illius ad ens rei, & rationis: in secunda aduersus analogiam ad Deum, & ad creaturas, & in tertia aduersus analogiam ad substantiam, & ad accidentia. Imprimis igitur ens non dici analogice de ente rei, & rationis confirmatur primo. Nulla res potest vocari analoga nisi in habitudine ad ea, quibus ratio significata nomine ipsius potest conuenire: sed ratio significata nomine entis, nulla ratione potest conuenire enti rationis, ergo ens non erit analogum ad ens rei, & rationis. Assumptionem ita confirmamus. Ratio significata nomine entis est substantia, vel accidens: sed ens rationis, neq. est substantia neque accidens: ergo ratio significata nomine entis non conueniet enti rationis.

Argu. primæ classis.

1. Argu.

Præterea. Inter analoga interuenire debet aliqua similitudo: sed inter ens rei, & rationis nulla similitudo interuenit, quia esse entis rationis non est esse, at vero esse entis rei est esse vere, & proprie: ergo ens nō dicitur analogice de ente rei, & rationis.

2 Argu.

Adhæc. Quemadmodum sese habent homo viuus, & pictus, ita quo que se habent ens rei, & rationis, vt enim homo pictus ex eo dicitur homo, quia est similitudo hominis viui: ita quoque ens rationis ex eo erit ens quia est imago quædam entis rei, sed homo dicitur homonyme de homine viuo & picto, vt auctor est Arist. in hoc opere antecatego. in diffinitione homonymorū, ergo ens dicitur homonyme de ente rei, & rationis.

3. argu.

Denique in analogis vnum ex eis

4. Arg.

vel est signum vel causa alterius, quemadmodum in sanitate, vrina est signum illius, medicina vero est eiusdem causa: sed ens rationis neque est signum, neq. causa entis rei, vt est satis perspicuum: ergo ens nō erit analogū ad ens rei, & rationis.

Argu. secundæ classis.

Iam aduersus analogiam entis in habitudine ad Deum, & creaturas hæc alia se offerunt argumenta. Primum. Ens ex eo dicitur analogice de substantia, & de accidentibus,

1. Arg. quia de substantia dicitur simpliciter, de accidentibus vero secundum quid: sed ens non dicitur simpliciter de Deo, & secundum quid de creaturis, imo simpliciter & absolute dicitur de creaturis, quemadmodum & de Deo, ergo ens non dicetur secundum analogiam de Deo & de creaturis.

2. Arg. Secundum argu. In analogis secundum attributionem, res analogata tātum dicitur de membro præcipuo secundum essentiam, de aliis vero extrinseca denominatione, vt docuimus in legibus analogorum cap. 3. propositis: sed ens non tantū dicitur de Deo secundum essentiam sed etiam de creaturis, ergo non poterit prædicari de Deo, & de creaturis saltim secundum analogiam attributionis.

3. Arg. Tertium In analogis attributionis membrum analogū minus præcipuum diffiniri debet per illud quod fuerit magis præcipuum, quē admodum in eisdem legibus perscripsimus, sed creaturæ vt entia sunt non diffiniūtur per Deū, tū 1. quia optime diffiniūtur esse illa, quæ habent esse, quia hæc est ratio entis habere esse, in qua diffinitione non continetur Deus: tum deinde quia creaturæ fuerūt prius cognitæ à nobis, quam fuerit cognita vlla dependentia earum ad Deum: ergo & fuerunt prius illæ diffinitæ nulla in ipsarum diffinitione Dei facta mētione, iam ergo ens non prædicabitur de Deo, & creaturis analogice.

4. arg. Præterea. In analogis secundum attributionem membrum præcipuum est forma quædam denominans alia analoga, quæ sunt minus præcipua, vt sanitas quæ inest animali est forma denominans vrinā, & medicamenta sana: si ergo ens est analogum secundum attributionē ad Deum, & ad creaturas, Deus qui est analogum magis præcipuum erit forma denominans creaturas, hoc autē fieri nulla ratione potest, cum Deus non possit obtinere rationem formæ, quemadmodum neque materiæ, ergo ens non dicetur analogia secundum attributionem de Deo, & creaturis.

Argum. tertiæ classis.

Tertio loco in medium adducamus oportet, argumenta, quæ fieri solent aduersus analogiā entis respectu substantiæ, & accidentis. Primum. In analogis membrum minus

1. Arg. præcipuum, debet per magis præcipuum, diffiniri, vt sæpe in superioribus docuimus, sed accidentia non diffiniuntur per substantiam, quæ tamen sunt membra minus præcipua: ergo ens non erit analogum ad substantiam, & ad accidentia. Confirmatur assumptio. Imprimis candor non diffinitur per substantiam, diffinitur enim color disgregans visum, in qua diffinitione nulla substantia continetur. Deinde Mathematici diffiniunt quantitatem sine substantia, diffiniunt enim circulū esse figuram planam vna linea comprehensam, in cuius medio punctū est, à quo omnes lineæ ductę vsque ad circumferentiam sunt æquales, in qua diffinitione satis est exploratum nullam substantiam contineri. Demū si accidentia vt entia sunt diffinirentur per substantiam, ergo & substantia quoque per se ipsam diffiniretur, quia quod competit accidenta ea ratione qua est ens, competit omni enti, quemadmodum quod competit homini vt animal est, competit omni animali: atqui hoc dicere est absurdum, cum nihil possit per se ipsum diffiniri: ergo accidentia vt entia sunt non diffiniē-

2. Arg. tur per substantiam. Deinde. Lex est in analogis maxime obseruanda vt res analogata de præcipuo analogato efferatur secundum essentiam, & intrinsece de minus præcipuo autē extrinseca denominatione, vt in exemplo satis protrito sanitatis illud confirmare possumus, quæ de animali tantum dicitur secundum essentiam, & intrinsece, de vrina vero vel medicamentis dicitur extrinseca denominatione: sed ens non solum dicitur de substantia intrinsece, & formaliter, tanquā de ea quę est membrum præcipuum, verum etiā & de accidentibus, quia in his attributionibus, quantitas est ens, qualitas est ens attributum est de essentia subiectorum, ergo ens non erit analogum ad substantiam, & ad accidentia.

3. Arg. Denique. In analogis membrum minus præcipuum obtinet naturā rei analogę per habitudinem ad mē brum magis præcipuum, vt est omnibus manifestum: sed dantur aliqua accidentia quæ non sunt entia per habitudinem ad substantiam, ergo ens non erit analogum saltim ad substantiam, & ad hæc accidentia. Confirmatur assumptio. Relatio est ens, sed relatio habet suam entitatem per habitudinem ad terminum, vt constare poterit ex diffinitione relatorum, quæ explicat eorum entitatem, in qua non continetur subiectum, sed termin⁹. Dantur ergo aliqua accidentia, quæ non obtinent suam entitatem per habitudinem ad substantiam.

His tamen nihil impedientibus asserendum erit ens ad hæc omnia recensita esse naturam analogam, hæc enim est communis omnium Peripateticorum, rectęque sententium opinio, quam sequentibus assertionibus aperte satis & dilucide (nisi fallimur) proponemus. Sit igitur prima. Ens vtroque genere analogiæ & attributionis, & proportionalitatis est analogum ad ens rei & rationis. Imprimisque esse analogum attributionis confirmatur ex Arist. 4. metaphy. cap. 2. qui postquam docuerant ens esse homonymum ab vno, & ad vnum (quod idem est ac esse analogum attributionis) diuisit illud in substantiam, quantitatem, qualitatem, negationes & priuationes, at negationes, & priuationes entia rationis sunt, quare ens erit analogum attributionis ad ens rei, & rationis. Iam. Eodem modo alicui competit ratio subiecti, quo conueniunt illi proprietates ab eo dimanantes: sed proprietates entis conueniunt enti rationis per attributionem ad ens rei, vt esse verum, vel intelligi posse, conuenit enti rationis per attributionē ad ens rei, est enim ens rationis intelligibile per ens rei, quemadmodum negatio cognoscitur per affirmationem, & priuatio per habitum, ergo ens erit analogum secundum attributionē ad ens rei & rationis. Deinde esse analogum secundum proportionalitatem ita ostendimus, primo. Quia quemadmodum se habet ens rei ad suum esse, ita quoque & ens rationis se habebit ad suum, & quēadmodum ens rei dicitur ens per suum esse, ita & ens rationis dicitur ens per suum esse: sed hæc est analogia secundum proportionalit. ergo ens erit analogū proportionalit. ad ens rei, & rationis. Deinde quia si ens solum esset analogum secundum attri-

Explica tur vero Op in.

1. Conc.

Confir. quo ad 1. p.

2. Arg.

Confir. eadem quo ad 2. p.

Universidad de Deusto
Biblioteca

attributionem ad ens rei & rationis sequeretur, vt solum ens rei (quod est membrum præcipuum huius analogiæ) esset ens intrinsece, & secũdum essentiam: hoc enim commune est omnibus analogis solius attributionis, vt exposuimus in cap. 3. sed ens rationis non est ens extrinseca denominatione, sed intrinseca, & secundum essentiam, quemadmodũ etiam est vnum secundum essentiã, ergo ens commune enti rei & rationis erit analogum secundũ proportionem.

2. Conc. Secunda conclusio. Ens est analogum attributionis, & proportionalitatis ad ens finitum, & infinitum ad Deum nimirum, & ad creaturas. Sciẽdum est Caieta. cap. 2. de ente, & essen. q. 3. existimare ens sola analogia proportionalitatis esse analogũ ad Deum, & ad creaturas, cuius contrarium, tanquã suo iudicio verius amplectitur Aegydius in 1. dist. 8. quæst. 1. arti. 2. nam putat illud sola analogia secundum attributionẽ esse analogum ad hæc membra. Etenim quamuis creaturæ (inquit) ex se, & suapte natura obtineant aliquod esse, est tamen ita minima, vt ab eo nulla ratione queant illæ vocari entia, sed dicuntur entia per attributionem ad entitatem, quæ in solo Deo per essentiam reperitur: quemadmodum quamuis accidentia sint formaliter entia, est tamen eorum entitas ita exigua, vt ab ipsa non possint entia nuncupari, sed vocantur entia per attributionem ad entitatem, quæ in substãtia reperitur. Nos vero vtroque genere analogiæ arbitramur ens esse analogum ad Deum, & ad creaturas Imprimisque vt à facilioribus inchoemus esse analogum secundũ proportionalitatem, aduersus Aegidiũ cõfirmatur primo. Quia quemadmodum sese habet Deus ad suũ esse, ita & creaturæ sese habent ad suum: etenim quemadmodum Deus est ens per suum esse, ita & creaturæ sunt entia per suum esse, sed hęc est analogia secundum proportionali. ergo ens erit analogum secundum proportionali. Secundo. Si ens esset 2. Arg. analogum secundum solam attributionem, ergo solus Deus, qui est mẽbrum precipuum huius analogiæ esset ens secundum essentiam, & formaliter: creaturæ vero essent entia extrinseca denominatione, quia in analogis secundum solam attributionem, hanc legem esse obseruandam diximus, vt res analoga in præcipuo analogato reperiatur secundum essentiam, & in minus præcipuis secundum extrinsecam denominationem: sed hoc est omnino absurdum, cum creaturæ sint formaliter, & secundum essentiam entia: ergo ens non dicetur secundum solã analogiam attributionis de ente finito & infinito (Deo videlicet & creaturis) sed præter eam etiam secundũ analogiam proportionalita.

Præterea esse analogum secundũ Eadem attributionem aduersus Caieta. Cõ iuxta 2. firmamus primo. Omne attributũ confir. de his de quibus prædicatur secundum participationem dicitur per attributionem ad ea de quibus prædicatur secundum essentiam, vt quia esse calidum prædicatur de ferro secundum participationem, dicetur de illo per attributionem ad ignem qui secũdum essentiam est calidus: sed ens dicitur de creaturis per participationem, de Deo vero secundũ essentiam: ergo dicetur de creaturis per attributionem ad Deum. Iam. 2. argu. Non minus dependent creaturæ à Deo, quam accidentia dependeant à substantia, sed quia accidentia depẽdent à substantia sunt entia per attributionem ad illam, ergo & propter eandem dependentiam creaturę erunt

Obser. entia per attributionem ad Deum. Verum cum in superioribus dictum sit hanc attributionem diuisam esse in attributionem duorum, vel plurium ad vnum, vel vnius ad alterum, ens non erit analogum ad Deum & creaturas analogia duorũ ad vnum terrium, sed vnius ad alterum, nam Deus & creaturæ non referuntur ad tertiam aliquam naturam, vt sanitas medicinæ, & vrinæ referuntur ad sanitatẽ animalis, nã si referrentur illa tertia natura esset prior Deo & creaturis, quemadmodum sanitas animalis est prior sanitate vrinæ, & medicinæ, at Deo nihil potest esse prius, quare ens erit analogum analogia vnius ad alterũ, ex eo nimirum, quia creaturæ referuntur ad Deum, ex qua relatione totam entitatis naturam sortiũtur. Ita perspicuis verbis docet D. Tho. 1. contra gen. cap 34. & 1 par. q. 3. arti. 5. & q. 7. de potẽtia, art. 7. & in prologo sentent. art. 2. ad 2. Legẽdus est Ferrarien. 1. contra gent. cap. 32. & 34.

3. Conc. Tertia conclu. Ens dicitur secundum analogiam attributionis de Deo, & de creatutis iuxta tria genera causarum, scilicet causæ efficientis, formalis, & finalis, non autem secundum genus causæ materialis. Itaque creaturæ per attributionem ad Deum tanquam ad causam efficientem, formalem, vel exemplarẽ, & finalem, suam entitatem consequuntur. Primò igitur habere entitatem à Deo tanquam à primo efficiente constat, quia omnes creaturę sunt à Deo efficienter productæ: nã

Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Deinde esse entia per attributionem ad ipsum tanquam ad causam formalem, vel exemplarẽ, cõfirmatur ex eo, quod omnes creaturæ deductæ fuerunt, & deriuatæ ab ideis, & exemplaribus, quæ intra mentem diuinam continentur. Adhęc esse entia per attributionem ad eundem tanquam ad finem intelligere poterit, qui conspiciet, Deum esse finem, & scopum omnium creaturarum. Et tandem non esse analogum per attributionem ad vnam materiam, vel subiectum colligi poterit ex eo, quia Deus non est subiectum cui inhæreant creaturæ, eo modo quo accidentia inhærent substantiæ. Legenda sunt quæ diximus lib. 1. Transcendentium capit. 15.

Quarta conclusio Ens dicitur se- 4. Con. cundum analogiam de substantia, & de accidentibus. Confirmatur in primis ex Arist qui variis locis docet ens esse homonymum ab vno, vel ad vnum, vt 4. Metaphy. cap. 2. 7 c. 4. & 11. c. 3. & 12. cap. 4. at quæ sunt hac ratione homonyma analoga etiam nuncupantur, vt iam supra agentes de analogia in communi exposuimus. Præterea. Ens neq. 2. argu. synonyme, neque homonyme, neq. paronyme dicitur de substantia, & de accidentibus, non homonyme, quia non dicitur solo nomine, neq. paronyme, quia non dicitur accidẽtario, neque synonyme quia est inclusum in conceptu vltimo substãtiæ, & accidentium, in quo naturæ synonymę includi nulla ratione possunt: prædicabitur igitur à sufficienti diuisione de his duobus membris secundum analogiam.

Controuersia tamen est de genere analogiæ quo ens est analogum, sitne analogum attributionis, vel proportionalitatis, vel vtrisque generis, nam in hac re maxime inter se dissident viri graues. Aegydius 4. Metaphy. q. 4. & in 1. dist. 8 q. 1. articu. 2. existimat esse tantum analogum secundum attributionem, quia est, inquit, tam minima entitas accidentium, vt ab ea non possint accidentia dici entia, sed ab attributione ad

Contro. uer. circa conclu. 1. Opin.

ne ad substantiam, quæ ipsorum est commune subiectum. Idem asse-
2. opin. rere videtur Capreol. in 1. distin. 2. q. 1. ad 1. contra 9. conclu. Nonnulli ex veteribus, vt testatur Herueus quodlibeto 2. q. 7. constituerũt ens in habitudine ad substantiam, & ad duas categorias accidentium absolutas, vt ad quantitatem, & qualitatem esse analogum vtriusque generis, & secundum attributionem, & secundum proportionalitatem: in habitudine tamen ad alias categorias relatorum non esse analogum secũdum proportionalitatem, sed secundum solam attributionem, quia relata non sunt intrinsece entia, sed extrinsece per attributionẽ ad substantiam. At grauissimi viri, Diuus Thomas 1. sentent. distinct. 19. quæstio. 5. articu. 2. ad 1 Caietan. cap 2. libelli de ente & essentia, quæst. 3. & in opuscu. de nominum analogia. Ferrarien. 1. cont. gent. cap. 34. Flandren. 4. Metaph. q. 2. art. 4. Aquarius & Fonseca in eodem 4. Metaph. q. 1. profitentur, & (quidem verissime) ens & secundum attributionem, & secundum proportionalitatem dici de substãtia, & de accidentibus, vt de sit quinta conclusio.

5. Conc. Ens est analogum secundum attributionem ad substantiam, & ad accidentia. Confirmatur imprimis ex testimoniis Arist. quæ in superiori conclusione proposuimus, in quibus inquit ens esse homonymum
1. Arg. ab vno, vel ad vnum eo modo, quo sanitas est hac ratione homonymũ, vel analogum ad sanitatem vrinæ, medicinæ, & animalis: at sanitas dicitur de his per attributionem ad sanitatem quæ in animali reperitur.
2. Arg. Tum etiam quando aliquod superius hoc ordine de suis inferioribus dicitur, vt dicatur de vno per habitudinem ad alterum, est illud analogum secundum attributionem, sed ens dicitur de substantia, & de accidentibus hoc ordine, vt dicatur de accidentibus per habitudinem ad substantiam, vt auctor est Aristo. 7. Metaphy. cap. 1. ergo dicetur de substantia, & de accidentibus secundũ analogiam attributionis. Quod intelligi debet secundum analogiam duorum, vel plurium ad vnum tertium, quia substantia & accidentia referuntur ad vnam naturam entis, quæ prius magisque in substantia, quam in accidentibus reperitur: deinde vero per attributionem ad substantiam, etiam eisdem accidẽtibus communicatur.

Adnotatio. circa conclu. Cæterum cum hæc analogia quædam sit ab vno, & alia ad vnum, & rursus hæc posterior quædam sit ad vnum finem, & alia ad vnum subiectum omnibus his modis erit ens analogum secundum attributionẽ ad substantiam, & ad accidentia. Et enim cum tribus modis ex D. Tho. 1. par. q. 77. artic. 6. ad 2. Substantia sit causa accidentium efficiens, finalis, & materialis, vt est causa efficiẽs eorum erit analogum secundum attributionem ab vno, quia accidentia in ratione entis fluunt ab entitate quæ est in substantia, tanquam à propria causa efficiente, vt autem est causa materialis, aut subiectum in se fulsiens accidentia, erit ens analogum secundum attributionem ad vnum subiectum, quia omnia accidentia sunt in substantia, ex cuius inhærentia totam entitatem cõsequuntur. Vltimo ea ratione qua substantia est finis accidentium, erit analogum secundum attributionem ad vnum finem, quia omnia accidentia referuntur ad substantiã tanquã ad eorum finem, & scopũ, quædam vt illius mensuræ, quẽad modũ quantitas, alia tanquam affectiones, & dispositiones, vt qualitas, alia tanquam habitudines referentes ip-

tes ipsam ad suum terminum, vt omnes relationes.

Obiect. Contra tamen dicet aliquis si accidentia essent entia per attributionem ad substantiam, ergo nõ essent formaliter, & intrinsece entia, sed extrinsece, & certe admittere (quantum opinor) nullus audebit, quod sequatur sic confirmo. Lex est analogorum attributionis à nobis supra constituta naturam analogiæ in præcipuo analogato tantum reperiri secundum essentiam, & formaliter, in aliis vero extrinseca tantum denominatione, si igitur ens dicitur analogice secundum analogiam attributionis de substantia, & de accidentibus cum substantia sit membrum magis præcipuum, tantum dicetur de substantia formaliter, & intrinsece, de accidẽtibus vero extrin-
Solutio. seca denominatione. Respon. impri mis admittentes ens iuxta hanc analogiam attributionis tãtum dici de substantia formaliter, & intrinsece, & de accidentibus extrinsece, quam-
Lege Caieta. c. 2. de analog. uis secundum aliam analogiam proportionalitatis, tam de substantia quam de accidẽtibus intrinsece præ-
Solu. 2. dicetur. Respond. deindè negando hoc sequi, ad cuius confirmationem dicimus legem illam analogorum attributionis intelligendam esse quando sunt tantum illa analoga secundum attributionem, vt vrina medicina, animal sanum, quæ quia sunt analoga secundum solam attributionem, ratio sanitatis intrinsece & formaliter tantum reperitur in animali, quod est membrum præcipuum analogiæ: in vrina vero et medicina sola extrinseca denominatione: at quando cum hac analogia permiscetur alia secundum proportionalitatem non erit lex illa vera, neque de his analogis intelligenda, atque ita cum ens & sit analogum attributionis, & proportionalitatis, ad substantiam, & ad accidentia, non dicetur tantum intrinsece & formaliter de substantia, verum etiam & de ipsis accidentibus.

6. Conc. Sexta conclusio. Ens est etiam ad hæc duo membra analogum secundum proportionalitatem tam in habitudine ad accidentia absoluta, vt quantitatem, & qualitatem, quam in habitudine ad alia relata. Confirmatur imprimis esse analogum proportionalitatis in habitudine ad accidentia absoluta aduersus Aegydium. Primo, quia vt se habet substãtia ad suum esse, ita quantitas & qualitas se habent quoque ad suum nã quemadmodũ substãtia est id quod est per suam entitatem, ita & quantitas est id quod est per suam entitatem, & idem iudicium est de qualitate: & quemadmodum entitas est inclusa intrinsece & secundum essentiam in conceptu vltimo substãtię, ita etiam est inclusa in conceptu vltimo quantitatis, vel qualitatis, erit igitur illud analogum secũdum proportionalitatem. Secundo, quia si
2. Arg. ens esset analogum ad hæc membra secundum solam attributionem, sieret profecto, vt accidentia quæ huius analogiæ sunt membra minus præcipua secundũ essentiam, & formaliter non essent entia, quia in analogis solius attributionis mẽbra minus præcipua non sunt formaliter talia, quod certe quamuis Aegydius immerito admittat, esse falsum ex eo constare potest, quia accidentia non sunt formaliter nihil, quare formaliter erunt entia, non igitur sola analogia attributionis erit ens analogum ad hęc membra, sed etiam analogia proportionalitatis, vt ex his poterit aperte constare.

Deinde esse hoc genere analogiæ analogum in habitudine ad accidẽtia relata confirmatur, quia si tantũ esset analogum secundum analogiã

ctt ibitionis, relationes non essent intrinsece, & formaliter entia, quod quamuis ingenue profiteantur auctores, quos Herueus vbi supra recenset, esse tamen hoc falsum colligi poterit primo, quia hæ attributiones, relatio est ens, Actio & passio sunt entia, non sunt minus essentiales quam hæ aliæ, substantia est ens vel quãtitas est ens, quare cum ens formaliter prædicetur de substantia & de quantitate, formaliter quoque de illis aliis relatis prædicabitur. Se

2. argu. cundo, quia si hæ categoriæ relatorum non essent secundum essentiã, & formaliter entia, essent formaliter non entia, quia quod non est formaliter ens, est formaliter non ens, vnde fieret, vt cum hæ categoriæ sint entia rei ens rei esset formaliter nõ ens, quo certe nihil absurdius potest excogitari. Quare colligendum erit ens dici secundum analogiam proportionalitatis de substantia, & de accidentibus relatis.

Iam ad argumẽta quæ initio quæstionis in tres classes diuisimus, suo ordine sigillatim respondeamus: im primisque ad primæ classis argum.

Ad 1. ar gumen. 1. class. Ad primum resp rationem nomine entis significatam non esse hoc disiunctum substantia, vel accidens quemadmodum sibi persuaserat Sõcinas: sed esse ipsummet esse abstrahens à ratione substantiæ & accidẽtis, quod tamen est vtrique commune secundum analogiam.

Ad 2. Ad secundum dicimus inter ens rei & rationis intercedere similitudinem, non vnam & eandem simpliciter, & synonymam, sed analogã, & secundum quid.

Ad. 3. Ad tertium respond. admittentes eodem modo se habere ens ad ens rei & rationis, quo se habet homo ad hominem pictum, & viuum: at homo (nostro iudicio) non dicitur pure homonyme de viuo, & picto, cum dicatur de picto ex eo quod refert imaginem viui. Quod si Aristo. in Antecatego docet hominem dictum de viuo, & de picto, esse homony. ex eo est, quia cum analogi sub homonymis à consilio contineantu, sæpe fit, vt ea quæ sunt vere analoga nuncupentur homonyma. Vnde & hæc dicta sunt homonyma, nõ quia vere & pure ita sint, sed quia sub homonymis à consilio comprehenduntur, sub quibus omnia analoga continentur.

Ad 4. Ad quartum respon. imprimis: in analogis secundum proportionalitatem non esse aliquod ex membris analogatis, vel signum, vel causam alterius, quemadmodum pes animalis, neque est signum, neque causa pedis montis, de quibus dicitur pes secundum analogiam proportionalitatis. Deinde falsum est ens rationis, neque esse signum, neque causam entis rei: quia nomina, verba, orationes, & enunciationes, secundũ essentiam & significationem sunt entia rationis, quæ tamen significant entia rei, non tanquam signa (vt dicunt) formalia, sed tanquam signa instrumentalia, quæ ex hominum instituto ortum habent. Præterea, ens rationis est effectus entis rei, scilicet intellectus, nõ primo & per se, sed secundario productus, quia primus effectus intellectus est intellectio, verum quia ad intellectionem sequitur in rebus eas esse genera vel species, subiecta vel attributa, quæ sunt entia rationis ob hanc causam ens rationis secundario producetur ab intellectu.

Iam argumentis secundæ classis ita satisfacimus, ad 1. dicimus ens simpliciter, & absolute dici de solo Deo, de creaturis vero secundum quid, & extrinseca denominatione, secundũ analogiam attributionis, at vero secundum analogiam proportionis de vtroque dicitur intrinsece, & secundum essentiam, neque enim est necesse vt in omni analogia res analoga efferatur de vno analogo secundum essentiam, & de alio extrinseca denominatione, hoc enim obseruari solum debet in analogis secundum attributionẽ. Possumus etiam cum Caieta. respon. in libello denominum analogia cap. 9. creaturas sumi posse vel secundũ se, vel secundum rationem analogiæ ad Deum: si primo modo sumãtur, sunt illæ entia intrinsece & secundum essentiam vel simpliciter: si vero altero modo vsurpentur, sunt entia secundum quid, sunt enim quasi non essent, quia creaturæ collatæ cum creatore, sunt quasi nihil.

Ad argum. 2. class. Ad 1.

Ad 2. Ad secundum dicimus propositio. intelligendam esse quando illa sunt analoga secundum solam analogiam attributionis, non autem quando cum hac analogia sunt etiã simul analoga secundum proportionali. quia ea parte qua sunt analoga secundum proportionalit. res analoga dicitur de omnibus analogatis intrinsece, & secundum essentiam. Vel dicere possumus solutionem propositam clarius, & magis explicantes, creaturas esse, & non esse entia extrinseca denominatione, esse entia si in ipsis contemplemur analogiam secundum attributionem, non esse entia si consideremus analogiam secundum proportionem.

Ad 3. Ad tertium respon. legem illam analogorum quod minus præcipua diffiniri debeant per illud quod est magis præcipuum, intelligendam esse de analogis solius attributionis atque ita si de hac analogia loquamur creaturæ erunt per Deum tanquam per præcipuum analogatum diffiniendæ. Possunt tamen ilæ sumi duobus modis, aut vt creaturæ sunt, aut in propriis rationibus. Secundo modo non diffinientur per Deum, quia ita nullam denotant ab ipsum habitudinem: vt homo in propria ratione qua est animal particeps rationis nullam habitudinem denotat ad ipsum Deũ: si vero vt creaturæ sunt vsurpentur, debent necesario per Deum vt creator est diffiniri, nam creaturæ diffinitio ea ratione, qua est ens creatũ, nõ est esse illud q̃ habet esse sed est esse illud quod habet esse dependens à Deo. Præterea quãuis creaturę fuerint prius cognitæ vt res quædam sunt, & in propriis naturis quam fuerit cognita aliqua dependentia ad Deum, eædem tamen, vt creaturæ sunt, & iuxta analogiã attributionis quam habent ad Deũ, non fuerunt prius cognitæ quam huiusmodi dependentia.

Ad 4. Ad quartum respon. triplicem esse formam exemplarem, vt sunt idæ in mente artificis, denominantem tantum & non inhærentem, vt est locus qui denominat rem locatam, cui tamen non inhæret, denominantem simul, & inhærentem, vt candor qui denominat niuem candidam, cui tanquam subiecto inhæret. Igitur Deus opt. Max. non potest esse forma denominans, & inhærens subiecto denominato, potest tamen esse forma exemplaris, & denominans, atque ita ab entitate diuina tanquam à quodam exemplari, vocabuntur creaturæ entia iuxta analogiam attributionis.

Ad arg. 3. class. Ad 1. Ad argumenta tertię classis sequitur tandem vt satisfaciamus. Ad primum respon. negãdo assumptionem: nam omnia accidentia sunt necessario per subiectum diffinienda, aliquando quidem implicite, & aliquando explicite, nam possunt illa esse vel propria, vel communia: præterea

Universidad de Deusto
Biblioteca

tere: vtraque sumi possunt vel in concreto, vel in abstracto. Si fuerint accidentia communia, & abstracta non explicite, sed implicite per subiectum diffiniuntur, vt candor diffinitur color disgregans visum, in qua diffinitione expresse nullum subiectum continetur, implicite tñ aliquod comprehenditur, nã color qui continetur in diffinitione, est actus corporis luminosi, in qua diffinitione diffinitur color per subiectum, nimirum per corpus: Si vero sumpta fuerint eadem in concreto in illorum diffinitione expresse continetur subiectum, nam candidum diffinimus corpus disgregans visum. Propria vero siue fuerint concreta, siue abstracta expresse per subiectum diffiniuntur hac lege, vt si sumpta fuerint in abstracto quod est verum genus habeat locũ generis, & subiectum locum differentiæ: si vero in concreto vsurpentur, è contra subiectum habeat locum generis, & verum genus locum differentiæ obtinet, nam simitatem diffinimus nasi curuitatẽ, in qua diffinitione curuitas quæ est verum genus habet locum generis, & nasus qui est subiectum locum differentiæ: simum vero ẽ cõtra diffinimus nasum curuũ, in qua nasus qui est subiectum habet locum generis, & cururtas quæ est verum genus locum differentię. Ad confirmationes vero, quę in eodem argumento proponebantur, ad duas priores, ex his quæ proxime diximus abũde est satisfactum, nam ad primam dicimus candorem diffiniri per subiectum implicite, & non est necesse vt diffiniatur explicite, nisi quando diffinitum fuerit in concreto. Ad secundam eodem modo dicimus in diffinitione circuli quam tradunt Mathematici contineri substantiã nõ explicite, sed implicite, Legẽda sunt quę de hac re docuimus lib. 1. Trãscen. cap. 22. consulendi sunt etiam Metaphy. 7. lib. metaphy. Sonçinas q. 6. Flandrensis q. 8. art. 1. & 2. Iauellus, Aquarius & Suesanus q. 3. eiusdem lib. In explicatione tamen tertiæ est maior difficultas, cui respon. negando propositionem, est enim latum discrimen (quod memoriæ commendari maxime cuperem) inter synonyma, & analoga, quia in synonymis nullus gradus naturę cõmunis iuxta tale nomen competit vni ex inferioribus, qui alteri etiã non conueniat, at in analogis res è contrario sese habet, quia aliquid cõpetit alicui ex inferioribus, quod alteri cõuenire nullo modo potest. Etenim vrinæ vt est sana, aliquid competit quod non competit medicamento, & aliquid competit huic, quod non potest animali conuenire, vrinę enim vt sana est competit esse signum sanitatis, medicamẽto esse causam, & animali esse subiectũ. Et ita in analogia entis ad substantiam, & ad accidentia, non est necesse vt quod competit accidenti, vt est ens, conueniat quoq. substantiæ, neque vt quod competit substantiæ qua ens est, conueniat accidentibus, nam accidentibus vt entia sunt, competit dependere à substantia, & ex consequenti diffiniri per illam quod non potest vlla ratione substantiæ conuenire.

Ad cõfir. huius argum.

Ad 1.

Ad 2.

Ad secundum argu. abunde satis respondimus in conclusio. huius quæstionis, nam ibi duas illius solutiones proposuimus, quæ non est cur hoc loco repetantur, consulat illas studiosus, & sciendi cupidus lector. Ad 2.

Ad tertium respon. negando assũptionem, & ad confirmationem dicimus relationem rei (de qua tantum hic agimus) sumi posse vel præcise, seu vt denotat tantum esse ad: vel vt amplectimur totam & integram rationem, quæ ex esse in, & esse ad est constituta. Primo modo relatio non denotat habitudinem ad subiectum, sed ad terminum: altero vero denotat non tantum ad terminũ verum etiam ad subiectum relationem, ac proinde negandum erit relationem categoriæ, vel prædicamẽtalem non referri ad subiectum, neque diffiniri per illud. Verum de hac re vberius multo in categoria relatorum, interim legi poterũt Caieta. 1. p. quæst. 28. art. 1. & Ferra. 4. cont. Gent. cap. 14. Ad 3.

QVAEST. V. NVM ENS sit genus ad sua inferiora necne?

COnstare sane poterat ex superioribus disputationibus ens non esse genus, nam non est natura synonyma, qualis necessario debet esse omnis natura generica: verum quia Arist. in postremo cap. Antecatego. diuidit ens in decem catego. ob hanc causam eius interpretes in hoc loco illam pertractant, quam uis multi in commenta. in Porphy. in cap. de specie, in quo loco inquit Porphy. ens esse vocem homonymam eam agitent. Et quidem ens esse genus ad sua inferiora his argu. posumus confirmare. Primum est. Genus est quod dicitur de multis specie differentibus in quæstione qua querimus quid res sit, sed ens dicitur de substantia, & de accidentibus quæ specie differunt, in quæstione qua quærimus quid res sit, quia interroganti quid sit substantia, apte respon. esse ens, & interroganti quid sit accidens, accommodate etiam respon. esse ens, ergo ens erit genus. 1. Arg.

Secundum. Hæ attributiones, substantia est ens, quãtitas est ens, qualitas est ens, & sic de aliis accidentibus, sunt alicuius attributi vniuersi, cum attributum earum non sit res singularis: sed omne attributũ vniuersum vel est genus, vel species, vel differentia, vel proprium, vel commune accidẽs, cum ergo ens quod est attribntum in eis non sit propr. vel cõe accidẽs, quia non prædicatur secundum accidẽs, neque posit esse differentia, quia quia non effertur in quale: neque posit esse species, cum non dicatur proxime, & immediate de indiuiduis, erit proculdubio genus. 2. Arg.

Tertium. Si ens non esset genus, ex eo esset, quia prius prædicatur de substantia quam de accidentibus, atqui hæc ratio est nullius ponderis, ergo ens erit genus. Confirmatur assumptio. Numerus est verum genus ad binarium, ternarium, & quaternarium: at numerus prius prædicatur de binario, quam de ternario, & de hoc, quam de quaternario: & enuntiatio est verum genus ad aientem, & negantem, vt docent D. Tho. Ammonius, Seuerinus Boetius, Concilium Louanianse, & Suesanus in commentariis in cap. de oratione lib. 1. de interpreta. at enunciatio prius dicitur de aiente, quam de negante, quia non dicitur de negante nisi ea ratione qua est priuatio aientis, ergo quamuis ens prius dicatur de substantia quam de accidentibus poterit nihilominus esse verum genus. 3. Arg.

Quartum argumentum. Si ens non esset genus esset ex eo, quia est inclusum in conceptu vltimarum differentiarum, quod generi non potest conuenire hæc enim est ratio proposita ab Aristo. 3. Metaphysi. cap. 3. atqui hęc ratio nulla est, ergo ens poterit esse verum genus. Confirmatur assumptio. Imprimis genus po- 4. Arg. 1. Confirma.

nus potest includi in vltimis differentijs. Primo quia substantia est genus supremum, quæ tamen est inclusa in conceptu suarum vltimarum differentiarum, etenim cum vltimæ differentiæ substantiæ sint entia, & non sint accidentia erunt substantiæ. Rursus partes diffinitionis sunt de conceptu rei diffinitæ, cum ergo genꝰ sit pars diffinitionis differentiarum, diffiniuntur enim differentiæ per genera, vt particeps rationis per animal (est enim animal quod potest vti ratione) genus erit de conceptu differentiarum. Præterea non includi in vltimis differentiis, non est de ratione generis, ergo includi in illis non aufert ab aliquo naturam generis. Consequentia est perspicua, confirmatur antecedens. Nulla negatio est de ratione generis, sed non includi in vltimis differentiis est negatio, ergo non erit de ratione generis. Tandem quamuis libenter profiteremur auferre ab aliquo naturam generis esse illud inclusum in vltimis differentiis, hinc tamen non colligitur ens non esse genus, imo contrarium aperte colligitur, quia ens de nulla re prædicatur secundum essentiam vt auctor est Arist. 2. lib. de demonstra. cap. 7. sed illud tantũ potest esse inclusum in vltimis differentiis, quod prædicatur de eis secundum essentiam, ergo ens non erit inclusum in vltimis differentiis, & ex consequenti poterit esse genus.

2. Confirma.

3. Confirma.

4. Confirma.

1. Opin. Stoici, & Platonici (vt Arboreus, & Montanesius in cap. de specie testantur) in ea extiterunt opinione vt arbitrarentur, ens esse verum & legitimum genus, ad substantiam, & ad accidentia. Anaxagoras vero saltim ad omnes substantias genus esse docebat.

2. Opin. At non esse illud genus fere omnes alij Philosophi profitentur maxime vero Peripatetici sequuti in hoc Arist. 3. metaphy. cap. 3. Alexander, D. Tho. Auerroes in commentariis huius loci, Porph. in cap. de specie, & in interrogati. Dexippus, Simplicius, & Ammonius in antecatego. vltimam diuisionem explicantes, & idem Ammonius in Porphy. cap. de specie, Boeti. in hoc eodem cap. de specie, Auicenna 2. Metaphy. cap. 1. & omnes recentiores Soto Villalpan. Caieta. Tolet. Mercado, Auerracruce, vt innumeros alios præter mittam in suis commenta. vel in ca. de specie, vel huius loci. Hanc igitur sententiam tanquam veriorem amplectentes his argu. eam confirmamus.

Primum est petitum ex Arist. in loco proposito. Nullum genus est inclusum in conceptu vltimarum differentiarum, eoquod omnes differentiæ addunt gradum quendam distinctum à natura generis, obquã rationem non poterit genus includi in vltimis differentiis: sed ens est inclusum in vltimis differentiis, quia omnes illæ sunt entia: ergo ens nulla ratione erit genus. Secundum argu. est Porph. Omne genus est natura synonyma, sed probatum est ens non esse naturam synonymam, ergo ens non erit genus. Tertium est Ammonij in loco superiori. In generibus sublata vna specie non aufertur altera, vt sublato equo nõ aufertur leo: sed in entibus sublato vno ente aufertur alterum, vt sublata substantia auferuntur accidentia secundum naturam: ergo ens nõ erit genus. Præterea. Nullum genus prædicatur secundum prius, & posterius, vel secundum magis & minus de suis speciebus, vt animal nõ prius vel magis dicitur de homine, quam de equo: sed ens prius & magis dicitur de substantia, quam de accidentibus, ergo, &c. Adhæc. Genera

1. Arg.

2. Arg.

3. Arg.

4. Arg.

nera suprema sunt primo diuersa, sed quæ primo differunt non possunt obtinere naturam aliquam genericam supra se: ergo neque genera suprema poterunt illam obtinere: cum ergo ens sit commune generibus supremis, non poterit illud esse genus.

Ad 1. Diluamus iam argu. in initio proposita. Ad primum dicimus in diffinitione generis sub illo nomine quod, intelligendam esse naturam synonymã, ita vt sensus sit. Genus est natura vniuersa synonyma, at enti nulla ratione conuenit esse naturam vniuersam synonymam, vnde nec diffinitio generis vllo modo ei conueniet.

Ad 2. Ad secundum respõ. vniuersum posse bifariam sumi, primo in late patente quadã significatione, ea scilicet ratione qua est diuisum contra singulare: ita vt illud omne vocemus vniuersum quod non est singulare, qua ratione complectiturom nes notiones vniuersas, tã integras naturas, quam differentias, & modos internos earũ, quo modo si sumatur non est natura synonyma, neque genus, sed analogum, quia non tantum dicitur de his in quibus cõueniunt, verum etiam, & de his in quibus differunt notiones vniuersæ. Secundo modo sumitur in contractiori significatione, in qua tantum significat naturam integram & synonymam notionum vniuersarum. Si vniuersum vsurpetur primo modo, ens est vniuersum, & hæ attributiones, substantia est ens, quantitas est ens, sunt attributi vniuersi, quia ens quod est earum attributum, non est natura singularis. Si vero sumatur illud in altera significatione, ens non est vniuersum, neque hæ attributiones sunt attributi vniuersi, quia non sunt attributi synonymi, quare ens non continebitur sub aliqua ex quinque vocibus prædicabilibus, & vniuersis, eo quod vniuersum quod est diuisum in has quinque voces, tantum est illud quod significat naturam integram, & synonymam, diffinitur enim ab omnibus Dialecticis, natura omnino simplex quæ de multis nata est synonyme prædicari.

Ad 3. Ad tertium respon. cum D. Tho. in commenta. in 1. lib. de interpret. lect. 8. Species diuidentes aliquod genus posse duobus modis sumi, vel vt conferuntur inter se, vel vt comparantur cum genere. Si hoc posteriori modo sumantur, vna species nõ est prior altera, neque genus prius dicitur de vna, quam de alia, sed omnes species sunt simul natura, & ex æquo diuidũt idem genus, vt auctor est Aristo. in Postcategor. in cap. in quo explicantur modi, quibus aliqua dicuntur simul. Si vero primo modo vsurpẽtur, vna species poterit esse altera prior, neque hoc aufert rationem synonymiæ à genere, sed illud alterum scilicet, in habitudine ad naturam genericam, vnam speciem prius obtinere naturam genericam, quam obtineat altera. Vnde ad primum exemplum propositum de numero respon. binarium non esse priorem ternario, vt duo hi numeri diuidunt numerum in communi, sed esse priorem illo, ea ratione qua inter se conferũtur. Ad secundum vero eodem modo respon. enunciationem aientem esse priorem negante, vt duæ illæ diuidunt enũciationem in communi, quæ est earũ genus, sed esse priorem ea ratione qua inter se comparantur.

Ad 4. Ad 1. confir. Ad quartum resp. rationem propositam in eo esse optimam, cum sit tradita ab Arist. in illo loco. Ad confutationes vero respon. ad primam substantiam quæ est genus supremum

Universidad de Deusto
Biblioteca

mum non includi in vltimis differentiis, sed illam quæ est diuisa contra accidens, et quæ est natura analoga. Ad secundam respon. differentias diffiniri per genera tãquam per quædam addita, et extrinseca, quẽ admodum proprietates per sua subiecta diffiniuntur: at quæ ita in diffinitionibus continentur tanquam quędã addita, & extrinseca, nõ sunt de essentia rei diffinitæ, vt nasus per quẽ simitas tanquam per quid additum & extrinsecum definitur, non est de essentia simitatis. Ad tertiam respondemus non includi in vltimis differentiis, quamuis non sit de essentia generis esse tamen veluti quandam proprietatem ab illa dimanantem ac proinde si aliqua natura extiterit, quæ sit inclusa in vltimis differentiis, illa nõ erit generica, quia ita consequitur non esse inclusum ad naturam genericam, vt ab illa remoueri nequa quam possit, ac proinde recte colligitur tanquam ab effectu, & à posteriori, ens non esse genus, quia est inclusum in vltimis differentiis. Ad vltimam respon. Aristo. in illo loco loquutum esse de ente quod significat existentiam, vel (vt dicunt) participialiter, nam ens ita sumptum in solo Deo potest esse de illius essentia: in solo siquidẽ ipso esse & essentia sunt vnum & idem, non est autem loquutus de ente quod significat essentiam, vel (vt dicunt) nominaliter, hoc enim secundum essentiam de rebus omnibus prędicatur, & est inclusum in vltimis differentiis.

Ad 2.

Ad. 3.

Ad vlt.

QVAESTIO. VI. AN ENS habeat unum conceptum ab omnibus suis inferioribus præcisum.

SEquitur tandem in his quæstionibus de analogia entis, vt per difficilẽ, & obscuram satis de illius conceptu controuersiam explicemus, num scilicet reperiatur in ente vnus aliquis conceptus præcisus, & separatus à conceptibus suorum inferiorum, ita vt nullum gradum suorum inferiorum repræsentet, eo modo quo conceptus generis est separatus à conceptibus suarum specierum, vel an includat necessario hic conceptus ea quæ in suis inferioribus continentur. Et quidem conceptum entis esse præcisum, & reipsa distinctum à conceptibus suorũ inferiorum his argumentis (haud infirmis) possumus confirmare. Primum est. Conceptus in quo aliqua conueniunt reipsa differt à conceptibus in quibus illa distinguũtur: sed substantia & accidentia conueniunt in conceptu entis, & distinguuntur propriis conceptibus: ergo conceptus entis reipsa erit distinctus à conceptibus substantiæ, & accidentium. Confirmatur propositio. Vnus, & idem conceptus, nõ potest esse id in quo aliqua reipsa conueniunt, & in quo differunt, ergo conceptus in quo aliqua conueniut reipsa distinguetur à conceptibus, in quibus illa differunt.

1. argu.

Secundum. Conceptus de quo intellectus est certus, reipsa differt à conceptibus de quibus est ille dubius, alioquin enim de vna & eadẽ re intellectus esset certus, & esset dubius: sed intellectus est certus de aliqua re quod sit ens, estque nihilominus dubius sitne illa substantia, vel accidens, quemadmodum certũ est lumẽ, & primas qualitates esse entia, dubitant tamen Philosophi sintne illę substantia, vel accidentia: ergo conceptus entis erit reipsa distinctus, à conceptibus substantiæ, & accidentium.

2. argu.

Tertium.

1. Arg. Tertium. In hac enunciatione vera, ens est analogum ad decem categorias, vel nomine entis sumimus substantiam, vel accidentia, vel naturam aliquam inferiorem, vel tandem naturam aliquam communem & superiorem aulsam à categoriis: sed non potest illud sumi pro substantia, quia substantia non est diuisa in decem categorias, neque pro accidentibus ob eandem rationẽ: quia illa non sunt diuisa in decem categorias, neque pro aliqua natura inferiori cum nulla talis possit in easdem categorias diuidi. Sumetur igitur pro natura aliqua communi, & superiori, & ita ens significabit conceptum præcisum, & superiorem ad substantiam, et ad accidentia.

4. arg. Quartum. Ens est prius natura substantia, sed in illo priori obtinet conceptum aliquem obiectiuum, & rationem formalem: ergo in ente erit conceptus obiectiuus reipsa differens à conceptu substantiæ, & idẽ argumentum effici poterit de eo, & de accidetibus. Assumptio est manifesta, confirmatur propositio. Prius est illud à quo non valet subsistendi consequentia, sed ab ente ad substantiam non valet subsistendi consequentia, neque enim valet ens est, ergo substantia est, cum possint dari entia sine substantia, vt in Sacramento altaris sunt accidentia sine illa, ergo Confirmatur hoc argumentum. Hæc attributio, homo est ens, est prior hac altera, homo est substãtia, atqui in illo priori, quando audimus vocem ens, efformamus intra mentem conceptum illius, antequam quidquam de substantia concipiamus, & huic conceptui formali correspondet à parte rei cõceptus entis obiectiuus, ergo in ente erit conceptus natura prior, & præcisus à conceptu substantiæ.

5. argu. Quintum. Quãdo ita proferimus substantia est ens per se, vel illa particula (per se) contrahit substantiã, vel accidentia, vel quidpiam aliud à substantia, & ab accidentibus distinctum, sed non potest contrahere substantiam, quia ad ipsam fit cõtractio, neque accidentia, eo quod illa non possunt contrahi ad substantiam, ergo contrahet naturam aliquam à substantia, & ab accidentibus distinctam.

6. Arg. Sextũ. In hac attributione substãtia est ens, vel attributum sumitur pro substantia, vel pro accidentibus vel pro natura aliqua à substantia, & ab accidentibus distincta: si sumatur pro substantia erit propositio idemptica, & reddet hunc sensum, substantia est substantia, si pro accidentibus, erit propositio falsa, quia falsum est substantiam esse accidentia, ergo sumetur pro natura aliqua à substantia, & ab accidentibus distincta.

7. Arg. Præterea. Quãdo conferimus substantiã cum accidentibus, dicimusque substantiam esse nobiliorem inter omnia entia, vel nomine entis intelligimus substantiam, vel accidentia, vel proprias rationes illorum, vel aliquam naturam ab eis distinctam, non substantiam, quia in ea non conueniunt accidentia, comparatio enim quædam conuenientia est extremorum, neque accidentia, propter eandem rationem, quia in accidentibus non conueniunt substantia, & accidens: neque proprias rationes, cum in eis distinguantur, ergo intelligere debemus rationem aliquam entis à substantia, & ab accidentibus distinctam.

8. Argu. Rursus. Conceptus formalis entis reipsa differt à conceptu formali substantiæ, & accidentium: sed conceptius obiectiuus est illud quod repræsentatur per conceptum formalem: ergo & cõceptus obiectiuus

entis reipsa differt à conceptibus substantiæ, & accidentium.

9. & vlt. argum. Denique. Conceptus simplex, & qui non potest in alios conceptus dissolui, distinctus est secundum rem, à conceptibus compositis, & qui in alios conceptus priores possunt resolui: sed conceptus entis est omnino simplex, & (vt dicunt) irresolubilis in alios priores conceptus: at vero conceptus substantiæ, vel accidentium sunt cõpositi, quique in conceptum entis, & proprios modos internos resoluuntur: conceptus igitur entis præcisus erit & distinctus à conceptibus substantiæ, & accidentium.

Cum hęc res de cõceptu entis ob scura sit, & velut in densissima quadam caligine delitescens, in illa explicanda varia fuerunt hominum doctissimorum iudicia, diuersæque doctorum grauissimorum sententiæ & opiniones. Prima est Aureoli apud Capreolum in 1. dist. 2. quæst. 1. qui existimat ens neque formalẽ aliquem, neque obiectiuum conceptum habere ad sua inferiora, sed inquit nomen entis nihil expresse denotare, sed confuse, & implicite tantum significare quidquid est (substantiam nimirum & accidẽtia, Deũ & creaturas) nam quemadmodum homo v. g. non denotat distincte Petrum vel Antonium, qui sub illo continentur, sed implicite, & confuse: ita etiam ens neque substantiam, neque accidentia, neque Deum, neque creaturas significabit expresse, sed implicite, & confuse, imo magis confuse hæc significabit, quam homo significet Petrum, & Paulum, quia est illud vniuersalius homine, & quo aliqua fuerint vniuersaliora, eo magis implicite, & confuse debent sua inferiora significare. Hanc eandem sententiam refert Sonçinas 4. metaphy. quæst 3. & eandem postea amplexus est Suesanus 4. metaphy. quæst. 1.

1. Opin.

Secunda sententia est, in ente dari vnum aliquem conceptum omnibus suis inferioribus, cõem, illum autem dicunt esse vnum, non quidem vnitate vniuocationis, vel analogiæ, sed quadam alia quę commode vnitas disiunctionis potest nuncupari. Vnde conceptus entis erit hoc disiunctum, substantia, vel accidens, ac proinde quando dicimus substãtia est ens, sensus erit substantia, est substantia, vel accidens: & quando dicimus accidens est ens, sensus itidẽ erit, accidẽs, est accidẽs, vel substantia. Hanc senten. sequuti fuerũt viri quidam præstantissimi, vt testatur Flandrensis 4. metaphy. q. 2. art. 6. Legimus illam in Herueo viro certe & subtilissimo, & in omni parte Philosophiæ maxime versato, quod libeto 2. quæst. 7. & in Sonçinate Metaphysicorum Coriphæo 4. metaphy. quæst. 1.

2. opin.

Tertia sententia est in ente dari aliquem vnum conceptum omnibus suis inferioribus communem præcisum, & reipsa separatum à conceptibus substantiæ, & accidentiũ, Dei, & creaturarum, ita vt huiusmodi conceptus, neque substantiam, neq. accidentia, neq. Deũ neq. creaturas includat, aut vlla ratione repræsentet, nam est hic conceptus habere esse, in quo sane nulla natura ex his quæ sub latissimo ambitu entis continentur, splendere videtur. Vnde qnemadmodum natura generica, vt animalis (v. g) significat conceptum aliquem præcisum, & separatum ab homine, & bruto, in quo neque natura hominis, neq. naturi bruti repræsentantur (est enim conceptus animalis substantia, corporea, animata, sentiens, in quo nihil proprium homini, vel bruti splendet) ita etiam ens significabit conceptum aliquem separatum à suis inferioribus, in quo nulla ratio propria suorum inferiorum splendebit. Hanc sententiam amplectitur Scotus in 1. dist. 3. quæst 3. & dist. 8. quæstio. 2. & in 2. distinct. 11. quæst. 1. & 4. metaphy. quæst. 2. Antonius Andræas in eod. lib. 4. q. 1. Bonetus 1. lib. suæ Metap. c. 6. Leuchetus interpres Scoti, & alij eius sectatores. Imo hanc eandem multi Thomistæ eruditissimi sequuti fuerunt vt D. Antonius 1. lib. metaphy. q. 1. & lib. 4. quæst. itidem 1. vt testatur Flandrensis in eodem 4. quæst. 2. ar. 5. (nam hoc opus beatissimi patris ad nostras manus non deuenit, quod certe dolendum est, propter eruditionem, maximamque lucem quam in rebus metaphy. nobis contulisset) Iauellus 4. metaphy. q. 1. M. Sotus in hoc cap. 4. quæst 1. conclu. 2. Deça in 1. dist. 3. quæst. 1. notabili 2. Mercado cap. 1. anteprædicamentorum, & Zumel 1. p. q. 13. art. 1. q. 2. conclu. 4.

3. opin.

4. opin. Quarta tamen opinio, & quam veriorem esse iudicamus, est in ente dari aliquem conceptum communem omnibus suis inferioribus, qui vel potest esse perfectus, vel imperfectus: si fuerit imperfectus, erit præcisus, & separatus à cõceptibus suorum inferiorum: si vero fuerit perfectus, nullo modo erit præcisus, & separatus, sed sua inferiora includet necessario, vt in conclusionibus latius explicabimus. Hæc sententia placuit acutissimo Cardinali Caieta. q. 2. de ente & essen. & in opus. de nomiuum analogia, & in altero de hoc eodem genere argum. misso ad Ferra eidem Ferrarien. 1. c gent. ca. 34. Flandren. 4. metaphysi quæst. 2. art. 5. Capreolo in 1. dist. 2. quæst. 1. in Solutio. argu. contra 9. concl. & multis aliis peritissimis recentioribus.

His igitur opinionibus recensitis, vt quæstionem hanc explicemus erunt prius nonnulla iacienda fundamenta. Primum duplicem esse conceptum, formalem, vnum, & alterum obiectiuum. Formalis est similitudo quędam secundum actũ rei intellectæ à mente genita, quam communi nomine verbum mentis, vel logos internum nuncupamus, vt conceptus ille quem intra mentem efformamus de homine, quando dicimus illum esse animal participeps rationis, est conceptus formalis, quia est similitudo quædam secundum actum ipsius hominis. Obiectiuus vero dicitur res ipsa per cõceptum formalem repræsentata, vt idem homo repræsentatus per conceptum propositum animalis participis rationis, est conceptus obiectiuus. Præterea. Conceptus formalis quidam est adæquatus, & alius inadæquatus: adæquatus dicitur qui tem totam repræsentat, inadæquatus vero qui partem repræsentat, & partem repræsentandam ommittit. Adhæc adæquatus quidam est ex parte rei repræsentatæ, & alius ex parte repræsentationis. Prior ille est quando nihil continetur in re, quod non representetur per conceptum, vt quando concipimus eclypsim lunæ esse priuationem luminis in ipsa, quia nihil continet eclypsis lunæ, quod hoc conceptu non repræsentetur, ex parte vero repræsentationis ille dicitur adæquatus, qui & quidquid est in re, & causam illius clare, & distincte repræsentat, à prima (vt dicunt) potentia vsque ad vltimum actum, ita vt nihil sit in re repræsentabile, quod eo conceptu exacte non repræsentetur. Vt in eodem exemplo quando concipimus eclypsim lunæ esse priuationẽ luminis in ipsa, ppter interpositionem terræ inter solem, & eam, est

1. Fundamen.

2. Fundamen.

adæquatus ex parte representationis, nam & repræsentat nobis quid sit eclypsis, et causam vnde illa proueniat.

3. Fundamen. Illud etiam addendum erit abstractionem nihil aliud esse quam separationem vnius ab altero, quæ duplex est vna formalis, et altera totalis. Formalis dicitur ea qua forma à materia separatur, vt conceptio mentis qua intelligimus quantitatem sine subiecto, vt sine ære (v. g.) aut ligno, est abstractio formalis, nam separamus formam, nimirum quantitatem à materia. Totalis vero vocatur illa quando separamus totum à suis partibus, vt separatio illa qua mente apprehendimus hominem sine Petro, et Antonino, dicitur abstractio totalis, separamus siquidem illud quod est totum, à suis partibus subiectiuis.

4. Fundamen. Rursus adnotandum erit ens sumi posse vel vt est totum quoddã vniuersum sub se continens tanquam inferiora immediata substantiam, et accidentia, Deum, et creaturas, vel vt est actus quidam, et forma rerum omnium cuius ope omnes naturæ sunt à parte rei actu in seipsis consistentes. Cum igitur hæ duæ rationes in ente reperiãtur, poterit illud à suis inferioribus, et formali, et totali abstractione separari, formali vt est forma, & actus rerum omnium, totali vero vt est totum quoddam vniuersum. Hæc igitur sint breuiter pro explicatione quæstionis animaduersa, multo plura de his, et de conceptu entis peti poterunt ex 1. lib. Transcenden à cap. 29 vsque ad cap. 35. et vlti. in quibus capitibus abunde satis de hac re sermonẽ habuimus, quæ omnia ad breuem quandam summam redigentes his conclusionibus explicabimus.

1. Conc. Prima conclusio. In ente datur aliquis conceptus obiectiuus communis ad omnia sua inferiora, qui expresse, clare, et distincte naturam aliquam repræsentet. Duo dicimus primum in ente dari conceptum aliquem obiectiuum: secundum illũ distincte aliquid repræsentare. Primum ita confirmatur. Obiectum alicuius scientiæ habere debet communem aliquem conceptum, et rationem ad sua inferiora, sed ens est obiectum primæ Philosophiæ, ergo habebit vnum aliquem conceptum, & rationem ad sua inferiora communem. Assumptio est Arist. 4. metaphy. cap. 1. confirmatur propositio. Illud quod diffinitur est vnum debetque habere vnam rationem communem: quia diffinitio est vna oratio, vt profitetur Aristo. 1. de interpret. cap. 4 & 8. metaph. cap. 6. ac proinde vnam naturam significabit, sed obiectum in quauis scientia est illud quod diffinitur, de illo siquidem præcepit Arist. 1. lib. de demonstra. cap. 1. esse prænoscendum ante demonstrationem quid sit: ergo in qualibet scientia subiectum illius erit vnum, vnamque rationem ad sua inferiora obtinebit.

1. p. conclu. ostẽditur.

1. Arg.

2. Arg. Iã. Arist. 4. metaph. ca. 2. inquit enti vt est ens nonnullas proprietates conuenire, rogo, quid nomine entis intelligat Aristo. num substantiam, vel accidentia, vel communem aliquam iis entibus rationem, atque conceptum? Substantiam intelligere non potest, nam hæ proprietates (quæ sunt ex simplicibus vnum, verum, bonum, & ex coniunctis vniuersum & singulare, totum & partes &c.) etiã in accidentibus reperiũtur. Neque potest accidentia intelligere propter eãdem rationem, quia hæ proprietates in substantiis etiã reperiuntur, quare nomine entis intelliget rationem aliquam communem

nem ad sua inferiora.

2. opin. Secundam partẽ assertionis, hũc scilicet conceptum aliquid clare & aperte repræsentare ita demonstramus. Cuilibet cõceptui formali correspondere debet aliquis obiectiuus qui distincte naturam aliquam repræsentet, est enim formalis similitudo quædã expressa obiectiui, sed de ente conceptum aliquem formalem intra mentem effingimus, nam concipimus ens esse illud quod habet esse, ergo huic conceptui aliquis conceptus obiectiuus correspondebit, scilicet esse, qui profecto clare & expresse naturam entis repræsentat, quare ruet Aureoli, & Suetani opinio non dari in ente talem conceptum clarum & distinctum.

2. Conc. Secunda conclusio. Hic conceptus non est vnus vnitate distinctionis, vt Herueus, & Soncinas cõstituebant. Confirmatur his argu.

2. argu. Primum. Oratio quæ exprimit conceptum aliquem disiunctum non magis vnum quam alterum significat, vt hæc oratio, Thomas vel orat vel legit, quæ significat conceptum disiunctũ, neque magis, neq. prius vnam partem quam alteram significat: sed ens magis & prius significat substantiam quam accidentia, ergo conceptus illius non erit vnus vnitate disiunctionis. Secũdum. Si ens significaret huiusmodi conceptum disiunctum, substantiam, vel quantitatem, vel alia genera suprema accidentium, fieret vt illud non prædicaretur de vltimis differentiis, quia substantiæ, & alia genera suprema non prædicantur de ipsis, at hoc repugnat Arist. 3. Metaphy. cap. 3. docenti ens dici de vltimis differẽtiis, non igitur ens significabit conceptum aliquem disiunctum. Iterum. Conceptus entis est omnium simplicissimus, & vt dicunt irresolubilis, qui nequit in alios priores conceptus dissolui, sed si esset disiũctus non esset simplicissimus, nam comprehenderet duos conceptus substãtiæ nimirum, & accidentium, quorum quilibet dissolui potest in conceptum entis, & proprij modi, ergo non erit ille disiunctus. Et tandem si conceptus entis esset disiunctus, quando ita dicimus, substantia est ens, perinde est ac si diceremus, substantia est substantia, vel accidens: sed prima propositio est idemptica, secunda vero est falsa, ergo conceptus entis non erit disiunctus.

2. Arg.

3. Arg.

4 argu.

Tertia conclusio. Si agamus de conceptu entis imperfecto, & inadequato, de illo scilicet quod non repræsentat totum, quod est in re repræsentabile, in illo datur cõceptus aliquis formalis præcisus & distinctus reipsa à conceptu substantiæ & accidentium, Dei, & creaturarum. Hanc his argumentis cõfirmamus.

3. Conc. Primum. Intellectus potest concipere ens esse id quod est, nihil cogitãs sitne id quod est, vel substantia, vel accidẽs, vel Deus, vel creaturæ, sed hic est conceptus formalis entis reipsa distinctus à conceptibus formalib' suorum inferiorum, ergo in ente dabitur huiusmodi conceptus.

1. argu. Secun. De his quæ sola ratione differunt, potest intellectus efformare cõceptus formales reipsa distinctos: sed ens sola ratione differt à Deo, & à creaturis, à substantia, & ab accidẽtibus, vt est perspicuum, ergo poterit intellectus efformare conceptum formalem entis distinctum à conceptu substantiæ, & accidentium, Dei & creaturarum. Confirmatur propositio inductione quadam adhibita, de homine diuersa ratione sumpto efformamus conceptum Logicum, Physicum, & Metaphysicum. Logicum ea ratione qua est subiectum, vel species. Physicum vt cõstat materia, & forma, & habet insitum principium

cipium motus: Metaphysicum vero vt est animal particeps rationis. De inde de ente, vno, vero, & bono efformamus conceptus reipsa diuersos: nam de ente efformamus illud esse, id quod habet esse, de vno esse id quod est indiuisum in se: de vero esse illud quod est adæquatum intellectui, & de bono esse illud quod est appetibile. Ergo de his quæ sola ratione differunt, poterit intellectus efformare conceptus reipsa diuersos. Tertium. Potest aliquis esse certus de aliquo esse illud ens, & dubius, sitne substantia vel accidens, & habere scientiam de eodem illud esse ens, & opinionem sitne substantia, vel accidens, vt de lumine, & de primis qualitatibus omnes Philosophi certo sciunt esse entia, dubitant tamen sintne substantiæ, vel accidentia: sed conceptus formalis scientificus reipsa differt à conceptu dubio, & opinabili, ergo conceptus formalis entis reipsa differt à conceptu formali substantiæ et accidentium.

3. argu.

4. Arg. Quartum. Ab omnibus similibus potest abstrahi cõceptus aliquis formalis reipsa distinctus, quia omnia similia possunt per eandem imaginem repræsentari, sed substantiæ & accidentia, Deus et creaturæ assimilantur in ente, ergo poterunt per eundem conceptum formalem qui sit præcisus, & reipsa distinctus repræsentari. Et tandem confirmatur ex D. Tho qui q. 1. de verit. artic 1. aperte inquit, in ente dari vnum aliquem, et simplicissimum conceptũ omnibus suis inferioribus communem, in quem tandem omnes naturæ dissoluantur.

Vlti. argum.

4. Con. Quarta conclusio. In ente non datur conceptus aliquis formalis perfectus & adæquatus qui sit præcisus, & reipsa distinctus à conceptibus suorum inferiorum, sed conceptus illius perfectus, debet necessario includere substantiam, & accidentia, ea ratione qua retinent in ente similitudinem. Hanc profitemur cum Caietano, & Ferrariensi in locis iam supra notatis, quam antequam efficacibus argumentis demonstremus, æquum est vt prius illam explicemus. Quod vt præstemus sciendum est, esse latum discrimen inter synonyma, & analoga, quia in synonymis nullus gradus naturæ reperitur in vno ex inferioribus, qui in alio etiam non reperiatur, quẽadmodũ nullus gradus animalis reperitur in homine, qui nõ reperiatur in bruto: at vero in analogis aliquis gradus naturæ in vno ex inferio. reperitur, qui in alio reperiri nullo modo põt: vt in vrina reperitur aliquis gradus sanitatis, qui non reperitur in medicamentis, est enim vrina vt sana, signum sanitatis animalis, medicamenta vero sunt causæ eiusdem. Vnde cum ens significet naturam quandam analogam, aliquis grad' entis reperietur in substantia, qui non reperitur in accidẽtibus, nam esse per se est gradus entis qui reperitur in substantia, & nõ in accidentibus: & esse in alio est etiam gradus quidam entis, qui reperitur in accidentibus, & non in substantia. Ex his assertionem ita explicamus. Cum conceptus formalis entis communis substantiæ, & accidẽtibus tantum repræsentet ea in quibus hæc duo conueniunt, non autẽ ea in quibus hæc eadem differunt, non poterit esse perfectus, sed imperfectus: quia conceptus qui non repræsentat totam entitatem suorũ inferiorum, non potest nuncupari perfectus. Conclusionem propositam modo expõsito declaratam his argumentis confirmamus. Primũ. Si ens significaret conceptum aliquem vnum, & præcisum secundũ rem à suis inferioribus fieret, vt neque

Obser.

1. argu.

que categoriæ essent primo diuersę, neque seipsis differrent, quia quę in aliquo communi conueniunt secundum rem distincto, neque primo differunt, neque seipsis distinguuntur, quod tamen repugnat Aristo. 10. lib. Metaphy. cap. 11. & 5. Metaph. cap. 9. constituenti categorias & primo differre, & seipsis distingui. Sequeretur etiam ens non significare categorias immediate, sed mediãte huiusmodi conceptu, quod etiam est contra eundem Arist. 8. Metaphy. cap. 6. docentẽ ens immediate significare Categorias, ergo conceptus entis non erit præcisus secũdum rem a conceptibus substantię, & accidentium. Secundum arg. Animal ex eo significat naturam aliquã præcisam ab homine & bruto, quia non est inclusum in vltimis differẽtiis hominis & brutorum sed ens est inclusum in omnibus differentiis & modis internis Dei, & creaturarum, substantiæ, & accidentium, ergo, &c. non significabit huiusmodi conceptum. Tertium. Per eandẽ rationem per quam substantia est substantia, per eandem est ens, quia cum per illam sit aliquid, & non sit nihil, erit ens, & idem iudicium est de accidentibus, ergo ens immediate, & sine vllo conceptu præciso significabit substantiam, & accidentia. Confirmatur argumentum. Proprietates entis sine vllo medio prædicantur de decem categoriis, substantia enim immediate est vna, vera, bona: ergo & ens quoque immediate de eisdem prędicabitur. Præterea. Si ens significaret aliquem cõceptum præcisum, & distinctum à conceptibus Dei, & creaturarum, sequeretur Deum non esse simplicissimum, hoc autem est omnino absurdum, ergo. Confirmatur propositio. Si ens significaret conceptũ præcisum, Deus igitur cõponeretur ex eo, & ex proprio cõceptu: quare posset resolui in hos duos cõceptus, sed illud quod componitur ex diuersis conceptibus, & resoluitur in eos nõ est quippiam simplicissimum, ergo Deus non esset simplicissimus. Adhæc. Arist. 3. Metaphy. cap. 3. inquit, in his quæ prædicantur per prius, & posterius nihil reperiri præter ea, de quibus prædicantur, sed ens dicitur per prius & posterius de Deo, & de creaturis, de substantia, & de accidentibus, prius enim dicitur de Deo, & de substantia, quam de creaturis, & de accidentibus, ergo præter substantiam & acciden. non significabit aliquid præcisum. Rursus. Si conceptus entis perfectus esset præcisus à conceptibus substantiæ, & accidentium, sequeretur, vt nihil collocaretur in diffinitione accidẽtis ea ratione qua est ens, quod nõ collocaretur in diffinitione substantiæ: quia quod competit accidẽti, vt ens est (si illud habuerit vnũ aliquem conceptum præcisum) debet quoque conuenire substantiæ, atqui hoc est omnino falsum, quia in diffinitione accidentis, vt ens est continetur substantia, vt auctor est Arist. 7. Metaph. cap. 1. in diffinitione vero substantiæ, vt ens est non continetur substantia, ergo. &c. Porro. Si ens obtineret conceptum aliquem ptæcisum, ergo ens esset synonymũ: hoc autem repugnat iis quæ diffuse satis in superioribus aduersus Scotum docuimus: ergo non obtinebit illud conceptum aliquem adæquatum & præcisum. Confirmatur propositio. Illa natura est synonyma, quæ dicitur de suis inferioribus eodem nomine & eadem ratione (vbi nomine rõis intelligere debemus conceptum formalem, quem admodum Græci Simplicius, & Ammonius, in commentariis illius loci interpretantur) sed nomen entis est

2. Argu.

3. Arg.

4. Arg.

5. Argu.

6. Arg.

7. Arg.

cōmune, præterea conceptus formalis est etiam communis, ergo erit illud synonymum. Quod si quis dicat plura alia requiri ad synonymiā vt scilicet conceptus ex æquo participetur a suis inferioribus, quod enti nequit conuenire: aduersus hanc

Solutio. solutionē ira argumentor. Duo hęc, habere conceptum communem, &

Confir. præcisum, & naturam ex æquo participatam esse a suis inferioribus, se mutuo consequuntur, ita vt si conceptus fuerit cōmunis & præcisus, eadem prorsus ratione vtrumque repræsentet, & ex æquo de suis inferioribus enuntietur, & ē conuerso: neque poterit assignari natura aliqua quæ obtineat conceptum communem, & præcisum, quæ non participetur ex æquo à suis inferioribus, & synonyme: ergo si natura entis sit huiusmodi erit illa synonyma. Hactenus de formali conceptu agamus iam de obiectiuo

5 Conc. Quinta conclusio. In ente non datur conceptus aliquis obiectiuus perfectus, & adæquatus qui sit præcisus & reipsa separatus à conceptibus suorum inferiorum: bene tamē datur in illo conceptus obiectiuus imperfectus, & inadæquatus præcisus, & separatus à conceptibus eorundem. Vtramque partem huius

Confir. vtraque assertionis imprimis hoc argumento demonstramus. Idem iudicium ferendum est de conceptu obiectiuo, quod de conceptu formali, cum obiectiuus sit illud idem, quod repræsentatur per concepum formalem: sed conceptus formalis entis imperfectus, & inadæquatus, est præcisus à conceptibus suorum inferiorum, perfectus vero non est præcisus: ergo conceptus obiectiuus imperfectus, & inadæquatus, erit præcisus à conceptibus suorum inferiorum, perfectus vero, & adæquatus non erit præcisus.

Sigillatim tamen confirmemus non esse conceptum adæquatum & Confir. perfectum præcisum, & distinctum reipsa a conceptu substantiæ, & ac- 1. pars cidentium, quia si esset præcisus fieret inde substantiam (v.g.) considerata iuxta propriam naturam, vt distinguitur ab accidentibus, non esse ens quod certe admittere est absurdum: nam ita fieret, illam neque esse vnam, neque veram, neque bonam, quæ sunt proprietates entis, quod vero sequatur ita confirmo. Ex eo homo iuxta attributum vltimæ differentiæ (quod est rationis particeps, ratione cuius separatur a brutis animalibus) nō includit animal, quia animal denotat conceptū adæquatū, & perfectum reipsa præcisum a conceptu hominis, ergo si ens significaret cōceptum aliquem perfectum, & adæquatū præcisum reipsa a conceptu substantię, & accidentiū, substantia in propria ratione considerata non esset ens.

Præterea conceptum inadæquatum, & imperfectum esse præcisum, Confir. 2. pars notius est quam vt aliqua argumē- conclu. torum efficacia ægeat confirmari, nam conceptus obiectiuus entis est id quod habet esse in communi, at sic habere esse, præcisum est ab esse per se, & esse in alio, qui sunt duo modi essendi suorum inferiorum, neque enim in eo quod est habere esse in communi includitur habere esse per se, vel habere esse in alio.

Ex his igitur colligendum erit cō Consec. ceptum entis imperfectum qui est habere esse in communi, esse separatum & distinctum a conceptu substantiæ, & accidentium, neque in illo esse inclusas proprias rationes horum inferiorum; conceptum vero perfectum, & adæquatum esse, habere esse per se, & habere esse in alio, vel eo modo se habere ad substantiam ad esse per se, quo se habet accidens

cidens ad esse in alio. Vnde quemadmodum conceptus pedis qui est analogus ad pedem montis, & animalis, non significat naturam aliquam præcisam, & reipsa distinctā, a pede montis, & animalis, sed significat vtrumque pedem, vt si se habentem ad ferendam pondus proprij corporis, quo se habet alius pes ad ferendum pondus alterius corporis: ita etiā cōceptus entis perfectus, & adæquatus non significabit naturam aliquam reipsa distinctam a cōceptibus substantiæ, & accidentiū, sed denotabit conceptum vtriusq. vt sic se habentem substantiam ad suum esse quo accidens ad suū quo que sese habet.

Sequitur tandem vt dissoluamus argumenta proposita in principio.

Ad 1. ar gumen. Ad primum respon. propositionem esse veram in naturis synonymis, non autem in analogis trascendentibus, eo quod naturæ synonymæ non includuntur in differētiis, quibus inter sese naturæ specificæ separantur. Cæterum analoga transcendentia inclusa sunt in vltimis differentiis, & modis internis, & ob hanc rationē in synonymis illud in quo inferiora conueniunt diuersum erit ab his in quib⁹ differūt, in analogis vero transcendentibus nequaquā.

Ad 2. Ad 2. dicimus sat esse vt illi cōceptus ratione differāt, ad hoc vt possimus de vna, & eadem re diuersa ratione obtinere certitudinem, & dubitationem, & ita dubitamus interdum de eadem re, sitne illa substantia, vel accidens, cum tamen certo sciamus illam esse ens.

Ad. 3. Ad tertium libenter fatemur ens, quod est diuisum in decem categorias, neque esse substantiam, neque tantum accidens, sed esse quippiam eis commune, hinc tamen non colligitur illud esse præcisum secundum rem à substantia, & ab accidentibus, sed secundum solam rationem: etenim ad id, vt aliquid alicui conveniat quod alteri (quod est idem cum eo secundum rem) nullo modo competit, sufficit illa sola ratione inter se distingui: quemadmodū album, & albedo, vnam, & eandem formam significant, verum quia illa inter se differunt secundum rationem concreti, & abstracti aliquid effertur de albo, quod non effertur de albedine, dicimus enim album legere, vel orare, quod non dicimus de albedine. Eadem prorsus ratione quamuis ens, & substantia, ens, & accidentia, sint vnum & idem, tamē quia ratione differunt, dicimus ens esse diuisum in decem Categorias, substātiam tamen, vel accidentia in illas diuidi non dicimus.

Ad quartum admittimus ens esse prius natura substantia, vt ostendit argumentum, obtinereque in illo priori conceptum aliquem præcisum ratione ab ea: dicimus tamen nō esse illum perfectum, & adæquatum, sed inadæquatum. Eademq. prorsus ratione satisfacimus confirmationi, dicimus enim hanc attributionem, homo est ens, esse priorem hac altera, homo est substantia, in illoque priori ens obtinere conceptum aliquem distinctum a substantia, imperfectum nihilominus, & inadæquatum, hunc tamen non negamus in ente, sed alterum, qui est perfectus, & adæquatus. Ad 4.

Ad quintū dicimus particulam il lam per se non contrahere substantiam, neque accidentia, sed ens quod est illis commune secundum analogiam: verum quando deinde colligimus, ergo iam ens obtinet cōceptum aliquem auulsum reipsa negamus consequentiam: quia ad hāc contractionem sufficit, illud ratione differre a substantia, & ab accid. Ad 5.

Ad sextum respon in illa attribu. Ad 6.

ent neque sumi pro substantia, neque pro accidentibus, sed pro natura quadam communi ad hæc duo, & distincta, non secundum rem, sed secundum solam rationem.

Ad 7. Ad septimum eadem prorsus ratione satisfacimus, substantiam scilicet, et accidentia conferri in ente exprimente naturam ipsis communem, quæ non differt, neque est auulsa ab eis secundum rem, sed secundum solam rationem.

Ad. 8. Ad octauum dicimus conceptū formalem entis imperfectum reipsa distingui a conceptibus formalibus substantię, et accidentium: perfectū autem non differre reipsa, cum ille nihil aliud sit, quam conceptus substantiæ, & accidentium, vt assimilātur in esse. Obiectiuus vero neque perfectus, neque imperfectus, est auulsus secundum rem à substantia, et ab accidentibus. Ratio autem est, quia cum conceptus formales sint actiones quædam intellectus, quæ non prædicantur secundum essentiam neq. de se inuicem, neque de rebus repræsentatis, poterit vnus conceptus formalis ab altero distingui, quemadmodum vna actio intellectus distinguitur ab altera: verumcum conceptus obiectiuus tam perfectus, quam imperfectus sit intimus, & de essentia rerum omniū, nulla ratione poterit secundum rē distingui a conceptibus harum rerum. Vnde ex eo quod conceptus obiectiuus est ille qui repræsentatur per conceptum formalem, solū sequitur esse duplicem conceptum obiectiuum, vnum perfectum, & alterum imperfectum: quemadmodū est duplex cōceptus formalis, vnus perfectus, & alius imperfectus: non tamen sequitur vt quemadmodū cōceptus formalis imperfectus differt secundum rem a conceptibus substantię et accidentium: ita quoque et obiectiuus imperfectus, sit etiam secundum rem distinctus a conceptibus obiectiuis eorundem.

Ad vltimum respon. falsam esse propositionem, quia conceptus vltimæ, et atomæ differentiæ, est etiā simplicissimus, qui tamen non differt neque est auulsus secundum rē a cōceptu speciei quam componit: vt neque differentia secundum rem differt neque est auulsa ab eadem natura specifica Vnde quamuis cōceptus entis sit simplicissimus, alij vero sint compositi, non hinc fiet conceptum entis esse distinctum, et auulsum secundum rem a conceptibus rerum aliarum, cum sit de intima et essentiali ratione Dei et creaturarum, substantiæ, et accidentiū. Ad vlt.

Animaduersio.

MVlti de essentia, et existentia, et de proprietatibus entis vno, vero, bono, in hoc loco differunt: meo tamen iudicio extra institutū, ac proinde illorum omnium tractatio consulto fuit a nobis prætermissa. Si quis autem sciendi cupidus horum omnium cognitionem habere cupit, legat nostram metaphysicam disputationem de ente, et de eius proprietatibus, aut de Transcendentibus æditam, in qua in secundo libro de essentia, et existentia, et in reliquis de vno, vero, et bono, luculenter satis et abunde disseruimus.

Sect.

Secti. II. De numero & distinctione Categoriarum, ac de his quæ in illis continentur.

ARGVMENTVM.

ABsoluta priori parte disputationis, in qua de homonymia, synonymia, analogia, & conceptu entis disseruimus: sequitur vt ad secundam explicandā deueniamus, in qua de numero, & distinctione categoriarum, & de his quæ in illis continentur erit instituenda disputatio. Sit igitur prima quæstio de numero categoriarum.

Quæstio I. Sintne tantum decem categoriæ entium rei.

GRæci interpretes Porphy. in interrogatio. Dexippus in q. in vlti. cap. Antecatego. Simplicius, & Ammonius in comment. referunt veteres Philosophos qui post Arist. philosophati fuerunt, varia argumentorum genera aduersus numerum denarium categoria. ab Arist. traditum proposuisse, quæ erunt in hoc loco à nobis dissoluenda, vt sententia Arist. veritati maxime innixa, luce clarior omnibus appareat. Primo igitur proponemus argumen. quæ minorem esse numerum categor. confirmare videntur, deinde vero alia trademus quibus plures quam decem esse categorias

Arg. 1. 1. class. potest suaderi. Sit igitur primū primæ classis argumentum. Omnes categoriæ possunt reuocari ad vnam categoriam entis, non igitur erunt illæ plures constituendæ: confirmatur consequentia, quia frustra fiunt per plura quæ fieri possunt per paucIora, & æque bene. Si igitur omnia rerum genera possunt sub vna categoria entis includi (vt reuera possunt) frustra erunt plures categoriæ constituendæ.

Secundum. Numerus categoriarū 2. Arg. peti debet ex diuersis modis essendi: sed tantum sunt duo modi essendi, nimirum per se, & in alio, ergo tātum erunt duæ categoriæ, vna substantię quæ existit per se, & alia accidentis quod est in alio tanquam in subiecto.

Tertium. Numerus categoriarū 3. Arg. peti debet ex diuersis & variis modis prædicādi, sed hi tantum sunt duo, in quid scilicet, & in quale: ergo tantum erunt duæ categoriæ in quid vna,

vna, & hæc est substantia: & in qua le alie, vt categorię accidentis.

4. Arg. Quartum. Tot sunt categorię, vel prædicamenta, quot sunt prædicabilia, sed tantum sunt quinque voces prædicabiles, ergo tantum erũt quinque prædicamenta.

5. Arg. Demum. Diuersæ categoriæ non possunt habere supra se naturam aliquam synonymam, sed homonymam, vel analogam, sed actio & passio habent supra se naturam motus communem, & synonymam, ergo actio & passio non constituent duas categorias, sed sat erit constituere vnam categoriam motus, quo constituto minor erit numerus categoriarum. Confirmatur hoc argumento, Actio & passio nihil aliud sunt quam motus ex Arist. 3. Physic. c. 3. sed motus non constituit determinatam categoriam, sed reuocatur ad categoriã sui termini, vt motus ad quantitatem, qui est accretio, reuocatur ad quantitatem, & motus ad qualitatem (vt calefacio) ad qualitatem, ergo actio & passio non constituent peculiares categorias.

1. Argu. 2. class. Argumenta secundę classis ad cõfirm. esse multo plures quam decem categorias, sunt hæc. Primum. Vbi, & Quando, sunt diuersæ categoriæ à quantitate, quia quantitas est interna mensura, hæ vero sunt externæ, sed etiam linea est externa mensura, vt vlna, v. g. qua metimur longitudinem panni: datur etiam numerus extrinsecus, vt calculi quib' aliquid numeramus, ergo dabuntur duæ aliæ categoriæ, vna quę constituat lineas extrinsecas, & alia numeros extrinsecos.

2. argu. Secundum. Categoria habẽdi (vt est habere vestẽ) significat aliquid medium, inter vestem & habentem illam, vt motus est aliquid medium inter agens & patiens: sed motus cõstituit duas categorias vnam actionis, & alteram passionis, vt fluit ab agente, & recipitur in passo, ergo habitus duas categorias constituet, vnam vestiũ, quibus aliquis induitur, & alteram hominis seipsum vestibus induentis, ac proinde erunt duæ categoriæ habendi.

3. vltim. argum. Præterea, habere vestem constituit nouam categoriam ab aliis distinctam, & à categoria substantiæ, in qua vestis continetur, ergo habere quantitatem (vt magnitudinem) & qualitatem (vt candorem) constituet nouam categoriam, à qualitate & quantitate distinctam, quia non est maior ratio quare habere vestẽ constituat nouam categoriam ab ea in qua vestis continetur distinctã, & habere quantitatem, vel qualitatem, non constituat nouam categoriam à quantitate, & qualitate distinctam, quare multo plures quam decem erunt categoriæ. Alia leuiora argumenta aduersus numerum categoriarum prætermittimus, quæ his solutis facile quoque poterunt dissolui.

Referũtur diuersę de numero categoria. sentent. Variæ extiterunt olim veterum Philosophorum de numero categoriarum sententiæ & opiniones quidam enim tantum constituebant vnam categoriarum entis, vt Plato, referente Arist. 3 lib. Metaph. cap. 3. alij vero vt Xenocrates, & Andronicus, referente Simplicio, duas tantũ vnam substantiæ, & alteram accidẽtium, vnam entium per se, & aliam entium quæ sunt in alio tanquã in subiecto faciebãt. Stoi. vero auctore Ploti. Aene. 6. lib. 1. c. 25. constituũt quatuor categorias substantię vnã, aliam quantitatis, tertiã eius quod est aliquo modo sese habere, & quartam eius quod est ad aliud se habere. Idem Plotinus etiam quatuor cõstituit categorias vnam substantię, alteram accidentium quæ sunt in substantia, vt sunt quantitas, & qualitas:

litas: tertiam accidẽtium in quibus est substantia, vt vbi, & quando, & quartam relationis, & motus. Inter peripateticos Nimphus in suis ludricis quatuor quoque statuit categorias, scilicet substantiam, quantitatem, qualitatem, & relationem, nã alię inquit ad has quatuor reuocantur, vt vbi ad locum, & quando ad tempus & sic de aliis. Plato in Sophista quinque eas facit ens, idem, diuersum, motum, & quietem. Pitagorici vero viginti collocant, decem bonorum, & totidem malorum, vt docet Arist. 1. metaphysi. cap. 5. Alij vero constituũ tantum nouem categorias, nam actionem & passionẽ concludunt sub vna categoria motus, in qua sententia extiterunt Cornutus, & Nicostratus auctore Simplicio. Sunt & qui constituant vndecim, decem entium rei, & vnam entium rationis. Arist. vero cum Archita tantum constituit decem categorias entium rei, scilicet substantiam, quantitatem, & alias quã opinionem sequuntur fere omnes peripatetici tam Græci, quam Latini, quam etiam Arabes, D. Augusti. 5. lib. de Trinita. cap. 7. tomo 3. & in lib. catego à se ædito tomo 1. atque D. Damascenus in sua dialectica. Quam quidem confirmare possumus argumento petito ex eodẽ Arist. lib. 5. metaphy cap. 7. adhibita eius loci egregia interpreta. D. Tho.

Opinio Aristo.

Optima ratio ex Aristo. & D. Tho. petita. Tot sunt categoriæ, quot sunt modi essendi. sed tantum sunt decem modi essendi, ergo tantum erunt decem categoriæ. Confirmatur assumptio à posteriori & ab effectu in hũc modum. Tot sunt modi essendi, quod sunt modi prædicandi de prima substantia, sed tantum sunt decem modi prædicandi de prima substantia, ergo tantum erunt decem modi essendi. Confirmatur assumptio. Quidquid prædicatur de prima substantia, aut prædicatur secũdum essentiam, aut secundum accidens: si secundum essentiam, est categoria substantiæ. Si secundum accidẽs efferatur, aut illud inhæret, & est intrinsecum, aut est extrinsecum aut partim est intrinsecum, & partim extrinsecum. Si prędicatur secundum accidens, & inhæreat, est categoria quantitatis, qualitatis, & relationis, nã hæ tres categoriæ inhærent subiecto denominato si enim illud consequatur materiam, est quantitas, si formam est qualitas si vero in habitudine vnius ad alterum fuerit constitutum, est relatio. Si vero prædicetur secundum accidens, & fuerit extrinsecum cõstituuntur quatuor categoriæ, vbi, quando, situm esse, & habere, nam si huiusmodi accidẽs non mensuret primam substãtiam, sed ornet illã est categoria habere: si vero fuerit mensura substantiæ secundum locum est categoria vbi, & situm esse, quæ est dispositio partium in loco: si fuerit mensura illius secundũ tempus, est categoria quando. Tandem si ea quæ prædicantur partim sint intrinseca, & partim extrinseca constituũt duas categorias actionis, & passionis: nam actio, & passio partim sunt in agente, & partim in patiente, in agente enim sunt quo ad principium, & in patiente quo ad terminum. Manet igitur ex his demonstratum decem esse categorias quæ sunt substantia, quantitas, & reliquæ aliæ connumeratæ. Rationẽ aliam paulo ab hac diuersam tradit Simplicius quam qui voluerit poterit apud ipsum eam consulere. Has decem categorias in sua dialectica Murmelius eleganter sane his duobus carminib' expressit.

Arbor, Sex, Seruos, Feruore, Refrigerat, Vstos,
Rure, cras, stabo, nec tunicatus ero.

Ex quibus Arbor significat, substan-

stantiam, Sex, quantitatem, Seruus relationē, Feruor, qualitatem, Refrigero, actionem, Vltus, passionem, Rus, vbi, Cras, quando, Sto, situm esse, Tunicatū, esse habere, intelligi autem hoc debet de categoriis entium rei, nam præter illas esse vnde cimam aliam entium rationis collocandam, in hac eadem Sectio. ostendemus.

Ad argum. 1. classis.

Ad argu. Ad primum respon. ens non esse synonymum, sed analogū vel homonymum ab vno, & ad vnum, & ita nullam poterit categoriā constituere, quia ea quæ sunt homonyma arcenda sunt omnino a categoriis.

Ad 1. argum

Ad 2.

Ad secundum admittimus propositionem, si illi modi fuerint synonymi, & peculiares, at modus essendi in alio non est synonymus, sed analogus, & generalis, vt ostēdemus in antecategoriis accidētium, & ita non constituet ille aliam categoriā, sed diuagabitur per omnes nouem categorias accidentium.

Ad. 3.

Ad tertium dicimus numerum categoriarum petendum esse ex diuersis modis prædicandi synonymis: at prædicari in quale non dicitur synonyme de omnibus categoriis accidentium, sed analogice, nam alio modo prædicatur quantitas in quale, & alio qualitas, & sic de aliis: vnde prædicari in quale, non constituet aliquam Categoriam.

Ad 4.

Ad quartum respō. negando propositionem quia numerus prædicabilium peti debet ex numero inferiorum de quibus voces vniuersæ prædicantur, & quia tantum sunt quinque genera inferiorum de quibus quinque dictæ voces vniuersæ prędicantur, tantum erunt quinque prædicabilia. Cæterum numerus categoriarum peti debet ex diuerso modo prædicandi de prima substantia, et quia decem modis cōtingit aliqua attributa prædicari de illa, decem erunt categoriæ.

Ad 5.

Ad quintum dicimus falsam esse assumptionem, quia motus non est natura synonyma, cum diuagetur per multas categorias, scilicet per quantitatē, qualitatem, et vbi, natura autem synonyma non diuagatur per multas categorias, sed intra limites alicuius est comprehensa. Ad cōfirma. respon. actionem, & passionē secundum rem esse eundem motū, at ratione differre ab eo, nam actio est motus vt fluens ab agente: passio vero est motus vt receptus in passo, quæ duæ rationes essendi, ab aliquo scilicet, vel in aliquo, efficiunt duas categorias diuersas.

Ad arg. 2. classis.

Ad argu. vero secundæ classis in hunc modum satisfaciamus Ad primum esse disparem rationem de vbi, et quando et de linea inirinseca, et extrinseca: quia vbi, et quando, ex sua natura sunt veluti quædam formæ continentes id quod est in tempore, et in loco, ac propterea ex natura sua mensurabunt vel durationem rei contentæ, vel magnitudi tudinem illius: at vero linea extrinseca, et numer⁹ extrinsecus, vt sunt calculi, ex sua natura non sunt vt formæ quædam aliquod subiectum continentes, vel mensurantes, sed ex libera hominum voluntate, volētium pro suo suo arbitrio aliquid his mensuris extrinsecis metiri, sumuntur tanquam mensura ac proinde vbi, et quando, constituent proprias categorias in ratione mensuræ extrinsecæ, at situm esse, et habere non constituent illas.

Ad 1.

Ad 2.

Ad secundum respon. esse latum discrimen inter motum, qui est medius inter actionem, et passionem, et inter esse vestitum, quod est medium inter vestes, & hominem vestitum, quia esse vestitum, est veluti quædam forma efficiens substantiam,

tiam, motus vero, neque actionis, neque passionis est forma, sed materia, atque ita cum id quod se habet ad modum formæ afficientis peculiari modo substantiam, constituat propriam categoriam, vestitum esse constituet categoriam habere distinctam à categoriis hominum & vestium, motus vero cum non afficiat nouo modo substantiam, neque sit veluti forma quædam distincta ab actione & passione, non constituet nouam categoriam ab his distinctam.

Ad vlti.

Ad vltim. respon. negando consequentiam, & ratio est: quia habere magnitudinem, vel candorem non afficiunt diuerso modo subiectum, quam afficiant magnitudo ipsa, & candor, neque differunt habere magnitudinem, aut candorem, ab ipsismet accidentibus, atque ita non cōstituent nouas categorias, cum eodem modo afficiant subiectum. Verum habere vestem, afficit substantiam nouo quodam, et distincto modo reipsa ab eisdem vestibus distincto, et enim habere vestem est in homine vestito tanquam in subiecto: vestes vero non sunt in aliquo subiecto, cum nulli inhæreāt, atque ita constituet habere vestem, peculiarē quandam categoriam ab homine vestito, et à vestibus quibus induitur, distinctam omnino et separatam.

QVAESTIO. II. AN NVmerus categoriarum petendus sit ex diuersis modis prædicandi de prima substantia.

1. Arg.

PArtem negantem his argumentis possumus confirmare. Primū est. Ens rei non potest distingui per ens rationis. sed categoriæ sunt entia rei, & prædicari est ens rationis, ergo non poterunt categoriæ distingui per diuersos modos prædicandi.

2. Argu.

Secundum. Si categoriæ distinguerentur per diuersos modos prædicandi, cum in vnaquaque categoria dentur duo modi prædicandi, vnus in concreto, & alius in abstracto, in vnaquaque categoria darentur duæ cotegoriæ: atqui hoc asserere est absurdum, igitur non distinguuntur categoriæ per diuersos modos prædicandi.

3. Argu.

Tertium. Diuisio entis in decem categorias est omnium prima, sed diuisio entis in decem modos prædicandi non est omnium prima diuisio, ergo non potest diuidi ens in decem categorias per diuersos modos prędicandi. Cōfirmatur assumptio. Prior est diuisio in decem modos essendi, quam in decem modos prædicandi, ergo non est illa prima diuisio entis.

4. Arg.

Præterea Si categoriæ distinguerentur per diuersos modos prædicā di de prima substantia, sequeretur in categoriis accidentium tantum contineri concreta & non abstracta, quia tantum concreta prædicantur de prima substantia, non enim dicimus hominem esse albedinem in abstracto, sed album in concreto: atqui hoc est aduersus ea quæ deinde sumus dicturi, scilicet in categoria accidentium contineri abstracta: ergo categoriæ non distinguentur per diuersos modos prædicandi.

5. Argu.

Nō est leuis disceptatio inter Thomistas, & Scotistas de numero categoriarum, à quo videlicet sit ille postulandus, nam cum categor. sint in prima substantia secundum diuersum modum essendi, prædicenturque de eadem secundum varia attributionum genera, quæstio est, sitne depromendus numerus ipsarum ex diuersis modis essendi in prima substan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

stantis, vel potius ex diuersis modis prædicandi de eadem. Scotistę enim tuentur petendum esse numerum categoriarum ex diuersis modis essendi in prima substantia, vt videre licet in Scoto 5. lib. Metaphy. q. 6. & Antonio Andræa q. 7. eiusdem li. At contra Thomistæ, & alij Philosophi aliam sententiam sequuntur, numerum nempe earundem sumi debere ex diuerso modo prædicandi de ipsa prima substantia. Ita docet D. Tho in commenta. in cap. 7. lib. 5. Metaphy. Soncinas q. 13. eiusdem lib. Iauellus q. 16. Matthias Aquari. q. 8. Suesanus q. 7. Quorum grauissimorum virorum sententiam, vt explicemus, adnotandum erit imprimis duobus modis sumi posse categorias, primo iuxta naturas rerum in illis comprehensas, abstrahendo ab omni notione secunda: secundo iuxta easdem naturas, ea tamen ratione qua denominantur à notionibus secundis genera, species, vel individua, subiecta, vel attributa.

1. Opin.

2. Opin.

Obser. 1

Animaduertendum est secundo esse duo genera principiorum, per quæ distingui res possunt, & separari ab inuicem, nam quædam sunt principia prima & remota, alia vero proxima & immediata. Ignis enim, v. g. & aqua, hoc duplici genere principiorum apta sunt distingui, nam per suam materiam & formam tanquam per principium primum separatur ignis ab aqua: per calorem vero, & siccitatem tanquam per proximum, & immediatum principium ab eadem secernitur. Quando igitur quærimus per quæ principia distinguantur categoriæ, intelligendi sumus de vtroque principio tam proximo quam remoto.

2. Obserua.

Quibus adnotatis sit prima conclusio. Si categoriæ sumantur primo modo pro naturis tantum, præscindẽdo ab omni notione secũda, neque distinguuntur per diuersos modos prædicandi, neque per diuersos modos essendi, sed seipsis secernuntur ac separantur inter se, vnde quantitas seipsa differt à qualitate, & sic de aliis categoriis. Confirmãtur. Quæ sunt primo & immediate diuersa seipsis differunt: sed categoriæ sunt primo & immediate diuersæ, sunt enim illæ attributiones, in quibus vna categoria negatur ab altera immediatæ, vt ostendemus 1. lib. de demõs. cap. 3. ergo categoriæ seipsis differunt.

1. Conc.

Secunda conclusio. Si loquamur de categoriis in secunda significatione, vt scilicet denotant naturas subiectas secundis notionibus, distinguũtur illæ per diuersos modos prędicandi de prima substantia, tanquam per proximum, et immediatum principium. Confirmatur aduersus Scotistas his argum. Primo auctoritate Arist. qui expressis verbis 5. lib, Metaph. cap. 7. distinguit categorias per diuersos modos prædicandi de prima substantia. Secundo ex nominis etymologia eadem conclusio demonstratur, categoria enim est series, seu ordo subiectorũ et attributorum, ergo illæ erunt diuersæ categoriæ, quæ diuersa continebunt subiecta, et attributa: distinguentur igitur per diuersos modos prædicandi. Tertio. Secundum Scotum relatio non differt reipsa, neq. habet diuersam entitatem à suo fundamento, si fuerit intrinsecus aduenies (vt similitudo) non differt reipsa ab albedine: sed si distinguerentur categoriæ per diuersos modos essendi tantum, relatio non constitueret diuersam categoriam à quantitate, vel qualitate in quibus fundatur, quia non habet diuersam entitatem ab illis: ergo categoriæ non distinguentur tanquam per proximum, & immediatum principium, ex diuersis modis essendi.

2. Conc.

1. Arg.

1. Argu.

3. argu.

3. Conc.

Obiect.

Tertia conclusio. Categoriæ distinguuntur per diuersos modos essendi in prima substantia tanquam per primum, & remotum principiũ. Vt substantia primo differt à quantitate, quia est in prima substantia secundum essentiam, quantitas vero secundum accidens: quãtitas prę terea primo differt à qualitate, quia est in prima substãtia tanquam mẽsura, qualitas vero tanquam affectio quædam ipsius. Confirmatur. Modi prædicandi nisi fuerint fictitij, debẽt fundari in modis essendi, quia quælibet attributio fuudatur in aliquo esse, ergo si categoriæ proxime distinguũtur per diuersos modos prædicandi, debent remote distingui per diuersos modos essendi in quibus fundantur illi diuersi modi prædicandi. Verum est adnotandum diuersos modos essendi aliquãdo esse distinctos in categoriis actu, et aliquando sola virtute, et potestate: v. g. modus essendi substantiæ actu distinctus est a modo essendi quantitatis, vel qualitatis: at vero modus essendi relationis (iuxta multorum opinionem) non est actu distinctus a modo essendi quãtitatis, vel qualitatis in quibus fundatur relatio, sed sola virtute; et modus essendi actionis, non est actu distinctus a modo essendi passionis, sed sola potestate quia intellectus potest effingere diuersos conceptus actionis, et passionis, et ita poterit intelligere has categorias tanquam diuersas. Hanc conclusi. proponit D. Tho. q. 1. de veritate art. 1. docens ex diuersis gradibus entis, oriri diuersae categorias. Contra tamen dicet aliquis. Omne contrahens est extra naturam rei contractæ, sed modi essendi categoriarum non sunt extra naturam entis, sunt enim vera entia, ergo ea non contrahitur ad decem categorias per decem modos essendi. Resp. propositionem esse veram si natura contrahens sit vera differentia, quia differentia non participat genus auctore Arist. 7. Metaphy. cap. 13. quod si non sit tale contrahens vera differentia sed modus quidam duntaxat intrinsecus non differet a natura rei contractæ, sed includet illam. Et ita cum ens contrahatur ad decem categorias (non quidem per veras differentias) sed per modos intrinsecos, neganda erit propositio.

Solutio.

Restãt iam argumenta in initio quæstionis proposita dissoluenda. Ad primum respon. ens rationis nõ distinguere ens rei, vt ens rei est, posse tamen distinguere ens rei, prout illud afficitur aliqua notione secunda: et ita diuersi modi prædicandi distingunt categorias, vt in illis continẽtur naturæ denominatę subiecta, vel attributa, a notionibus secundis subiecti, vel attributi, qua ratione est nobis hoc loco de categoriis sermo.

Ad 1. argum.

Ad secũdum dicimus categorias distingui per diuersos modos prædicandi de prima substantia duntaxat, non autem de aliis secundis scilicet substãtiis: at de prima substantia non prędicantur duobus modis in concreto, & in abstracto, sed vno solo modo in concreto nimirũ, neque enim dicimus Petrum esse cãdorem in abstracto, sed esse candidũ in concreto.

Ad. 2.

Ad tertium negamus propositionem, quia dantur plures aliæ diuisiones priores, quam sit diuisio entis in decem Categorias, vt late ostẽdimus lib. 1. Transcendenti. cap. 4.

Ad. 3.

Ad quartum respon. aliud esse loqui de distinctione categoriarum, & aliud de constitutione earundem, distinguũturnamque per diuersum modum prædicandi in concreto de

Ad 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

prima substantia: constituuntur vero per seriem, & ordinem subiectorum, & attributorũ eiusdem catego. Vnde in categ. accidentiũ continentur præcipue abstracta, quia illa sunt quæ possunt obtinere rationem generis, aut speciei, respectu suorum inferiorum Neganda itaque est propositio, nam quamuis sola concreta prædicentur de primis substantiis, abstracta nihilominus sunt, quæ obtinent rationem generis, specie, & indiuidui.

QVAESTIO III. AN CATEGORIÆ SINT REIPSA DIVERSÆ NECNE?

NOn esse categorias reipsa diuersas his argumentis possumus demonstrare. Primum est. Quæ reipsa
1. Arg. differunt possunt abinuicem separari, sed substantia non potest separari ab accidentibus, ergo substãtia non differt reipsa ab illis.

Secundum. Illa sunt idem reipsa,
2. Arg. quæ sunt idem numero, sed accidẽtia omnia sunt idem numero cum substantia, ergo accidentia omnia erunt idem cum substantia, nec ab ea reipsa different.

Quidam veteres existimarunt categorias omnes esse vnam, & eandẽ rem cum substantia (si credimus Petro Nigro 2. p. clypei q. 7.) inqua eadem opinione extitit acerrimi ingenij Philosophus Heruеus, quollibeto 1. quæst. 9. docens categorias nõ distingui reipsa, sed sola ratione, vel intellectus cogitatione. Cæterum omnes Philosophi tuentur categorics esse reipsa distinctas, in cuius opinionis explicationem sit prima conclusio.

2 Inter se pugnan opinio.

1. Conc. Categoria substantiæ in genere, & in communi reipsa differt à categoriis accidentium. Confirmatur. Esse per se, & esse in alio, dependere ab aliquo, & non dependere ab illo sunt modi reipsa distincti, sed categoria substantiæ existit per se, & non dependet ab alio: categoriæ autem accidentium existunt in substantia, & dependent ab illa, ergo categoria substantiæ differt reipsa à categoriis accidentinm. Dictum autem est in genere, quia in particulari optime potest aliquod accidens esse idem cum substantia, nam (iuxta multorũ opinionem) relatio creaturæ est accidens, quæ est eadem cũ creatura quæ est substantia.

Obser-nan. circa conclusio.

Secunda conclusio non omnes categoriæ accidentium inter se collatæ differunt reipsa, nam licet quantitas reipsa distinguatur a quibusdam speciebus qualitatis, non tamẽ est necesse vt reipsa differat ab aliis. Nam figura quæ est 4. species qualitatis, non differt reipsa à quantitate: præterea relatio non differt reipsa à quantitate, & qualitate, in quibus fundatur (vt multi putãt) adhæc actio, & passio, non distinguũtur reipsa, cum sint idem numero motus: & tandem categoria vbi, non differt reipsa à categoria loci, & categoria quando à tempore, ex quibus omnibus constat in accidentibus, non esse necesse vnam categoriam reip. distingui ab altera.

2. Conc.

Tertia conclusio. Quamuis non omnes categoriæ accidentium differant reipsa, differunt tamen ratione, & diffinitione. Hæc conclusio est manifesta erenim quãuis actio, & passio sint eadem res, alia tamen est ratio actionis, & alia passionis, & idem iudicium est de relatione, quantitateq. ac qualitate, quæ quãuis sint idem re, rationibus tamen, & diffinitionibus maxime differũt.

3. Conc.

Satisfaciamus demum argumentis in principio adductis. Ad primũ negamus propositionem, quia materia

Ad 1. argumen.

teria prima reipsa differt à forma, quæ tamen non potest separari ab ea, vt auctor est Arist. 7. Meta. cap. 3.

Ad 2. Ad secundum dicimus duobus modis aliqua posse dici vnum numero, vno modo intrinsece & alio extrinsece. Illa enim dicuntur idem numero primo modo, quæ significant eandem entitatem, vt sunt hęc tria Marcus, Tullius, Cicero: illa vero secundo modo & extrinsece dicũtur idem, quæ significant multas entitates, habent tamen illas in eadẽ materia, vel subiecto numero. Propositio ergo vera est de iis quę sunt eadem numero primo modo, falsa tamen de iis quæ sunt eadem secundo modo, qua ratione subiectum & omnia accidentia sunt vnum numero. Fuit quæstio hæc breuiter hoc loco disputata, quia vberius est illa in cap. de quantitate in quæstione, an quantitas reipsa differat à substãtia à nobis pertractanda.

QVAESTIO IIII. AN CONCRETA COLLOCENTUR IN CATEGORIJS, NECNE.

NOn desunt aliquot argumenta, quibus ostendi potest contineri concreta in categoriis, è quibus primum est. Quantum, & Relatũ sunt
1. argu. concreta accidentium, sed continẽtur illa in categoriis apud Dialecticum, Arist. enim in categoria quantitatis diuidit quantum in concreto, in coniunctum, & disiunctum, & in categoria relationis diffinit relata in concreto, quorum tota vis, &c. ergo concreta continebuntur in categoriis apud Dialecticum.

Secundum. Categoriæ distinguũ
2. Arg. tur per diuersum modum prædicandi de prima substantia: sed categoriæ accidentium non prædicantur de prima substãtia in abstracto, sed in concreto, non enim dicimus Petrum esse albedinem, sed esse albũ: ergo abstracta non collocabuntur in categoriis sed concreta. Quod si respondeas distingui quidem categorias per diuersum modum prædicandi, vt in præcedenti quæstione docebamus, non tamen per hunc eundem constitui, sed per seriem, & ordinem generum formarum, & indiuiduorum, qua ratione illas accidentia in concreto non complecti certum est, cum ea nec genera, nec species, nec indiuidua nata sint esse contra sic insurgo. Eadem sunt principia constituendi, & distinguendi: at categoriæ distinguuntur per diuersum modum prædicandi: igitur & constituentur per eundem, qua ratione si constituantur, non possunt non continere illę ac suo ambitu cõprehendere accidentia in concreto.

Solutio.

Tertium. Abstractum & concretum, vt album, & albedo significant eandem naturam: si ergo abstracta continẽtur in categoriis dialecticis, etiam & concreta sub eisdem comprehendentur.

3. Arg.

Vltimum. Concreta accidentium (vt album v. g.) sunt magis entia quam abstracta (vt quam albedo) idque secundum Arist. 7. Metaphysi. cap 1 ergo si abstracta continentur in categoriis, etiam & concreta continebuntur in eisdem.

Vlti. argum.

Quidam ex recentioribus Philosophis existimant in categoriis tam abstracta, quam concreta contineri, vt in categoria v. g. qualitatis non albedinem tantum, sed album etiã esse contentum, & idem iudicium est de cæteris categoriis, quãuis potissime (inquiunt) cõcreta in eis collocentur, minus vero præcipue abstracta. In hac sententia extitit Franciscus à Toleto in Postcatego q. 2. & nonnulli alij cum eo.

1. Opin.

Cæterum vetustiores Philosophi

2. Opin.

D. Tho. in libello de ente & essen. & in Opusc. 42. de natura generis c. 9. Auicenna lib. 3. suæ Metaph cap. 3. Caieta. in cap. 7. de ente & essen. & plerique alij cum eis contrariam opinionem iudicant veriorem, in categoriis nimirum accidentium sola abstracta posse collocari, quia illa sola nata sunt denominari genera, species, & indiuidua, ex quibus tota series categoriæ conflatur. Quorum

Nonnulla obseruanda. Primum Secun.

sententia est multo verior, atque ita vt illam explicemus, nonnulla animaduertemus. Primum in categoriis quædam coniineri per se, aliaue ro reductiue. Deinde concreta esse in duplici differentia, quia quædam continentur in categoria substantiæ vt homo, & animal: alia vero in categoria accidentis, vt album, & musicum, quæ continentur in categoria qualitatis. Adhæc quædam contineri in categoriis apud Metaphy.

Tertiũ.

quæ non collocantur in eisdem apud Logicum, quod prouenit ex diuerso modo considerandi res ipsas, quia Metaphysi. considerat res ea ratione qua habent naturam, & essentiam, & ita omnia illa quæ habent naturam & essentiam, continentur in categoriis apud Metaphysicũ. At Dialecticus agit de rebus, prout subijciuntur secundis notionibus, & ita solum ea quæ apta sunt denominari genera, species, vel indiuidua, possunt contineri in categoriis apud ipsum, cætera vero quæ talia denominari nequeunt, nulla ratione continebuntur.

2. Conclusio.

Sit iam prima conclusio. Concreta categoriæ substantiæ per se, & directe continentur in categoriis tam metaphysicis quam dialecticis, vt homo v.g. & animal. Primam partẽ huius conclusionis contineri scilicet in categoriis metaphysicis confirmamus. Concreta categoriæ substantiæ sunt illa quæ habent naturam, & essentiam, vt homo v.g. est illud quod habet essentiam, sed in categoriis apud metaphy. continentur omnia illa quæ habent essentiã, ergo concreta categoriæ substantiæ continebuntur in categoriis metaphysicis. Secundam vero partem ita suademus. Illa continentur in categoriis dialecticis, quæ sunt vnum per se, possuntque obtinere rationẽ generis, vel speciei, subiecti, vel attributi: sed concreta categoriæ substãtiæ, sunt vnum per se, possuntq. habere rationem generis, vel speciei, &c. vt homo & animal, v.g. sunt entia per se, & homo est species, animal vero genus: ergo concreta categoriæ substantiæ per se & directe habent locum in categoriis dialecti ci. Quod siquis roget de abstractis horum concretorum animalitate nimirum, & humanitate, qua ratione contineantur illa in categoriis: respondebimus illa contineri reductiue, quia sunt principia concretorũ at principia ad categoriam reuocantur principiatorum.

Secunda conclusio. Concreta accidentium continentur in categoriis apud Metaphysi. Confirmatur in hunc modum. In categoriis metaphysicis continentur omnia illa, quæ habent naturam & essentiam: sed concreta accidentiũ habent vnam, ac eandem naturam, et essentiam, cum abstractis, etenim iuxta Arist. in categoria substantiæ albũ, & albedo sunt vnum, & idem, nam album solam qualitatem albedinẽ, scilicet, significat: iam ergo concreta accidentium continebuntur in categoriis apud Metaphy. Vnde quemadmodum albedo apud ipsum continetur in categoria qualitatis, ita etiam & album est apud ipsum in eadem met categoria contentum, quia albi, & albedinis est eadem natura, & essentia.

2. Conc.

Tertia

3 Conc. Tertia conclusio. Concreta accidentium vt album, & musicum nõ continentur in categoriis apud Dialecticum. Confirmatur his argumẽtis. Primum est. Entia per accidens non continentur in categoriis, vt adnotauimus cum Arist. 5. Metaph. cap. 7. sed concreta accidentiuum apud Dialecticum sunt entia per accidens, ergo non continebuntur in categoriis apud ipsum. Confirmatur assumptio. Album quod est concretum categoriæ accidentis significat subiectum cum accidente, significat enim corpus habens albedinẽ: sed subiectum cum accidente constituit vnum per accidens, vt profiteur idem Arist. 5. metaphy. cap. 7. ergo concreta categoriæ accidẽtis sunt entia per accidens. Dictum autem est concreta categoriæ accidentis apud Dialecticum esse entia per accidens, nam apud Metaphy. sunt entia per se, quia Metaphysicus disputat de rebus significatis, non de modo significandi, & quia res significata per album est albedo, quæ est ens per se: propterea apud Metaphysicũ album erit ens per se, homo vero albus erit ens per accidens: at vero quia Dialecticus considerat modum significandi, & concipiendi, & hoc nomen album ex modo significandi significat subiectum, & albedinẽ vt inhærentem (nam album est corpus habens albedinem) propterea apud Dialecticum album, vel quod libet aliud concretum erit ens per accidens. Secundum. In categoriis dialecticis tantũm continentur ea quæ possunt esse genera, vel species, quia categoria tantum est series generum, specierum, & indiuiduorũ, sed concreta accidentium non possunt esse genera vel species: nã quale non est genus, sed qualitas: & album non est species, sed albedo: ergo in categoriis apud Dialecticum non continebuntur concreta accidentium, sed abstracta. Assumptionem ita possumus confirmare. Genera & species prædicantur synonyme: sed concreta accidentium non prædicantur synonyme, sed paronyme, vt album paronyme prædicatur tantum de niue: iam igitur concreta accidentium non poterunt esse genera, vel species.

1. argu.

2. argu.

Occurramus iam argumentis effectis. Ad primum ergo resp. concreta accidentiũ contineri in categ. apud Dialecticum reductiue, quia denominãtur ab abstractis quæ per se in categoriis continẽtur. Vnde concreta categoriæ substantiæ contrario modo sese habebunt, atq. concreta aliarum categoriarum accidentium: concreta enim categoriæ substantiæ quia possunt esse genera, vel species per se, & directe continentur in categoriis, secus vero est de abstractis eiusdem catego. substantiæ, cum n. ea neque genera, neque species, aut indiuidua possint esse, non erũt per se, & directe, sed reductiue dumtaxat in categor. comprehensa, veluti principia concretorum. At concreta accidentium, quia non possunt esse genera, vel species non continentur per se, & directe in categoriis, sed solum reductiue, eo quod denominantur ab abstractis: hæc vero s. abstracta, quia sunt apta nata esse genera, species, vel indiuidua, per se & directe collocabuntur in categoriis.

Ad 1. argumen.

Ad 2 resp. negando conseq. nam aliud est loqui de distinctione catego. & aliud de const. earundem. Categoriæ namq. distinguũtur per diuersum modum prædicandi: constituuntur tũ per seriem, & ordinẽ generum, formarum, & indiuiduorũ, nam hoc exprimitur nomine categ. Et ita cum series nõ petatur per habitudinem ad substantiam primã, sed per habitudinẽ ad sua inferiora

Ad 2.

essentialia quę tantū sunt abstracta, hæc enim sola possunt esse genera, vel species, quamuis distinguantur categoriæ per diuersum modū prædicandi in concreto de prima substantia, non tamen constituentur per eundem. Et ad confutationem propositæ solutionis respon. propositionem assumptam esse falsam in accidentibus, nam albedo Petri, & Ioannis distinguūtur per sua subiecta, quæ tñ non constituuntur per illa, sed per suaprincipia essentialia.

Ad. 3. Ad tertium negamus consequentiam, etenim quamuis concretum, & abstractum significent eandem naturam, significant tamen illam alio modo. Ex quo ortum habet vt abstracta contineantur in categoriis cum significentur, vt entia per se, & ex consequenti, vt apta nata esse genera, species, vel indiuidua: concreta vero ab eisdem arceantur, cum significentur per modum entis per accidens, quod nequit vllo modo esse genus, vel species. Idque vt aperte constat, non prouenit ob defectum (vt dicūt) rei significatæ, sed modi significandi, omnino necessarij ad id, vt accidentia locum obtineant in categoriis apud dialecticum, vtpote exprimentis illas per modum entium quæ optime affici possunt notionibus secundis, generis, speciei, subiecti, vel attributi, &c. sub qua ratione est dialectico de categoriis sermo habendus.

Ad vlt. Ad vltim. negamus consequētiam, quia hoc quod est contineri in categoriis non prouenit ex maiori, vel minori entitate, sed ex eo quia abstracta apta sunt esse genera, vel species, &c. concreta vero nequaquam.

QVAESTIO V. QVAENAM sint quæ per se, & quæ reductiue in categoriis collocentur.

COmmunis est & concors omnium dialecticorum sententia in catego. quædam per se, & alia reductiue cōprehendi, & per se illa cōprehendi quæ sunt entia rei, per se, finita, actu, synonyma, & simplicia. Quod igitur quærimus est, an alia præter hæc in catego. collocentur. Et vt facilius pgrediamur contra singulas partes, singula erunt argumēta proponenda, quibus confirmabimus, ea quæ recensuimus non contineri per se in catego. Imprimisq. non esse quidquid continentur in categoriis ens rei, confirmatur, quia categoria est series, & ordo generū, specierum, & indiuiduorum, quæ omnia sunt entia rationis, non igitur quidquid in eis continebitur erit ens rei. 1. Argu.

Secūdo. Non esse ens per se quid quid continetur, confirmatur de cōcretis accidētium (vt de albo, & musico) quę continentur in categoriis, & sunt entia per accidens, significant enim subiectum, & formā quæ in diuersis categoriis collocantur, vt album significat hominem qui est in categoria substantiæ, ac proinde non omnia quæ collocantur in categoriis erunt entia per se. 2. argu.

Præterea non esse omnia entia finita, sic ostendo, quia si esset linea infinita, aut extremitas infinita, haud dubie illa essent in catego. quātitatis comprehensa, & si esset calor infinitus cōtineretur in catego. qualitatis, quare nō quæcunq. continentur in categoriis erunt entia finita. Ad. 3. 4 argu.

Iterum non solum actu entia collocari confirmatur, quia rosa antequam existat continetur in catego. substantiæ, illi siquidem conueniūt ea attributa, quæ in illa catego. locum habent, nam est flos, corpus, & substantia, quæ profecto attributa propria sunt huius catego. nō igitur sola entia actu in categ. locū habēt.

Adhæc

1. Arg. Adhæc non omnia quæ in categ. reponuntur esse synonyma ita demonstro. Indiuidua collocantur in recta serie alicuius categ. vt Petrus, & Ioannes collocantur in recta serie catego. substantię sed indiuidua nō sunt synonyma, quia synonyma & nomen & rationem habent communia; at indiuidua nihil habent commune, quare aliqua erunt in categ. comprehensa, quæ non sunt synonyma.

6. Arg. Vltimo comprehendi in categ. aliqua quę non sunt simplicia ita possumus suadere. Diffinitio non est vox simplex, sed composita: sed illa continetur in catego. nam Aristo. 1. de anima cap. 1. præcipit ex catego. esse hauriēdas rerum diffinitiones: ergo non solum quę simplicia sunt, verum etiam & composita in eis collocabuntur.

Nonnullæ diuisiones proponūtur. At contra asserunt omnes dialecti ci pari consensu profitentes in catego. sola hæc quæ recēsuimus contineri, quorum opinionem vt explicemus præfandæ erunt nonnullę diuisiones. Prima entium quædam sunt rei, & alia rationis. Secunda ens rei quoddam est per se, & aliud per accidens. Per se illud dicitur quod exprimit formam alicuius catego. vt quantitas: per accidens vero appellatur illud, quod ex rebus diuersarum catego. conflatur, vt homo albus. Tertia. Ens rei & per se quoddam est finitum, & aliud infinitum, finitum dicitur quod est limitibus, & terminis alicuius categ. comprehensum, vt homo, & leo, infinitum vero quod nullis finibus, vel terminis circunscribitur, vt Deus opt. max. Quarta. Ens rei per se, & finitum, quoddam est actu, & aliud est potestate, actu dicitur illud quod existit à parte rei extra suas causas, producentes, vt homo qui est à parte rei; potestate vero illud dicitur quod nondum existit, potest tamen existere, vt homo qui nondum est genitus. Quinta est. Ex his entibus quædam sunt synonyma vt homo, & leo: & alia homonyma, vt canis, & taurus. Vltima. Ex his omnibus entibus quædam sunt simplicia quæ vna voce exprimuntur, vt homo, & alia composita quæ pluribus uocibus declarantur, vt homo legit, Petrus currit. Quibus diuisionibus propositis, iam sit 1. conclus.

Entia rei, per se, finita, actu, synonyma, & simplicia sunt illa quæ per se collocātur in catego. Hanc non alio argum. quam dialecticorum omnium auctoritate confirmamus. Diximus autem entia rei contineri in catego. vt excludamus entia rationis: per se vt excludamus entia per accidens: finita, vt separamus entia infinita: actu vt separemus ea quæ sunt potestate, ita vt neque sint actu, neque sint aliquando ita futura, nam quamuis actu non extiterint, si tamen habuerint ordinē intrinsecum ad illum collocabūtur per se in catego. diximus præterea synonyma, vt excludamus homonyma, ac denique simplicia, vt voces coniunctas à categoriis arceamus. 1. Conclusio.

Secunda conclusio. Multa sunt quæ tantum continentur in catego. reductiuè. Hanc ex eodem vnanimi dialecticorum consensu confirmamus: explicandum tamen super est quot modis aliqua reductiue cōtineantur, quæ ad sex ordines possunt reuocari. Nam primo continentur reductiue omnes partes in categoriis, in quibus directe & per se cōtinētur earum totum. Secūdo differentiæ sunt in categoria suarum specierum. Tertio entia potestate (vt sunt potestate) reducuntur ad categorias, in quibus sunt entia actu, cōtenta. Quarto principia & termini continentur reductiue in categoria 2. Conc.

vbi sunt res ortæ ex principiis, & terminatæ per suos fines. Quinto motus continetur in ea catego. in qua continentur suus terminus, vt dealbatio continetur in catego. qualitatis in qua albedo cõtinetur. Sexto priuationes & negationes cõtinentur in categoria in qua suę formæ, & affirmationes sunt contentę.

Ad argu. in initio proposita. Ad primum respon. genera, species, & in diuidua posse bifariam sumi, primo pro naturis denominatis: & altero modo pro notionibus denominantibus. Est igitur categoria series, seu ordo generum, formarum, & indiuiduorum pro naturis denominatis, non autem pro notionibus denominantibus categoria (inquam) rei de qua nunc loquimur, nam si de alia rationis agamus erit series, & ordo generum, formarum, & indiuiduorum pro formis denominantibus.

Ad secundum resp. concreta accidentium apud Logicum non contineri per se in categoriis, sed reductiue, propter rationem in argu. propositam, quia apud ipsum sunt entia per accidens, & non possunt denominationem generis, aut speciei subire: apud metaph. vero hæc concreta sunt entia per se, quia significant naturam abstractorũ, ac proinde apud ipsum in categoriis collocabuntur, vt satis abũde in q. supe. expositum.

Ad tertium resp. illud ens infinitum quod arcetur à categoriis esse infinitum simpliciter & absolute, nimirum illud quod est infinitum secundum entitatem, at linea & extremitas si essent infinitę secundum lõgitudinem, aut secundum latitudinem, essent naturæ quædam in entitate finitæ, ac proinde in categoriis quantitatis continerentur.

Ad quartũ resp. nomine entis in actu intelligendum esse, vel ens q̃ actu existit, vel illud quod denotat intrinsecum ordinem ad existentiã, & ita rosa quæ non est, potest tamen esse, est ens in actu, de quo hic agimus, quia quamuis non existat actu habet tamen intrinsecum ordinem ad existentiam, & ita collocabitur in categoriis.

Ad quintum respõ. duplicem esse synonymiam vnam positiuam & aliam negatiuam: positiua dicitur, cuius nomẽ & ratio est multis communis: negatiua vero est naturam non esse homonymã. Itaq. nihil aliud erit esse aliquid synon. negatiue, quã non esse homonymum, de quo genere synonymiæ hic loquimur, quando asserimus naturam quæ continetur in categoriis debere esse synonymam, qua ratione indiuidua sunt synonyma, quia nõ sunt homonyma.

Ad vlti. dicimus verum esse definitionem hauriendam esse ex categoriis, negamus tamen inde sequi illam in categoriis esse cõprehensam, quia categ sunt voces simplices, definitio vero est dictio composita.

Ad 1. argumen.

Ad 2.

Ad 3.

Ad 4.

Ad 5.

Ad vlti.

QVAEST. VI. AN ENS *quod est diuisum in decem catego. ſignificet essentiam necne?*

APud Arist. D. Th. & apud alios probatos auctores nomẽ entis significare aliquando essentiam, & aliquando existentiã, diximus 1. li. Transf. c. 3. vt significat essentiam cõmuni nomine dicitur ens nominaliter, vt autem exprimit existentiam ens participialiter appellatur. Quærimus igitur quodnam ens sit illud, quod est diuisum in decem categorias ab Arist. num ens quod significat essentiam, vel potius illud quod denotat existentiam. nam tãtum esse illud quod denotat existentiam hæc arg. cõfirmare videtur. Primũ. Ens actu est illud quod est diuisum in decem categorias, vt omnes Dialectici

1. Argu.

lectici profitentur: sed ens vt significat existentiam est ens actu, non autem vt significat essentiam, nam essentia est in potentia ad existentiã, ergo ens quod significat existentiã erit illud, quod est diuisum in decem categorias.

2. Arg. Secundum Ens diuisum est in decem categorias iuxta suum nobilius significatum, etenim quæ infra limites categoriæ continentur nobiliori modo sunt entia, quam illa quæ sola potestate interhuiusmodi limites includuntur: sed existentia est nobilior multo quam essentia, est enim ipsemet actus rerum, à quo in rebus est tota nobilitas hauriendа: ergo ens quod significat existentiam erit illud quod est diuisum in decem categorias.

3. Arg. Iam. Illud ens cui conueniunt proprietates entis quod est transcẽdens, est illud idem quod est diuisum in decem categorias: sed enti quod significat existentiam conueniũt proprietates entis quod est trãscendens: ergo hoc ens erit diuisum in categorias. Confirmatur assumptio, nam propositio est perspicua. Bonum est proprietas entis: sed illud tantum conuenit enti vt significat existentiam, est enim ratio illius esse appetibile, quod tãtum rei existenti potest conuenire: ergo proprietates entis quod est transcendẽs tantum conuenient enti vt significat existentiam.

1. Opin. Caietanus vir eruditissimus, explicans hanc quæstionem in commenta in cap 4. de ente, & essen. in ea est opinio. vt existimet ens quod est diuisum in decem catego. esse illud quod significat existentiam, & non illud quod significat essentiã, cuius opinionem multi Philosophi posteriores illius auctoritate ducti sequuti fuerunt.

2. Opin. Contrariam tamen sententiam, nimirum ens quod significat essentiam esse solum illud quod est diuisum in decem categorias amplectuntur viri celebres Capreolus in 1. dist. 8. quæst. 1. ad 10. aduer. 1. conclusio. Deça in eadem dist. & quæst. notabili 2. Ferrarien. 1. cont. Gent. cap. 25. M. Soto cap. 4. antecatego. q. 1. & Argen. in 2. dist. 3. quæst. 1 arti. 2. Quæ certe opinio (bona venia Caietani dictum sit) est multo verior, & probabilior, atque ita vt illam explicemus sit prima assertio.

Illud ens quod est per se diuisum in decem catego. vt ens vt significat essentiam, vel vt aliorum verbis vtar est ens nominaliter sumptum. Quę conclusio apertissimis testimoniis D. Tho. probatur, potest confirmari, is enim angelicus Doctor Quodlibeto 2. quæst. 2. art. 1. & lib. 10. metaphy. lectio 3. apertissime docet ens quod est diuisum in decem genera suprema esse illud quod significat cuiusque rei essentiam, atque naturam.

1. Conc.

1. Arg.

Præterea. Illud ens est diuisum in catego. quod est diuisum in actum, & potestatem, vel quod idem est illud quod aliquando est, & aliquando potest esse, cum non sit, ita enim Arist. 3. physico. c. 1. & 12. lib. Meta. c. 4. docere videtur, inquiens in vna quaq. catego. dari illud quod est actu, & illud quod est potestate, & D. Tho. in loco citato ex lib. 10. Meta. docet in postremis verbis illius lectio. ens quod est diuisum in categ. esse illud quod significat essentiã actu, vel potestate. Verba illius sunt. *Ens quod dividitur in decem prædi. significat ipsas naturas decem generum secundũ quod sunt actu, vel potentia.* Sed ens quod significat existentiam non est diuisum in actum, & potestatẽ, quia existentia est actus simplex, imo est ipsamet rerum omniũ actualitas, at q̃ est actualitas, non potest in actum, & potestatem dividi: nam

2. Arg.

si diuideretur, fieret vt actus sub potestate contineretur: essentia vero aliquando est actu, & aliquando potestate, ergo ens quod est diuisum in decem catego. erit illud quod significat essentiam. Adhæc. In categoriis illa tantum attributa contiguentur, quæ per se, & necessario de suis subiectis prædicantur: sed existentia, neque necessario, neque per se de rebus dicitur, non necessario, quia omnes creaturæ possunt non existere: neque per se, cum non sit de essentia ipsarum rerum, aut vero proprietas: ergo non illud ens quod significat existentiã, sed illud quod denotat essentiam erit in catego. di

3. argu.

4. argu. stributum. Rursus. Hæc est series categoriæ substantiæ, Thomas est homo, homo est animal, animal est corpus animatum, corpus animatum est corpus, corpus est substantia, & hæc altera categoriæ quantitatis, linea recta est linea, linea est quantitas coniuncta, quantitas coniuncta est quãtitas, sed in his scribus, & coordinationibus, verbum est non significat existentiam, nam siue res extiterint, siue non extiterint, hæ propositiones sunt constãtes, & semper veræ: ergo non erit ens quod significat existentiam diuisum in decem catego.

2. Con. Secunda conclusio. Existentia nõ continetur in certa aliqua categoria sed sese per omnes diffundit, vnde reductiue cõtinebitur in categoriis hac lege, vt existentia substantiæ cõtineatur reductiue in hac categoria, & existentia quantitatis in catego. quantitatis, & sic de aliis omnibus. Hanc conclusionem profitentur D. Tho. quodlib. 2. q. 2. arti. 1. & in 1. distin. 8. q. 4. art. 2. Capreolus in hac dist. q. 1. art. 3. ad 3. Caieta. cap. 5. de ente, & essentia, q. 10. Scotus in 2. distinct. 3. q. 3. Durand. in 1. dist. 8. q. 2. Soncinas 4. Metaphy. quæst. 12. & Iauellus in tractatu Transcendentiũ, cap. 4.

Non contineri in certa aliqua categoria confirmatur ex eo, quia per omnes illas sese diffundit, & diuagatur: nam & in categoria substantiæ, & in catego. quantitatis, & in categ. qualitatis datur propria, & peculiaris existentia. Et sane si essentia sese diffundit per omnes categorias, & existentia quoque quæ est illius terminus sese diffundet. At contineri reductiue in categoria essentiæ quam terminat, ita vt existẽtia substantiæ contineatur in catego. substantiæ, & quantitatis in catego. quãtitatis, his duobus argu. possumus demonstrare. Primum. Actus & potentia continentur in eadem categoria vt auctor est Arist. 9. metaphy. 7. & 2. de anima cap. 1. sed existentia est actus essentiæ, essentia vero est potentia quædam recipiens existentiam, & quæ actuatur per eam, cum igitur essentia substantiæ sit in catego. substantiæ, & essentia accidentium in categoriis eorundem accidentium, existentia substantiæ continebitur in categoria substantiæ, & existentia accidentium in categoriis accidentium. Secundo. A qualibet forma fluit existentia quemadmodum, & essentia eiusdem catego. ergo à forma substantiali fluet existentia substantialis, & à forma accidentaria existentia accidẽtaria, quare cum forma substantialis sit in categoria substantiæ, & formæ accidẽtariæ sint etiam in categoriis accidẽtium, existentia substantialis continebitur in categoria substantiæ, & existentia accidentaria in categoriis accidentium.

Primo.

Secũdo.

Iam ad argumenta quæ in principio proposuimus. Ad primũ respon. Imprimis duplicem esse actum vnum secundum essentiam, & alterum secundum existentiam: ens igitur

Ad 1. argum.

tur quod est diuisum in decem categorias est illud quod significat actum essentiæ non autẽ illud quod significat actum existentiæ. Vel respon. possumus ens vel quod significat actum, vel quod denotat habitudinem ad illum, esse illud quod est diuisum in decem catego at essentia rerum quæ continentur in catego. denotat intrinsecam habitudinem ad existentiam.

Ad 2. Ad secundum negãda est propositio, non enim illa quæ sunt nobiliora, quia nobiliora sunt, continentur per se in catego. sed quæ significant naturas integras, & absolutas: differẽtiæ siquidem nobiliores sunt generibus, quæ tamen non per se, sed reductiue in catego. collocantur. Vnde quamuis existentia sit nobilior essentia, quia tamen non significat naturam integram qualem essentia denotat, non per se, sed reductiue continebitur in categoriis.

Ad 3. Ad tertium respon. bonum non tantum conuerti cum existentia, sed etiam cum essentia vt denotat intrinsecum ordinem ad existentiã, est enim essentia hac ratione sumpta appetibilis. Itaque ens quod significat essentiam, non vt præscindit ab existentia, sed vt denotat intrinsecum ordiné ad eam, erit illud quod est diuisum in categorias.

QVAESTIO. VLT. AN *sit collocanda undecima categoria entium rationis necne?*

VLtimo proponenda erit quæstio an præter has decem catego entium rei, sit alia vndecima entium rationis constituenda necne? vel num. hæc entia rationis reductiue in categoriis entium rei continentur. Et quidem non esse vndecimam categoriam constituendam confirmatur primo ex Arist. qui accuratissime de categoriis earumque numero differens, tantum proponit decem, hanc vndecimam entium rationis prætermittens.

1. Arg.

Secundo D. Tho. 1. p. quæst. 28. art. 1. constituit in categoria relationis contineri relationes rationis vt relationem generis ad subiectũ & subiecti ad attributũ, & alias huius generis: igitur ex sent. D. Th. nõ constituent ipsa entia rationis Logica peculiarem categoriam, sed collocabuntur in categoria relatorum.

2. Argu.

Adhæc. Relata diffiniuntur quorũ tota vis & natura sita est in hoc vt ad aliud referantur, sed tota vis entium rationis est vt ad aliud referantur: ergo entia rationis logica cõtinebuntur in catego. relationis rei, neque peculiarem constituent categoriam.

3. Argu.

Demũ Genus supremum non est inclusum in vltimis differentiis, nã ens ex eo non est genus, quia non est inclusum in vltimis differentiis, vt docet Arist 3 metaphy. cap. 3. sed ens rationis in communi est inclusum in vltimis differentiis entium rationis particularium, nam cum illæ non sint entia rei, erunt entia rationis: ergo ens rationis non poterit esse genus supremum, & ita non erit collocanda peculiaris categoria entium rationis, in qualibet siquidem catego. debet assignari aliquod genus supremum.

4. Arg.

Propter hæc, & alia huius generis argumenta, opinantur quidam entia rationis non constituere nouam categoriam, sed reuocari ad categorias entium rei, hac lege, vt relationes rationis contineantur in categoriis relatorum: priuationes vero, & negationes ad categorias formarum vel affirmationum, quas priuant, vel negant, vt non hominem ad ea

1. Opin.

rego.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tego. substantiæ in qua homo continetur, & cæcum in catego. qualitatis in qua visus collocatur. Hãc sententiam sequuntur Suesanus 7. metaph. q. 6. cap. 4. Villalp. in Porphy. cap. de specie in quæst. de sufficientia prædicamen. Toletus in quæst. 1. Postcatego. Burlæus, Buridanus, & alij Nominales in commenta huius loci, & in Postcatego.

2. opin. Esse tamen aliam vndecimam categoriam entium rationis collocandam profitentur alij Philosophi, Niger in 2. p. clypei, q. 6. M. Soto q. vlt. Antegoria. in calce illius, Paulus Venetus, & multi ex recentioribus in commenta. huius loci, quæ sane opinio est multo verior, & probabilior. Verum cum ens rationis sit à nobis diuisum cum communi schola Thomistarum, ac cæterorum Philosophorum (dum ageremus de rebus vniuersis sect. 3. q. 1.) in negationem, priuationem, & relationem, negatio est vt nõ homo, priuatio vt cęcitas, & relatio vt subiectum vel attributum, qua ratione hæc omnia collocentur in categoriis his assertionibus explicabimus. Sit prima.

Obser.

1. Conc. Entia rationis non collocantur per se in catego. entium rei. Confirmatur primo ex Arist. qui 1. metap. c. 7. à categoriis excludit ens verũ vel in anima, vel quod idem est ens rationis, vt D. Thom. Alexander, &

1. argu.

2. Arg. Auerroës interpretantur. Iam. Quę continentur per se in aliqua categoria conueniunt quoque in aliqua natura synonyma, nam conueniũt in genere supremo, quod est natura synonyma, at enti rei, & rationis nihil quod fuerit synonymum potest esse commune, vt in superiori sectione docuimus.

2. Conc. Secunda conclusio. Priuationes, & negationes non contiuentur per se in aliqua categoria, sed reuocantur ad carego. suarum formarum, vel affirmationum. Communis est & concors hæc sententia apud Philosophos vt videre licet in Simpli. & Ammo. in vlt. cap Antecatego. & Dexippo. lib. 1. q. cap. 34. & in D. August. 5. lib. de Trinit. cap. 7. Vnde nõ arbor continebitur in categoria substantiæ, vbi arbor collocatur, surditas in catego. qualitatis sub secunda specie in qua auditus continetur: & tenebræ in eadem catego. sub patibili qualitate in qualux est contẽta.

3. Conc. Tertia conclusio. Relationes rationis quas communi nomine notiones secundas appellamus, constituunt propriam, & peculiarem categoriam distinctam ab aliis catego. entium rei. Hanc cum M. Soto, Nigro & aliis profitemur, confirmamusque aduersus auctores quos proposuimus in prima opinione his argumentis. Primum est quidquid

1. argu. continetur in categoriis rei est ens per se, aut ens in alio tanquam in subiecto, quia hi sunt duo quidam generales modi contrahẽtes ens ad accidẽtia, & substantiã, & ad oĩa alia quæ sunt entia rei, sed ens rõis neq. est ens per se, quia nõ est substãtia, neq. est in alio tanquã in subiecto, quia inhęrere in alio tanquã in subiecto est proprietas fluens ab accidente rei, quę nulla ratione potest enti rationis conuenire, vt ostendimus quando egimus de rebus vniuersis aduersus Scotum, ergo ens rationis non collocabitur in categoriis entium rei. Secundum. Si ens rationis collocaretur in categoriis entium rei vel ex eo esset quia ipsum

2. Arg. denominat ens rei, vel quia ens rei est fundamentum ipsius: sed hę causæ nullæ sunt: ergo ens rationis non collocabitur in catego rei. Primam rationem esse falsam sic imprimis demonstramus. Omnes categoriæ accidentium denominant substantiam quædam intrinseca, & alia extrinsece, cum tamen contineantur in categoria substãtię: ergo &c. Deinde neque secũdam alicuius esse momenti in hunc modum ostẽdimus, quia albedo est fundamentum similitudinis, quæ tamen est in ea categoria contenta, in qua similitudo non continetur, nimirum in categoria qualitatis, à qua similitudo arcetur cum in catego. relationis sit cõprehẽsa: quare licet ens rei sit fundamentum entis rationis, non tamen ob hanc causam ens rationis continebitur in categoria entis rei. Tertium argu. Omnis attributio per se,

3. Arg. directa, simplex, & synonyma est in aliqua categoria, sed hæc attributio, notio generis est vniuersum, est per se in primo modo, quia attributum est de essentia subiecti, directa quia id quod est attributum habet locũ attributi: præterea est simplex, quia tam subiectum, quam attributum significant rem vnam, & eandem, vnoque solo dumtaxat nomine ac voce exprimuntur: denique est synonyma, quia ens rationis est genus ad notionẽ generis, speciei &c. ergo debet in aliqua categoria esse contenta: sed non est in aliqua categoria entis rei vt est apertum: ergo constituenda erit vndecima cate-

4. arg. goria entium rationis. Præterea catego. est series, & ordo generum, formarum, & indiuiduorum, ergo vbicunque reperientur hæc omnia erit peculiaris catego. constituenda, sed in entibus rationis reperiuntur genera suprema, & intermedia, species infimę, & indiuidua: ergo constituẽda erit peculiaris categ. entiũ rationis. Assumptio probanda est proposita serie catego. entium rationis, nã ens rationis, Logicũ prima diuisione diuiditur in vniuersum, & singulare: deinde singulare in singulare certum, vt Petrus, ex hypothesi vt Sophronici filius, & ex demonstratione vt hic homo: atque vagum vt quidam leo. Prætermissis singularibus ens rationis, quod est vniuersum diuiditur in vniuersum quod prędicatur in quid, & quod effertur in quale, præterea quod prædicatur in quid, in genus, & speciem: adhæc quod prædicator in quale in illud quod prædicatur secundum essentiam, & hoc est differentia, & in illud quod prædicatur secundum accidens quod si fuerit cum subiecto reciprocum est proprium: si vero latius pateat, est commune accidens, ex quibus omnibus colligi potest hæc series catego. Genus supremũ est ens rationis Logicum, genera intermedia sunt vniuersum quod cõtinetur immediate infra ens rationis, vniuersumque præterea quod tantum dicitur in quid, quod est genera, & speciei commune, & vniuersum quod dicitur in quale: Rursus vniuersum quod dicitur in quale secundum essentiam, & quod dicitur in quale secũdum accidens. Species infimæ sunt notio generis, & notiones aliarum quinque vocum vniuersarum. Indiuidua tandem sunt hęc notio generis, illa notio speciei, & sic de aliis. Iam igitur constituenda erit series, & ordo categoriæ in entibus rationis.

Ad argu. in initio proposita. Ad primum negamus imprimis consequent. argumentum enim petitum ab auctoritate negatiue nullius est momenti: quantumuis enim hæc catego. non sit constituta ab Aristo. non tamen repugnat illius decretis. Vel respon. possumus Arist. in catego. solum instituisse agere de entibus rei, ideoque prætermisisse hanc catego. entium rationis.

Ad 1. argumen.

Ad secundum respon. ex Caieta. eo loco, & Ferrarien. 4. cont. Gent. cap. 14. relationem duobus modis sumi posse, primo in communi, vt

Ad 2.

tantum

tantũ denotat habitudinem vnius extremi ad alterum: secundo in particulari, vt huiusmodi habitudo cõtrahitur per ens rei ad categoriam relationum rei. De relatione primo modo non agimus in catego. rei, sed tantum de relatione secũdo modo, solum namque agimus de relatione rei interueniente inter extrema rei. Vnde D. Tho. intelligendus est de relatione primo modo, etenim illa potest etiam entibus rationis conuenire: at nos cum docemus entia rationis non contineri in categoria relationis, neque in alia catego. entis rei loquimur de relatione secundo modo sumpta, vt est contracta per esse rei ad categoriam etiam rei, hac enim ratione sumpta nõ potest continere entia rationis.

Ad. 3. Ad tertium dicimus in diffinitione relatorum de quibus agit Arist. in catego. relationis rei, subintelligi debere particulã istam, entia rei, ita vt sensus sit relata sũt entia rei, quorum tota vis est referri ad aliud, quę diffinitio, si hoc modo intelligatur, non amplectitur entia rationis cum hæc non sint entia rei.

Ad quartum, & vlti. respon. ens rationis posse sumi duobus modis, primo vt est diuisum cõtra ens rei, qua ratione continet omnia entia rationis tam perfecta, quam imperfecta: secundo vero modo sumitur paulo contractius, vt tantum exprimit naturam integram, quę non est pars neque differentia alterius. Primo modo ens rationis prædicatur de vltimis differentiis, cęterum hac ratione non est genus, sed analogũ, & transcendens: secũdo vero modo non prædicatur de vltimis differentiis quæ sunt entia imperfecta, & partes alterius, qua ratione constituimus ens rationis logicum esse genus supremum huius categoriæ. Hactenus igitur de prima parte huius operis, nimirum de Antecategoriis. Ad 4.

DE

DE SVBSTANtia, caput primum.

(*)

ARGVMENTVM CAPITIS.

DIstributum est caput in tres partes præcipuas, nam in prima Arist. agit de diuisione substantiæ in primam, & secundam, Proponitque vtriusque diffinitiones: in secunda confert substantias primas cum secundis, & secundas inter se: in tertia tandem parte capitis proponit sex proprietates, quibus quasi manu ducimur ad naturam, & essentiam substantiæ intelligendam.

A SVbstantia autem, quæ potissimũ ac primùm & maximè appellatur, ea est quæ nec de subiecto vllo dicitur, nec in subiecto vllo inest, vt quidam homo, quidam equus. B. Secundo autem loco substantiæ uocantur species & ea, in quibus quæ primæ nominantur substantiæ, insunt. Itemq; earum formarum genera, uelut quispiam homo specie quidem hominis continetur. Speciei autem genus est animal. Hæ igitur secundæ substantiæ nominantur, ut homo, ut animal. C. Perspicuum est autem ex ijs quæ dicta sunt, eorum quæ de subiecto dicuntur, necesse esse, & nomen de subiecto dici, & definitionem, ut homo de subiecto quopiã homine dicitur, & nomen certe dicitur. Siquidem quempiam hominem, tu hominem recte appellabis. Atque etiam hominis de aliquo homine dicetur definitio. Homo enim quispiam, & homo est, & animal rationis particeps, mortale. Ergo & nomen de subiecto dicetur, & definitio. At uero quæ in subiecto insunt, permulta sunt, quorum neque nomen, neque definitio de re subiecta dicitur: nonnullorum nomẽ nihil prohibeat dici de subiecto interdum, etiamsi non possit definitio. Veluti candidum cùm sit in subiecto corpore, de subiecto dicitur. Candidum enim corpus dicitur. At candidi definitio nunquam de corpore dicetur. D. Cætera uerò omnia, uel de primis substantijs subiectis dicũtur, uel in ijs subiectis insunt. Quod perspici poterit ex singulis rebus si eas pro exemplis subijcere uelimus, uelut animal de homine dicitur, de quopiam igitur etiam homine dicetur. Si enim de singulorum hominum nemine, ne de homine quidem dicetur omnino. Rursum inest color in corpore, ergo & in aliquo corpore. Nã si in nullo est singulorum corporum,

ne

Universidad de Deusto
Biblioteca

neque in uniuerso corpore. Itaque reliqua omnia, aut de subiectis primis substantijs dicuntur, aut in eis subiectis insunt. E. Quocirca sublatis primis substantijs, nihil loci relinquitur cæteris omnibus. F. Porrò secundarũ substantiarum species magis substantia est, quam genus, quoniam ad primam substantiam propriùs accedit. Si enim quid sit prima essentia quispiam explicet, planius id & familiarius faciat usu specie, quàm si genus adhibuisset: ueluti apertius cuiusdam hominis naturam explicabit, qui hominem esse dicet, quàm qui animal. Est enim magis propria species cuiuspiam hominis, at genus communius. Item si quis quid sit aliqua arborum singularum aperiat, apertius ac familiarius docebit, si arborem dicat esse quàm si plantam. G. Nam primæ substantiæ quia cæteris omnibus subiectæ sunt, reliquaq; omnia de eis dicuntur, aut in eis insunt, idcircò maximè substantiæ nominãtur. Quã autem habent rationem ad cætera omnia primæ essentiæ, eandem habet species ad genus. Subijcitur enim generi species, quippe cùm de speciebus genera dicantur, nec species generibus ex hac parte respondeant. Ita fit etiam ex his, ut species magis quam genus nomen obtineat substantiæ. H. At uero species nulla, earum quæ genera non sunt, magis quàm altera substantia est. Nemo enim cuiquam singulorum hominum, nomen hominis adhibebit aptius, quàm ei qui, cuipiam eguorum singulorum. I. Similiterq; in primis essentijs ac naturis, nihil magis aliud alio substãtia est. Neque enim quisquam singulorum hominum, magis essentia est, quàm bos aliquis. K. Iure autem post primas essentias species solæ ac genera essentiæ secundæ nominãtur. Hæc enim sola eorum quæ dicuntur, primam substantiam designant atque declarant. Nam siquis uelit explicare quid sit quidam homo, isq; uel speciem afferat uel genus, apte ille quidem fecerit, licet planius si hominẽ esse dicat, quàm si animal fecisse uidebitur. At si quid cæterorum omniũ afferat, alienum id futurum est, & ad eam rem minimè accommodatum: ut si candidum eum dicat, uel currere: aut aliud quidpiam generis eiusdem. Quapropter ex reliquis rebus omnibus, hæ solæ uerito substantiæ uocãtur. Præterea quoniam cæteris omnibus primæ substantiæ subiectæ sunt, quoniamq; reliqua de eis omnia dicuntur, uel insunt in ipsis, ob eã causam principales dicuntur substãtiæ. Quod autem sunt ad cætera omnia primæ substantiæ, hoc & genera sunt & species primarum substantiarum ad reliqua omnia. De his enim cætera omnia dicuntur. Vt enim quempiam hominem Grammaticum dices, sic & hominem Grammaticum & animal: similiterq; in cæteris omnibus. L. Hoc autem omni substantiæ commune est, non inesse in subiecto. Nam nec in subiecto prima substantia est, nec de subiecto ullo dicitur: de secundis uero ita perspicuum fiet, eas in nullo esse subiecto. Homo enim etsi de subiecto quopiam homine dicitur, tamen in nullo subiecto inest. Neque enim in quodam homine homo inest. Itemque animal de subiecto quopiam homine dicitur, cùm interim animal in aliquo homine non insit. Iam uero eorum quæ in subiecto insunt, nihil impedit, quo minus nomen illud quidem interdum de subiecto dicatur, sed tamen nunquam definitio potest. At secũdarum substantiarum & definitio potest de subiecto & nomen dicit. Hominis enim alicui homini conuenire dicas definitionem, itemq; animalis. Non igitur in iis quæ in subiecto insunt, esse substantia ullo modo potest. M. Sed non est substantiæ hoc proprium: quin etiam sunt in iis quæ non sunt in subiecto, differentiæ. Nam gradiens & bipes de subiecto aliquo homine dicuntur, nec sunt in subiecto. Neque enim in homine bipes inest, neq; gradiens. Atque etiam de eo differentiæ diffinitio, cuius est differentia dicitur, ut si gradiens de homine dicatur, dicetur etiam de homine gradientis definitio. Est enim homo id ipsum quod gradiens. N. Nec uero conturbare nos debent substãtiarum partes, quas si insint in totis, ut in subiectis, ne quando eas substantias negare cogamur. Ea enim in subiecto esse negauimus, quæ ut partes inessent. O Hoc autem essentijs ipsis & differentijs tributum est, ut de quibus ipsa dicuntur synonymos ea ab his dicãtur. Omnes enim quæ ex illis ducuntur attributiones sunt in eo, quod aut indiuiduis, aut formis attribuuntur. Nam ex prima quidem substantia quoniã de subiecto nullo dicitur, nulla attributio ducitur. At secundarum substãtiarum formæ de indiuiduis dicũtur, genus autem & speciebus, & de indiuiduis. Itemq; differentiæ de formis indiuiduisq; dicuntur. Verum primæ substantiæ, & formarum etiam sibi uendicant, & generum definitionem, & speciẽ illam generis. Quæ enim de attributo dicuntur, de subiecto quoque dicuntur omnia. Eodemque modo differentiarum definitio formis & indiuiduis conuenit. Atqui synonyma definita sunt ea, quorum nomen commune est, eademq; definitio. Omnia igitur quibus substantiæ & differentiæ attribuuntur, synonymos ab his dicuntur. P. Omnis etiam substantia hoc aliquid significare uidetur. Ac in primis quidem essentijs non est id dubium: sed uerum est eas hoc quiddam significare, præsertim cùm indiuiduum quodque unum numero est, declaretur illis & exprimatur: secundæ autem uidentur illæ quidem similiter figura appellationis, hoc quippiam significare, cum dicitur homo uel animal, non tamen id uerum est, sed tale aliquid potius significant. Neque enim res una subiecta est, ut in prima substantia: sed de multis homo animalq; dicuntur. Neque tamen simpliciter tale aliquid significant, sicut album. Nomen enim albi nisi qualitatem nihil significat. At genus & species in substantia qualitatem designant & adsignificant. Significant enim talem aliquam substantiam. Verum in genere latius patet quàm in specie illa qua-

litatis adsignificatio: quoniam qui nomen animalis profert, plura quã is qui hominis complectitur. Q. Iam hoc etiam substantijs conuenit, ut ipsis nihil sit aduersum. Nam primæ quidem substantiæ, ut cuipiam homini uel cuipiam animali, quid aduersum esse possit? Nihil enim est quod eis sit ex aduerso oppositum. Ne homini quidem aut animali. R. Sed hoc proprium non est substantiæ, quemetiam in plerisq; alijs rebus hoc cernitur accidere in quantitate. Neque enim si cubito aut tricubito quicquam contrarium est, sed nec numero denario, nec cuiquã rei eiusdem generis: nisi fortè dicat aliquis multa paucis esse contraria aut magna paruis: sed illud profecto uerum est, definitis quantitatibus nihil aduersari. S. Illud præterea substantijs conuenit, ut nec elationem nec summissionem suscipere possint. Quod non ita dictũ uelim, quasi substantia alia, alia nec magis nec minus substantiæ nomen obtineat, hoc enim concessum est: sed hoc uolo, nullam substantiam, id ipsum quod suapte natura est: illud magis & minus sibi uendicare. Veluti si homo substantia est, nec ipse seipso magis aut minus est, nec alter altero magis est aut minus homo. Neque enim alter altero nomen hominis magis obtinet, sicuti res alba alia, alia albior est, & minus alba: & honestũ aliud alio honestius est, & minus honestum. Quinetiam idem seipso magis & minus tale dicitur, ut corpus cùm album sit, hoc tempore quam antea, albius uocatur: & quod calidum est, magis minusq; calidum. At uero essentia nec magis nec minus essentia nominatur. Neque enim homo nunc magis quam antea nomen hominis obtinet, nec quicquam eorum quæ substantiæ appellantur. Quare non patitur substantia illud magis, aut minus sibi tribui. T. Sed hoc substantiæ est proprium maximè, unà eademq; cum sit numero, uim habere accipiendi contraria: ita ut cæterorum omnium quæ non sint substantiæ, nihil quisquam afferre possit, quod unum idemq; manens contraria possit accipere. Vt color qui sit unus & idem numero, niger non dicitur, & albus: neque eadem & una numero actio uitiosa & recta. Eadem est cæterorum omnium ratio, quæ substantiæ non uocantur. At substantia cùm una sit eademque numero, uim habet accipiendi contraria: ueluti unus idemque homo aliàs albus, aliàs est niger: interdum calidus, interdum frigidus, nõnunquam bonus, nõ nunquam improbus: quod in cæteris omnibus non reperitur. V. Nisi forte aliquis occurrat, confirmans contraria accipere & orationem posse & opinionem: uidetur enim eadem uera & falsa oratio, ut si uera est oratio sedere aliquem, cùm is surrexerit, hæc ipsa oratio falsa erit. Eadem que est ratio opinionis. Si quis enim uerè sedere aliquem sentiat, cùm surrexit falsò existimabit, si eandem de eo habeat opinionem. Quòd si cui hæc probabuntur, attamen in modo magna est dissimilitudo. Nam substantiæ ipsæ mutatæ, uim habent accipiendi contraria: cum enim ex calido quippiam fit frigidum, ipsum mutatur: uariatur enim quod nigrũ fit ex albo, & bonum ex malo. Itemque cætera omnia mutatione accedente contraria accipiunt. At uero oratio & opinio manent ipsæ quidem immobiles, omni ex parte, sed re ea quæ subiecta est immutata, in eis contraria nascũtur. Manet enim hæc eadem oratio, sedere aliquem: re uerò mutata, interdum uera, interdum falsa est. Eadem est ratio opinionis. Quapropter hoc quidem pacto proprium erit substantiæ, immutatione sui ipsius accipere posse contraria. Quanquam autem quis orationem & opinionem contraria accipere comprobet, profectò non ita est. Neque enim ex eo quòd aliquid acceperint, contraria suscipere dicuntur oratio & opinio: sed quia in re alia, aliqua affectio nata est. Nam quia res est, aut non est, idcirco uera est aut falsa oratio, non quia possit ipsa accipere in se contraria. Omnino enim à nullo nec oratio mutatur nec opinio. Nunquam igitur contraria accipiendi facultatem habere queant: quandoquidem in eis nulla existit contraria affectio. At substãtia quòd contraria in ipsa existunt, eaque in se recipit ipsa, ex eo uim habere dicitur accipiẽdi contraria. Nam & morbum suscipit & ualetudinem, & candorem & nigrorem, atque adeò quod huius generis singula in se accipit, ex eo uim habere accipiendi contraria dicitur. Quare substantiæ hoc proprium est, uim habere accipiendi contraria, immutatione sui, cùm unum & idẽ numero maneat. Ac de substantia quidem hactenus.

COMMENTARIA:

IActa sunt fundamẽta futuræ tractationis de categorijs proximũ est, vt de ipsis sigillatim & seorsum differamus, in quarum explicatione à substantia tanquam à basi, & fundamento cæterarum erit disputatio suscipienda auspicatur illam Arist. à diffinitione primæ substãtiæ, quam in hunc modũ diffinit.

A *Substantia autem quæ potissimum, &c.* Substantia quæ proprie, primo, & maxime substantia dicitur ea est, quæ neque dicitur de subiecto, neque est in subiecto, vt quidam homo. In qua oratione non continentur duæ diffinitiones, prima in illis tribus aduerbijs, proprie, primo, & maxime, altera vero in reliqua parte orationis, quæ neque dicitur de subiecto, neq. est in subiecto. Nam tria illa aduerbia, nullam continent diffinitionem, sed sunt quidam præclari tituli, quibus maxime exprimitur dignitas & excellentia substantiæ primæ, nam illa substantia quæ est proprie, primo, & maxime substantia, principem locum inter reliquas debet sibi vendicare. Vnde tota diffinitio continebitur in posterioribus verbis, quæ neque dicitur de subiecto, neque est in subiecto. Quæ diffinitio est accurata cũ separet rem diffinitam à quolibet alio, nam per primam particulam, *Quæ neque de subiecto.* &c. Separatur à substantijs secũdis, quæ dicũtur de subiecto: per alteram vero particulã. *Neque est in subiecto.* &c. Separatur ab accidẽtibus, quæ omnia siue fuerint vniuersa, siue singularia sunt in subiecto, at vero substantia prima quia substantia est, non est in subiecto, 1. Pars capitis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed per se cohæret.

B *Secundo autem laco, &c.* Proponit deinde diffinitionem substantiarũ secundarum, quas in numero plurali ita diffinit. *Substantiæ secundæ vocantur genera & species in quibus primæ cõtinentur.* Vt homo, & animal sunt substantiæ secundæ, quia Petrus, & Ioannes, qui sunt substantiæ primę continentur in homine, & animali. Consulto tamen adhibita fuit particula. *In quibus primæ continentur.* Nam quamuis in categoriis accidentium dentur genera, & species, illa tamen non sunt secundæ substantiæ, quia sub ipsis non continentur substantię primæ, nam Petrus non continetur secũdum essentiam sub colore, qui est genus: neq. sub candore qui est species categoriæ qualitatis. Præterea primas contineri in secundis intelligendum est potestate, nam actu secundæ sunt in primis, quia sunt essentialia attributa illarum.

C *Perspicuum est autem, &c* Nititur Aristo. in hac parte capitis suadere primam substantiam iure optimo vocatam esse proprie, primo, & maxime substantiam, ad quod suadendum repetit quæ dixerat in Antecatego. quędam scilicet esse in subiecto, & alia dici de subiecto, id est, quædam esse accidentia, & alia esse substãtias vniuersas. Quorum discrimen proponit hoc loco Arist. dicens ea, quæ dicuntur de subiecto nomine, & ratione dici de illo, quẽadmodum homo dicitur de Petro, & ita nomen, & ratio hominis de illo dicuntur: at illa quæ sunt in subiecto, quædam neque nomine, neq. ratione dicuntur de illo, alia nomine dumtaxat, non tamẽ ratione efferuntur de eodem: quæ verba, quia obscura fũt in Scholiis 2. interpretatio. propositis ànobis explicabũtur.

D *Cætera omnia.* Ex iis connectit Arist. rationem qua confirmat substãtiam primam iure esse dictam proprie, primo, & maxime substantiã, quæ in hunc modum se habet. Illa vocari debet maxime substantia, cuius ope cætera indigent: sed omnia indigent ope primæ substantiæ vt sint, ergo prima substantia vocari merito debet maxime substantia. Assumptionem ita confirmat Arist. Quæcunque sunt aut dicuntur de prima substantia, aut sunt in illa tã quam in subiecto, sed tã illa quæ sunt in subiecto, quam illa quæ dicuntur de subiecto, egent ope primę substantiæ: ergo substantia prima est cuius ope omnia indigẽt. Assumptionem ostendit, quibusdam in medium propositis exemplis, animal (inquit) dicitur de homine, ergo de quodam homine, nam si non diceretur de quodam homine, ergo neque de homine, iam ergo quæ dicuntur de subiecto egent ope primę substantiæ vt sint. Præterea color est in corpore, ergo & in quodam corpore, nam si non esset in quodã corpore neq. esset in corpore, tã igitur quæsũt in subie. vt color indigebunt ope primæ substantiæ vt sint.

E *Quo circa sublatis, &c.* Ex iisdem etiam colligit Aristoteles (commendans maxime dignitatem substantiarum primarum) sublatis primis substantiis nihil loci remanere cæteris omnibus, cuius contrarium docebat Plato, putans sublatis primis substãtiis remanere idæas quasdam, quas ipse vocabat, maxime, & vniuersas substantias, etenim si secundæ substantiæ, & accidentia existũnt in primis substantiis, recte colligetur, si primæ substantiæ pereãt, peribunt quoque cætera omnia, quod intelligendum est secundum essentiam & existentiam, non autẽ secundum veritatem propositionum, vt docuimus agentes de rebus vniuersis.

F *Porro*

2. pars c. p.

F *Porro secundarũ substantiarum, &c.* In hac secunda parte capitis confert Arist. substantias secundas inter se, explicans species esse magis substantias, quam genera, quod confirmat his duobus argumẽtis. Primum est.

1. Arg. Illud vocari debet magis substantia, quod magis accedit ad primam substantiam, quæ est maxime substantia, etenim illud quod accedit ad rem, quæ est maxime talis, dicitur magis tale, sed species magis accedunt ad primas substantias, quã genera: ergo species erunt magis substantię, quam genera. Confirmat autem Aristo. assumptionem in hunc modum. Illud quod magis exprimit naturam primarum substantiarum, magis accedit ad primas substantias, sed species magis exprimũt naturam substãtiarum primarum, quam exprimant genera, vt homo magis exprimit naturam Petri, quã animal: ergo species magis accedunt ad substantias primas, quã genera.

2. Arg. G *Iam primæ substantiæ, &c.* Secundum argu. Substantiæ primæ ex eo dicuntur maxime substantiæ, quia pluribus substant, subiiciuntur enim omnibus accidentibus, & substãtiis secundis, sed speciespluribus substant quam genera, nam subiiciuntur omnibus quibus subiiciuntur genera, & quibusdam aliis, quibus genera subiici non possunt, nã species subiiciuntur eisdẽ generib', quibus genera subiici nequeunt, nihil n. potest sibimet subiici: ergo species propter eandem rationem vocã dę erunt magis substã. quã genera.

H *At vero species nulla &c* Confert deinde Arist. species atomas inter se, inquitque non esse vnam speciem atomam, magis substantiam quam sit altera, quod ita cõfirmat. Illa quæ accedunt ex æquo ad aliquod maxime tale, sunt ex æquo talia, sed species atomæ huius categoriæ ex æquo acccedunt ad substantias primas: ergo ex æquo vocabuntur substantiæ. Assumptionem hoc modo confirmat Arist. Illa quæ ex æquo exprimunt naturam primarũ substantiarum, ex æquo accedunt ad primas substantias: sed species atomæ ex æquo exprimunt naturam primarum substantiarum, nam ita exprimit naturã huius equi, equus, quemadmodum naturam huius hominis (v.g.) Petri, exprimit homo: ergo species atomæ ex æquo accedent ad primam substantiam.

I *Similiterque in primis essentiis, &c.* Comparat præterea Aristo. primas substantias inter se, constituitq. nõ esse illas ita affectas inter se, vt vna sit magis substantia quam alia, sed docet omes ex æquo vocari substantias, quod ita confirmat. Substãtia prima ex eo vocatur mabis substantia, quia subest omnibus accidẽtibus, & substantiis secundis: sed vna substantia prima non subest magis accidentibus, & substantis secũdis quam altera: ergo vna substantia prima, non erit magis substantia, quam altera.

k *Iure autem.* Probat autem Arist. duobus argumentis post substãtias primas, genera & species categoriæ substantiæ vocari debere secundas substantias. Primum est. Illæ sunt dicendæ substantiæ secundæ quæ exprimunt naturam primarum substantiarum: sed sola genera & species categoriæ substantiæ exprimunt naturam primarum substantiarum: ergo genera, & species categoriæ substantiæ vocanda erunt substantiæ secundæ. Secundum. Substantiæ primæ ex eo vocantur maxime substantiæ, quia pluribus subiiciũtur: sed genera & species categoriæ substantiæ post ipsas primas substantias, subiiciuntur pluribus, etenim subiiciuntur accidentibus, & generibus

1. Argu.

2. Argu.

ribus superiorib⁹, ergo post primas substantias genera,& species categoriæ substantiæ dicentur secūdæ substantiæ.

3. pars capitis.

L *Hoc autem omni substantiæ commune &c.* In hac tertia & postrema parte capitis proponit Aristo. sex proprietates substantiæ, quarum prima est Proprium est substantiæ nō esse in subiecto, quam proprietatem conuenire omni substantię, tam primæ, quam secundæ, quā etiam differentiis, confirmat Arist. ad hunc modum. Imprimis conuenire primis substantiis ita probat. Substantiæ primæ diffinitæ sunt, quæ neq. dicuntur de subiecto, neque sunt in subiecto, ergo non esse in subiecto proprietas erit substantiæ primæ. Deinde conuenire secundis substantiis probat duobus argumentis, primum inductione adhibita. Nam homo nō est in Petro tanquam in subiecto, neq. animal est in hoc animali tanquam in subiecto, & sic de aliis: at homo, & animal sunt substātiæ secundæ: ergo substantiæ secundæ non erunt in primis tanquam in subiecto. Deinde. Quæ prædicantur nomine & diffinitione de aliquo non sunt in eo tanquam in subiecto: sed substantiæ secundæ prædicātur nomine & diffinitione de primis, nam & hoc nomen homo, & hominis ipsius diffinitio, dicuntur de Petro, ergo secundæ substantiæ nō erunt in primis tanquam in subiecto.

1. Proprie. substantiæ.

M *Sed non est substantiæ hoc proprium &c.* Præterea hanc proprietatem cō uenire differentiis quæ nō sunt substantiæ integræ. Confirmat etiam Arist. duobus argumentis. Primum est desumptum ex inductione quadam, Gradiens, & bipes, & sic de aliis sunt differentiæ: at gradiens, & bipes non sunt in animali, aut in homine tanquam in subiecto, cum sint partes ipsorum, ergo differentiæ nō erunt in aliquo tanquam in subiecto. Secundum argum. Quæ prædicantur de aliquo nomine & diffinitione non sunt in eo tanquam in subiecto: sed differentiæ prædicantur de aliquo nomine, & diffinitione, de specie scilicet, quam constituunt, ergo differentiæ non erunt in aliquo tanquam in subiecto.

N *Nec vero conturbare nos, &c.* Obijcit tamen Arist. aduersus hanc proprietatem ad hunc modum. Partes substantiæ sunt in toto tanquam in subiecto, sed partes substantiæ sunt substantiæ, siue per partes substantiæ intelligamus materiam & formam, siue partes integras, ergo hæc proprietas nō conueniet omni substantiæ. Respondet Arist. falsam esse propositionem, nam esse in subiecto, vt dictum est in Antecatego. est esse in aliquo non tanquam pars, & ita partes non erunt in toto tanquā in subiecto, nam aliud est esse aliquid in toto, & aliud esse in subiecto.

Obiect.

Solutio.

O *Hoc autem essentiis, &c.* Secunda proprietas est, proprium est substantiis prædicari synonyme, quæ proprietas non cōuenit substantiis primis, quæ de nullo prædicantur, sed secundis substantiis, & differentiis, quibus huiusmodi proprietatem cō uenire sic confirmat Arist. Illa quæ prædicantur de aliquo nomine, & ratione prædicantur synonymè: sed substantiæ secundæ, & differentiæ prædicantur de primis nomine & ratione, ergo prædicantur de eisdem synonyme. Assumptio ita confirmatur ab Aristo Substantiæ secundæ sunt genera & species, sed genera, & species eodem nomine & eadem ratione prædicantur de primis substantiis, homo enim & animal eodē nomine, & eadem diffinitione prædicantur de Petro: tum etiam & differentiæ, vt particeps rationis, ergo tam substantiæ secundæ, quam differentiæ prædicabuntur eodem nomine, & eadē ratione de primis substantiis. Addit tamen Arist. à prima substantia nullam fieri posse attributionem, id est, primam substantiam de nullo prædicari posse, nam cum sub se non contineat inferiora de quibus prædicetur, non poterit de aliquo prædicari, quod intelligēdum est de prædicatione propria, non tamen de vera: etenim si loquamur de vera, prima substantia potest prædicari de seipsa, vt docuim⁹ in cap. de specie.

2. Proprietas.

Sect. 2. q. 2.

P *Omnis etiam substantia &c* Tertia proprietas est. Proprium est substātiæ hoc aliquid significare, id est, significare rem certam & determinatam, quæ proprietas maxime competit substantiis primis, illæ enim sunt quæ rem certam videntur denotare: at substantiæ secundæ non significant hoc aliquid, id est, rem certam & determinatam propter latetentem illarum significationē, nisi inquit Arist. propter figuram appellationis, id est, quia habent idem nomen cum substantiis primis, sed potius videntur significare quale quid, quæ verba variis modis interpretari solent, vt in scholiis explicabimus.

3. Proprietas.

Q *Iam hoc etiam substantiis conuenit, &c.* Quarta proprietas est. Substantiis nihil est contrarium, quod ita confirmat Arist. Omnis substantia aut est prima, aut secunda: sed neq. primæ neque secūdæ potest aliquid contrariari, non primæ, quia Socrati, aut huic equo quid quæso potest esse contrarium: non secundæ, quia homini & animali nihil contrariatur, ergo substantiæ nihil est contrarium. Nos vero possumus addere duas alias rationes ad confirmandum hanc proprietatem substantiis conuenire. Prima est qua probamus substantiam non contrariari substantiæ. Quæ sunt contraria sunt in subiecto, vt constat ex ipsorum diffinitione, sed substantia non est in subiecto, ergo substantia non poterit esse contraria substantiæ. Secunda est qua confirmamus neque accidētia contrariari substantiæ. Subiecto omnibus communi nihil contrariatur, quia contraria se mutuo interimunt, subiectum autem tuetur ea quæ recipit, sed substantia est commune subiectum omnium accidentium, ergo substantiæ non erunt cō traria accidentia.

4. Proprietas.

R *Sed hoc proprium non est, &c* Docet Arist. hanc proprietatem conuenire aliis à substantia scilicet quantitati cui nihil est contrariū vt bicubito, vel tricubito nihil contrariatur. Proponit tamen hanc dubitationem. Magnum contrariatur paruo, & multum pauco, sed hæc omnia sunt quanta: iam ergo quantitati aliquid erit contrarium. Cui dubitationi satisfacit Aristo. quantitatem duplicem esse, vnam finitam & alteram infinitam, vnde quantitati finitæ, vt duorum, vel trium cubitorum, nihil contrariabitur, quamuis infinitæ, vt paruo, vel magno possit aliquid esse contrarium.

Obiect.

Solu.

S *Illud præterea substantiis. &c* Quinta proprietas est. Substantia nō potest recipere magis & minus, intensionem, neque remissionem, nam Petrus, v.g. non est magis substantia hodie, quam fuerit heri, neq. homo est magis substantia in vno tempore, quam fuerit in altero. Obiicit tamen Arist. aduersus hanc proprietatem ad hunc modum. Dictum est à nobis substantiam primam esse magis substantiam, quam secundā, & inter secundas species quam genera, iam ergo non erit proprium substantiæ nō recipere magis & minus.

5. Proprietas.

Obiect.

Solutio. Respondet Arist. substantiam posse sumi duobus modis primo in cõmuni, vt denotat illud, quod per se existit. secundo vero modo in particulari, vt pro homine, & pro equo. Primo modo substantia recipit magis & minus, nam primæ magis per se existunt, quam secundæ, & inter secundas species quam genera. Si vero sumatur altero modo non recipit magis & minus, non enim vnus homo est magis homo, vel substantia quam alius in qua secunda significatione loquimur de substantia quando dicimus substantiam non recipere magis & minus.

6. Proprietas. T *Sed hoc substantiæ est proprium maxime, &c.* Sexta & vltima proprietas. Maxime proprium est substantiæ, vt cum sit vna, & eadem numero, possit recipere contraria, vt Petrus vnus numero existens, nunc est calidus, deinde frigidus, nunc albus, deinde ater. Quæ proprietas nulla ratione potest conuenire accidentibus, vt albedini, vel actioni, neque enim vna & eadē albedo potest esse candida, vel atra, neque vna & eadem actio potest esse recta, & vitiosa, ob quam causam vocatur hæc maxime proprietas substantię, quia non potest aliis ab illa conuenire, vt accidentibus.

Obiect. V *Nisi forte aliquis occurrat, &c.* Cæterum aduersus hanc proprietatem disputat Aristoteles, oratio & opinio possunt contraria recipere, nam oratio potest esse vera, vel falsa: etenim hæc oratio Petrus sedet, illo sedente est vera: illo autem stante, est falsa: sed oratio & opinio non sunt substantiæ, ergo non erit maxime proprium substantiæ posse recipere

Solut. 1. contraria. Respondet Aristoteles huic obiectioni primo, hanc proprietatem intelligendam esse de facultate recipiendi contraria cum sui mutatione, ita vt sensus sit. Maxime proprium est substantiæ posse recipere contraria cum sui mutatione: At oratio quamuis recipiat contraria, vt veritatem, vel falsitatem, non tamen illa recipit cum sui mutatione, nam eadem oratio immota permanens, nunc est vera, deinde vero est falsa. Respondet secundò Aristoteles recipere contraria nihil aliud esse quam affici contrariis qualitatibus, vt morbo, aut valetudine, calore, aut frigore: at vero oratio non potest affici contrariis qualitatibus, sed res dumtaxat significatæ per illam: Neque enim dicimus hanc orationem Petrus est calidus, affici calore, vel frigore, sed Petrum significatum per illam. Ob quam causam si Petrus afficiatur calore erit vera: si vero non afficiatur erit falsa, nam ex eo quod res est, vel non est dicitur oratio vera, vel falsa. Vnde negandum erit orationem proprie posse recipere contraria.

2. Solut

Scholia in Caput de Substantia.

1. Obserua. A 1. Optima methodo progressum fuisse Aristot. in explicandis iis Categoriis ducendo initiũ à substantia ex Porphyrio, Ammonio, Boetio, & aliis possumus confirmare ex eo, quia substantia est prior accidentibus, vt colligere possumus primo cum Boetio. Quia substantia est commune subiectum omnium accidentium, nã accidentia in ea tanquam in basi & fundamẽto fulciuntur, quare cum fundamentum sit prius ijs quæ illi innituntur: merito prius de substantia, (velut de priori) fuerat disputandũ. Secundo cũ Ammonio, quia à substantia ad accidentia non est mutuus

tuus status consequentię, non enim bene colligitur, vt si substantia est debeant esse accidentia, nam Deus est substantia, in quo nulla sunt accidentia: at ab accidẽtibus ad illam est optima consequentia, nam recte sequitur sunt accidentia, ergo est substantia, vt recte etiam sequitur, est domus, ergo est etiam fundamẽtum, quare cum illa sint priora natura à quibus ad alia non valet status consequentiæ, substantia prior erit accidentibus. Tertio cum Porphyrio quia substantia per se existit, neque aliunde haurit existentiam, sed in se & à se illam habet: accidentia vero totam existentiam à substantia, & in substantia retinent, nam accidentis esse (id est existere) est inesse substantiæ, quare cum illa quæ per se existunt sint priora ijs quæ habent existentiam ab alio & in alio propterea substantia prior erit accidentibus omnibus.

Obser. 2 A 2. Substantia nomen ambiguum est, variasque habet significationes, quæ ex variis locis Aristotelis peti possunt, quæ erunt hoc loco proponendæ, vt quænam sit substantia, de qua est hoc loco suscepta disputatio intelligamus. Aristoteles igitur 7. lib. Metaphysico. capit. 3. quatuor proponit illius significationes. Prima est qua significat vniuersum, cuius nomine Alexander intelligit ideas Platonis, at D. Thomas species atomas. Secunda est in qua significat genera, sub quibus intelligendę sunt etiam differentiæ, quemadmodum 1. lib. Topicorum, sub problemate generis, complectitur etiam Aristoteles problema differentiæ. Tertia est in qua significat essentiam, & naturam declaratam per essentialem rei diffinitionem. Quarta est in qua significat subiectum, id est, substantiam singularem, quæ diuisa est ab eodem Aristotele, tum hoc loco, tum etiam 2. lib. de anima, cap. 1. in materiam, formam, & totum compositum. Præter has significationes alias etiam tres proponunt interpretes, vt Louanienses cum aliis multis. Prima est in qua significat essentiam, & naturam, in qua significatione dicimus accidentia esse substantias, quia habent illa veram & legitimam essentiam. Secunda est in qua significat quidquid, non est accidens, quæ significatio est nimis late patens, ambit enim non solum entia finita, verum etiam & infinita, non solum substantias integras, verum etiam partes, & differentias. Tertia est paulò angustior, in qua declarat substantiam integram, & completam contentam in recta serie categoriæ, quę neque est pars, neque alterius differentia. Cum igitur tot sint substantiæ significationes de hac vltima est ab Aristotele instituta disputatio, agit enim tantum de substantiis primis & secundis quæ sunt substantiæ integræ, & absolutæ, ex quibus conflatur recta series categoriæ, vt Porphyrius, Ammonius, Simplicius, Boetius, Beatus Albertus Magnus, ac Louanienses opinãtur.

3. Obser uatio. A 3 Chrysostomus Iauellus grauissimus Philosophus arbitratur in his verbis duas tradi diffinitiones substantiæ, vnam in tribus illis aduerbiis *Quæ primo, proprie, & maxime dicitur substantia*. Et alteram in verbis sequentibus *Quæ neque dicitur de subiecto, neq; est in subiecto*. Fallitur tamen quia aduerbia illa nullã formam diffinitionis præseferre videtur, sed sunt præclari quidam tituli, & œconomia quædam quibus dignitas primæ substantiæ maxime exprimitur, & declaratur. Vnde tota

diffinitio continebitur in illis verbis. *Quæ neque dicitur de subiecto, neque est in subiecto.* Quæ profecto optima est, & accurata cum separet rem diffinitam à quolibet alio, nam per primam particulam. *Quæ non dicitur de subiecto.* Separatur à secundis substãtiis quæ dicuntur de subiecto, per secundam vero. *Quæ neque est in subiecto.* Separatur ab accididentibus,

D. Aug. que omnia sunt in illo. Reddenda tamen erit ratio illorum aduerbiorum, vbi adnotandum erit D. Augustin. cap. 9. suarum catego. non legere tria hæc aduerbia, sed duo tantũ scilicet proprie, & principaliter, præ termitens maxime, nam ita inquit. *Est igitur vsia proprie & principaliter dicta quæ neque est in subiecto, &c.* Cæterum cum omnibus aliis hæc tria aduerbialegit Perionius, quem sequimur interpretem, quare tria illa erunt explicanda. Primum igitur est.

1. Aduerbium explica. *Proprie*. Quam particulam ita interpretatur. Beatus Alber. Mag. tracta. 2. categ. c. 2. Proprie, id est, non metaphorice vt separetur substantia prima à substantia in illa significatione, qua significat essentiam, quæ significatio impropria est, & metaphorica huius nominis. Boetius putat ex eo sic esse vocatam primam substantiam, quia primo, & proprie à nobis cognoscitur, nam substantiæ secundę beneficio primarum intelliguntur. Verius tamen cum D. Tho. opuscu. 48. cap. de substantia dicimus hanc particulam tributam esse primæ substantiæ: primo, quia illa proprie existit, nam secundæ à primis, & in primis existunt. Et secundo quia proprie aliis subiicitur, nã subiicitur secundis & accidentibus, quibus omnibus non subiiciuntur secundæ.

2. Aduer. explicat Secũdum aduerbium est. *Primo.* Quod exprimit inter substantias, has singulares, & indiuiduas, merito dictas esse primas. Quod aduerbium difficile est apud interpretes Arist. vt postea in quæstione quadam de prima substantia, num sit, recte ita nuncupata explicabimus: interim interpretatio Porphy. erit proponenda, qui putat has substantias primas dici substatias primas, quia hoc nomen fuit illis primo impositum: cũ enim impositio nominum rerũ cognitionem sequatur, sintque substantiæ primæ prius cognite, quam secũdæ, ob hanc causam dictæ fuerunt ab Aristo. primę substantiæ. Tertium aduerbium est. *Maxime.* Quod quia ab eodem Arist. est post modum interpretatum, non erit à nobis noua aliqua interpretatione explicandum, sed dicetur maxime substantia vt inquit Arist. quia maxime substat, nam substat substantiis secundis, & accidentibus, quibus omnibus secundæ substare nullo modo possunt.

Sect. 2. q. 1.

3. Aduer. explica.

B. His verbis proponit Arist. diffinitionem secundarum substantiarum. *Genera & species in quibus primæ continentur.* Quæ diffinitio optima est cum separet diffinitum à quolibet alio, nam per primam partem, *Genera & species* Separantur secundę substantiæ à prima, quia prima est natura singularis, secũdæ vero sunt naturæ quædam vniuersæ, quales sunt genera, & species. Per secundã vero separatur ab accidentibus in quibus primæ non continentur, quia non sunt accidẽtia de essentia primarum: at in substantiis secundis continentur primæ, quia illæ nullam aliam naturam, quam eam quam à secundis habent tributam possunt habere. Legendi sunt Simplicius, Ammonius, Porphy. & Dexippus ac Caieta. qui cum aliis mirantur ob quam causam Arist. non proposuerit communem aliquam, & generalem diffinitionem substantiæ,

4. Obserua.

Dubita.

tiæ, primis, & secundis substantiis conuenientem, sed illa prętermissa, tantum tradiderit diffinitiones vtriusque substantiæ. Cui respondent (& cum eis Boetius in commenta. & D. August. in suis catego. cap. 9.) non esse aliquam diffinitionem essentialem traditam, quia non potest ita substantia diffiniri. Nam in omni diffinitione essentiali à genere est exordiendum, quod sit superius re diffinita: substantia vero supra se nullum habet genus. Si vero de alia diffinitione accidentaria, & descriptiua loquamur, fuit illa prætermissa ante diffinitiones vtriusq. substantiæ, vt propositis prius his duabus diffinitionibus, intelligeremus quid vtrique substantiæ esset commune, vt illud deinde oratione aliqua possemus describere, quæ natura substantiæ in communi declaret. Quare cum illud sit commune vtrique substantiæ, non esse in aliquo tanquam in subiecto, hæc poterit proponi communis diffinitio. *Substantia est quæ non est in aliquo tanquam in subiecto.* Quæ nũ sit accurata, & nũ ipsa alia melior assignari possit generi supremo huius categ. in q. sectio. 2. postea explicabimus.

Solutio.

Tom. 1.

5. obseruatio. C. Explicans Aristo. dignitatem primæ substantiæ repetit diuisionem illam propositam in Antecatego. Eorum quæ sunt, inquitque ex his quæ sunt in subiecto, quædam esse quæ neque nomine, neque ratione dicuntur de illo, & alia esse quæ nomine, non tamen ratione prædicantur. Quæ verba obscura sunt, & possunt duobus modis interpretari, primo cum Ammonio. Per ea quæ neque nomine, neque ratione dicuntur de subiecto, quædam nomina quæ non sunt alicuius formæ paronyma intelligentes, vt est hoc nomen virtuosum quod nequaquam paronymum virtutis dici potest, atque ita illud neque nomine dicitur de prima substantia, vt de Thoma v. g. nõ enim dicimus Thomam esse virtuosum, sed vel probum, vel virtutis studiosum: neque ratione, quia ratio nomine virtuosi significata (quę est esse maximarum virium) non dicitur de Thoma virtutis amatore. Per alia vero, quæ nomine non tamen ratione dicuntur de subiecto, intelligenda esse nomina quędam homonyma, quæ sunt multis communia propter varias & diuersas rationes significatas, vt est hoc nomen musica, quod est commune arti, & mulieri musicæ, quod nomine de vtroque dicitur, ratione tamen eadem non dicitur, alia siquidem ratio est artis, & alia mulieris. Latini tamen Beat. Albert. Mag. Caieta. Louanienses, M. Sotus longe aliter hæc verba intelligunt, putant enim per ea quæ neque nomine, neque ratione de subiecto dicuntur, intelligẽda esse accidentia abstracta, vt iustitiam, sapiẽtiam, & albedinẽ, quæ certe neque nomine, neque ratione de subiecto dicuntur, non nomine, quia non dicimus Socratem esse albedinem, neque ratione quia non dicimus Socratem esse qualitatem disgregantem visum. Per alia autem quæ nomine, non tamen ratione dicuntur de subiecto, opinantur intelligenda esse accidentia concreta, vt iustum, sapiens, & album, etenim album vere dicitur de Socrate, at ratio illius, quæ est esse qualitatem disgregantem visum, de eo nullo modo prædicatur.

1. Interpreta.

2. Interpreta.

E. Faber Stapulensis in commen. huius loci existimat hoc consectarium in pluribus Græcis codicibus non legi: verum cum in multis aliis codicibus legatur, merito illud ab interpretibus Boetio, Perionio, Daniele Barbaro expressum fuit; & declaratum, quod certe seriem contex

6. Obserua.

tus

tus inspicienti, ita cum superioribus cohærere videtur, vt necessaria quadam collectione ex illis sequi videatur. Etenim si ex eo animal prædicatur de homine, quia prædicatur de quodam homine, & ex eo color prædicatur de corpore, quia prædicatur de quodam corpore, recte sane infertur: ergo sublatis primis substantiis vt quodam homine, & quodã corpore, nullus locus supererit substantiis secundis vt animali, & corpori.

7. Observa. L. Præter duas rationes ab Aristo. effectas quibus confirmat substantiam secundam non esse in aliquo tanquam in subiecto Simplicius, & Boetius duas alias tradunt. Prima est Simplicij quia pereuntibus substantiis secundis, non remanent primæ vt pereunte rosa non remanet hęc rosa, at pereunte natura quę est in subiecto adhuc remanet illius subiectum ut pereunte calore à manu adhuc remanet manus, quare substantiæ secundæ non erunt in primis tanquam in subiecto Secunda est Boetij, quia si substantiæ secundæ essent in subiecto, & primæ quoque essent in eodem, nam quando aliquod superius secũdum essentiam est in subiecto, in illo quoque est inferius, vt quia color qui est superior ad candorem est in subiecto, candor quoque est in illo: at substantiæ primę non sunt in subiecto, quare neque secundæ erunt in illo.

8. Observat. P. Dotet Arist. proprium esse substãtiæ hoc aliquid significare, quod vere & proprie tantum potest primis conuenire, & non secundis, nisi propter figuram appellationis, id est (vt in commentariis sumus interpretati) quia habent idem nomen cum primis, nam substantię inquit secundæ potius videntur significare quale quid, quã hoc aliquid, quæ verba difficilia sunt, & ita à Porph interpretantur primo, quia substantię secundę componuntur ex generibus & differentiis, & quia genera prędicantur in quid, differentię vero in quale, ob hanc rationem substantię secundę dicuntur in quale quid. Verum hęc interpretatio non potest accommodari generi supremo huius catego. quod est substantia secunda quia genus supremum non componitur ex genere, & differentia. Nonnulli Latini dicunt in substantia secunda dari naturam, & notionem secundam, ex quibus natura significat quid, notio vero qualitatem: quare cum natura subiecta notioni sit quę prędicatur de primis, propterea substantię secundę dicentur in quale quid. Hęc etiam interpretatio falsa est, quia eadem ratione possemus dicere substantias primas significare quale quid, quia illę significant naturam indiuiduã, & notionem secundam, à qua primę, & indiuiduę nominantur. Quare verius multo cum D. Tho. & Alexãdro Aphrodisęo in cap. 13. 7. metaphy. (in quo hęc eadem verba leguntur) respon. substantias secundas esse attributa quędam vniuersa, & esse de essentia primarum: vt sunt attributa vniuersa denotant qualitatem, omne enim attributum qualitas est subiecti: vt autem sunt de essentia significant earum quidditatem, atque ita significabũt quale quid: quale quia sunt attributa, quid vero, quia sunt de essentia primarum. Multa alia quę circa contextum se poterant offerre explicanda, in quęstionibus clarius multo proponemus.

1. Interpreta. Porph.

Reiicit.

2. Interpreta.

Reiicit.

3. Interpreta.

Dis-

Disputatio de substantia in tres sectiones distributa.

ARGVMENTVM.

IN tres partes disputationem hanc de substantia distribuemus, in quarum prima de prioritate illius in habitudine ad accidentia disputabimus, in secũda de diffinitionibus diuisionibus & proprietatibus ab Aristo. in cap. traditis differemus, & tandem in vltima quæ in hac categoria contineantur explicabimus. Vt igitur primam partem explicemus, quærimus primo.

Sectio I. Quæstio I. An substantia sit prior accidentibus diffinitione.

SEptimo libr. metaphysi. cap. 1. de substantia disputans Arist. inquit illã esse priorem diffinitione, tempore, cognitione, & natura accidẽtibus, quam auctoritatem in hoc loco nitemur explicare, per singulas partes hanc rationem prioritatis declarantes, imprimisque auspicabimur ab hac, sitne substantia prior diffinitione accidentibus necne? & quia idem est esse ipsam illis priorẽ diffinitione, quod diffiniri accidentia per illam, confirmandum est quibusdam argu. accidentia non esse diffinienda per substantiam, vt ita constet non esse ipsam priorem diffinitione accidentibus. Primum est.

1. argu. Illa quę constant genere, & differentia, diffiniri debẽt per genus, & differentiam: sed accidentia habent genus, & differentiam: ergo per ea diffinientur, & non per substantiam.

2. Arg. Secundum. Albedo est accidens, sed in illius diffinitione non continetur substãtia, nam ita diffinitur, color disgregans visum, in qua diffinitione apertum est non contineri substantiam: ergo accidentia non diffinientur per substantiam.

Tertium. Mathematici diffiniunt quantitatem sine subiecto, nã diffiniunt lineam esse lõgitudinem sine latitudine, in qua diffinitione non continetur subiectum: ergo accidentia non diffinientur per subiectum scilicet per substantiam. 3. argu.

Quartum. Nõ minus dependent creaturę à Deo quam accidẽs à substantia: sed creaturę non diffiniuntur per Deum, quemadmodum homo diffinitur per animal particeps rationis, in qua diffinitione non cõtinetur Deus: ergo quamuis accidentia dependeant à substantia, non propterea erũt per illã diffinienda. 4. Arg.

Adhęc. Substan. naturalis diffinitur per naturam, & natura diffinitur per motum & quietẽ ab Arist. 2. phy sico. 5. Argu.

Universidad de Deusto Biblioteca

sico. cap. 1. ergo & ens naturale debebit diffiniri per accidentia. Hoc constituto ita argumentor. Illa sunt priora diffinitione per quę cętera diffiniuntur: sed substantia naturalis diffinitur per accidentia, ergo accidētia sunt priora diffinitione substantia, & ita substātia nō erit prior diffinitione accidentibus.

At contrarium asserit Arist. 7. metaphy. cap. 1. & omnes metaphysici cum eo, cuius opinionem vt explicemus, quędam priori loco animadvertenda existimamus. Sit primum. Accidentia posse sumi tribus modis primo vt entia sunt, secundo vt accidentia sunt in communi, & tertio vt sunt accidentia in particulari, quemadmodum candor v. g. vel ator, possunt sumi aut vt entia sunt, aut vt accidentia in communi, aut vt talia accidentia, &c. Animaduertimus deinde ex accidentibus quędam esse propria, & alia communia propria sunt quę vni tantum subiecto conueniunt à cui⁹ natura fluūt, vt risibilitas est proprietas hominis: communia vero dicuntur illa, quę multis subiectis possunt cōuenire, à quorum natura nullo modo fluūt vt albedo vel nigredo. Quę diuisio nō est ita intelligēda, vt eaquę sunt accidentia communia nullo modo possint fieri propria, etenim quamuis illa accidentia quę sunt accidentia communia, relata ad vnum aliquod subiectum, in habitudine ad illud ipsum, non possint dici propria: si tamen cum altero subiecto conferantur dici poterunt propria, vt quamuis albedo sit accidens commune si conferatur cum homine, aut cum equo, nihilominus si conferatur cum corpore mixto non erit accidēs commune sed propriū, vt deinde in quæstionibus proœmialibus categoriarum acidentium ostendemus.

Obser. 1

2. Obserua.

Adhęc obseruamus quasdam esse naturas absolutas, quę non dependent ab aliquo extrinseco, vt sunt homo, & alię substātię integrę, quę continentur in categoria substantię: & alias esse naturas relatas, illas scilicet, quę ab aliquo extrinseco dependent, vel tanquam à termino, vel tanquam à subiecto, vel tanquam à materia, vel tanquam ab obiecto, vt sunt relationes omnes (parternitas nimirum, filatio & alię huiusmodi) quæ dependent à suis terminis, accidentia omnia quæ dependent à suis subiectis, & formæ substantiales quæ dependent à materia prima, & tandē facultates omnes, quæ dependent à suis obiectis. Vnde cum sint tres diffiniendæ iuxta earum naturam, & essentiam quędam diffinitiones ita erunt tradendæ, vt in illis præter genus & differentiam nihil extrinsecum continea tur, cuiusmodi sunt diffinitiones hominis, & animalis: aliæ vero ita erunt tradendæ, vt in illis necessario contineri debeat aliquod additum, & extrinsecum, vt sunt diffinitiones accidentium, formarum, relationum, & facultatum.

Obser. 4

Sit iam prima conclusio. Accidētia necessariò debent diffiniri per substantiam. Legendi sunt de hac, & sequenti conclusione metaphys. lib. 7. capit. 1. Soncinas q. 6 Suesanus, Iauellus, Aquarius, Andræas, q. 3. & Scotus q. 4. Confirmatur his argumentis. Primum est. Eo modo aliqua debent diffiniri, quo habent essentiam declaratam per diffinitionem: sed accidentia omnia habent essentiam dependentem à substantia, nam tota natura illorum est esse in subiecto, ergo, &c. Præterea, subiectum, vt dictum est à nobis in cap. de proprio est causa efficiens accidentium, & materia, ac finis eorundem: ergo accidentia necessario debent

1. Conc.

1. Argu.

2. Arg.

debent diffiniri per substantiam confirmatur hoc argumen. Formæ substantiales diffiniuntur per materiā à qua dependent, vt anima diffinitur per corpus ab Arist. 2. de anima cap. 1. ad hunc modum. *Anima est actus corporis organici potentia vitam habentis*. Sed accidentia non minus dependent à substantia, quam forma à materia: ergo accidentia necessario diffinienda erūt per subiectum.

3. Arg. Tertium argu. Accidentia tribus modis sumi possunt, vel vt entia sunt, vel vt accidentia in cōi, vt tā tū denotant in subiec. vel vt accidē tia priuata: sed quouis modo ex iis tribus sumantur, necessario debent diffiniri per sua subiecta; ergo accidentia erunt per subiectum diffiniē da. Confirmatur assumptio. Imprimis si sumantur primo modo vt entia sunt, diffiniri debere per subiectum, ita suademus. In analogis attributionis membrum minus præcipuum diffiniri debet per membrū magis præcipuum: sed ens quod dicitur de substātia & de accidente est analognm attributionis auctore Arist. 4. Metaphy. cap. 2. ergo cum accidens sit membrum minus præcipuum, substantia autem magis præcipuum debet accidens (vt ens est) diffiniri per substantiam. Præterea diffiniri quoque per illā vt accidens est in communi ita confirmamus. Accidentis esse est inesse ex Arist. 7. metaphys. cap. 1. ergo tota essentia accidentis petenda erit à substantia, vnde & diffiniendum erit illude per substantiam. Tandem esse diffiniendum accidens per substantiam vt est accidens priuatum ita colligimus. Accidentia priuata vel sunt propria, vel communia: si fuerint propria apertum est diffinienda esse per substantiam, vt si mitas diffinitur per nasum ad hunc modum. Simitas est nasi curuitas. Si vero fuerint communia, vt albedo, cū etiam illa in propria & peculiari ratione includant inhærentiam ad subiectum, diffinientur quoque per subiectum. Animaduertendum est tamen in diffinitionibus accidentium aliquando contineri substantiā expresse vel explicite, & aliquā do implicite vel sub intellecte ad hunc modum. Si fuerint accidentia propria, siue sumantur in concreto, siue in abstracto continetur in eorum diffinitione subiectum expresse vt constare potest ex his diffinitionibus. Simitas est nasi curuitas, Et simum est nasus curuus, in quibus diffinitionibus nasus qui est subiectum simitatis, continetur expresse. Si vero fuerint accidentia communia, & diffiniantur in concreto, subiectum expresse continetur in illorū diffinitione, vt in hac diffinitione albi. Corpus disgregans visum (in qua diffinimus albedinē in concreto) continetur subiectum expresse: si autem diffiniatur in abstracto subiectum continetur implicite, vt in hac diffinitione in qua diffinimus albedinem in abstracto. Albedo est color disgregans visum, implicite sub colore continetur corpus, nam si diffiniamus colorem debemus illum per corpus diffinire hac ratione, color est actus corporis colorati. Constat igitur in diffinitione accidentium debere contineri subiectum aliquando quidem expresse & aliquando implicite.

Obser. in intellectum conclu.

Secunda conclusio substantia est prior diffinitio omnibus accidentibus. Hæc assertio aperte colligitur ex superiori, quam tamen ita possumus confirmare cum Arist. Illa per quæ cætera diffiniuntur sunt priora diffinitione, sed probatum est in superiori conclusione accidentia omnia per substantiam diffiniri: ergo substantia erit prior diffinitione omni-

2. Conc.

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnibus accidentibus. Hoc eodem genere argumenti vsus fuit deinde Arist. 9.lib. metaphy. ad confirmandum actum esse priorem diffinitione potestate, quia potestas diffinitur per actum.

Ad 1.argum. Oportet iam vt argumentis propositis respondeamus. Ad primum igitur dicimus veram esse propositionem de iis quæ sunt absoluta, & à nullo dependentia, vt sunt homo, vel equus, quia hæc diffinienda sunt per proprium genus, & per propriam differentiam: falsam autem de illis naturis quæ dependent ab aliquo extrinseco, huiusmodi namque diffiniendæ sunt per illud extrinsecum à quo dependent, quemadmodum pater diffinitur per filiũ, & magister per discipulum.

Ad 2. Ad secundum resp. in diffinitione albedinis implicite cõtineri substãtiam sub colore, vt explicuimus, quamuis non expresse contineatur.

Ad 3. Ad tertium respon. eodem modo quod quamuis in his diffinitionibus expresse non contineatur subiectum, continetur tamen implicite, nam longitudo quæ obtinet in hac diffinitione locum generis cum sit ens, & accidens debet includere subiectum.

Ad 4. Ad quartum respondeo, creaturas posse duobus modis sumi vel vt significantur propriis nominibus, & absolutis, vel vt significantur nomine creaturæ, quod nomen relatũ est, vt homo potest significari hoc nomine homo, vel hoc nomine creatura. Si primo modo significentur non denotant dependentiam aliquam ad Deum, & ita non diffiniũtur per illum, sed per sua propria attributa, vt homo qua exprimitur hoc nomine homo, non denotat dependentiam ad Deum, sed exprimit rem absolutam vnde nec diffinitur per habitudinem ad illum, sed per habitudinem ad sua principia essentialia, scilicet ad animal particeps rationis. Si vero altero modo vsurpentur, denotant dependentiam ad Deum, vnde & per illum debent diffiniri creaturæ, etenim quæ creaturæ sunt, denotant habitudinem ad creatorem, debentque ex consequenti per creatorem diffiniri.

Ad quintum respon. substantiam posse sumi duobus modis primo in communi, quatenus non est contracta ad substantiam naturalem: secũdo vero in particulari, vt pro substantia v. g. naturali. Si primo modo sumatur substãtia, est prior diffinitione accidentibus, qua ratione nullo modo per illa diffinitur, sed è conuerso accidentia erunt per illam diffinienda. Si vero sumatur secundo modo, substantia est posterior diffinitione accidentibus, quia substantia naturalis includit materiam sensilem, materia autem sensilis includit accidentia sensilia, vt calorem, frigus, & alia huiusmodi. Cũ autem nos docuimus cum Aristo. substantiam esse priorem diffinitione accidente, non fuimus loquuti de substantia naturali, sed de substantia in communi, & absolute. Ad 5.

QVAESTIO II. AN SVBstantia sit prior tempore accidentibus.

NOn solum docuit Arist. substãtiam esse priorem accidentibus diffinitione, verum etiam addidit, & tempore quoque esse priorem. Ad uersus quam sententiam se offerunt hæc argumenta. Primum est.

1. Arg. Aeterno nihil est prius, sed motus, & tempus ex Arist. sunt æterna, ergo nihil est prius tempore, & motu & ita substantia non erit prior tempore omni accidente: nam hæc duo accidentia sunt.

2. Arg. Secundum. Homo est substantia sed homo non est prior risibilitate, aut colore, quæ sunt accidentia, cũ simul oriantur illa cum homine, & cum eo intereant: ergo substantia non erit prior tempore accidentibus.

3. Arg. Tertium. Ea quæ sunt priora tẽpore sunt imperfectiora ex Arist. 9. Metaphy. cap. 9. sed substantia est perfectior omnibus accidentibus, ergo substantia non erit illis prior tẽpore.

Esse tñ substantiã priorem tempore accidentibus non est cur debeat à nobis certa aliqua ratione demonstrari, est enim res apertissima, & quæ sola auctoritate Aristo. poterit confirmari. Tantum itaque est controuersia de modo quo sit illa prior tempore, sunt enim in hac re explicanda diuersæ interpretum sententiæ, & opiniones, quas imprimis recensere oportebit, vt falsis confutatis, veram deinde facilius possimus intelligere. Est igitur prima opinio Auerrois 7. Metaph. cap. 1. tanduni q 5. eiusdem, & aliorum Auerroistarum asserentium substantiam posse sumi duobus modis, primo ratione sui, secundo ratione alicuius partis, scilicet materiæ primæ. Constituũt itaque substantiam esse priorem tẽpore, & antiquiorem accidentibus separabilibus ratione sui cum possit esse sine illis, nam Petrus nunc est calidus, deinde frigidus, potestque esse in aliquo temporis interuallo sine calore, vel frigore: esse autem priorem accidentibus inseparabilibus non ratione sui (cum non possit esse sine illis per aliquam temporis moram) sed ratione materiæ primæ, quia materia prima quæ est in qualibet substantia, est prior, & antiquior omni accidente etiam inseparabili. 1. opin.

Cæterum hanc opinionẽ ita possumus cõfutare. Imprimis quia materia prima nũquam denudatur ab aliqua forma, cum itaque omnem formam sequantur aliqua accidentia, materia prima nunquam denudabitur ab accidentibus, & ita substantia non erit prior tempore accidentibus ratione materiæ primæ, quia scilicet materia prima est prior tempore accidente etiam inseparabili. Præterea, illa substãtia est prior tempore accidentibus, quę est prior diffinitione, & cognitione: sed materia prima non est prior diffinitione accidentibus, cum diffiniatur per illa, nam 7. lib. metaph. cap. 3. ad hunc modum diffinitur. Materia prima est quæ neque est quid, neque quãtum, neque quale, &c. ergo substantia non erit prior tempore omnibus accidentibus etiam inseparabilibus ratione materiæ primæ. 1. Confuta. 2. confuta.

Scotus 2. lib. sentẽ. dist. 1. q. 5. & 7. metaphy. q. 2. Antonius Andreas in eodem libr. q. 2. & cum eis alii Scotistæ existimant substantiam ex eo esse vocatam priorem tempore accidentibus, quia non dependet ab illis, & quia non repugnat ei absque eisdem existere, quod apertum est si conferamus substantiam cum accidentibus separabilibus, nam illa neque ratione sui, & proprię entitatis, neque ratione causę dependet ab ipsis. Præterea, si conferatur cum accidentibus inseparabilibus, & proprietatibus est etiam apertum: quamuis enim substantia, vt causa est habeat necessariam connexionem cum proprietatibus, quia non potest nõ producere illas, at vero iuxta propriam entitatem non dependet ab illis, & ita poterit esse sine accidentibus inseparabilibus, & proprietatibus quã opinionẽ sequutus est doctissimus Ferrarien. 2. contra gent. cap. 55. 2. opin.

Verum illam esse falsam ex eo col

Universidad de Deusto
Biblioteca

ligimus, quia Scotus confundit prioritatem naturæ cum prioritate temporis. Illa enim vocantur priora natura quæ possunt esse sine aliis, & alia non possunt esse sine ipsis, vt animal est prius natura homine, quia potest esse sine illo, homo tamen est eodē animali posterior natura, quia non potest esse sine animali, vt docebat Arist. in Postcatego cap. 8. Cū ergo Scotus ex eo existimet substantiam esse priorem tempore accidentibus, quia potest esse sine illis, & accidentia non possint esse sine ipsa, confundit quod est prius natura, cum eo quod est prius tempore. Præterea. Iuxta Arist. in eodem cap. de priori, & cap. 11. lib. 5 metaphy. ea solum vocantur priora tempore, quæ sunt antiquiora aliis, quemadmodū res Troianorum sunt priores tempore rebus Medorum, quia sunt antiquiores, sed quamuis substantia non dependeat ab accidentibus, & proprietatibus, non proinde est illis antiquior, cum & accidentia omnia etiam inseparabilia, & proprietates oriantur simul, & intereant cū ea, ergo non erit substantia prior tē pore accidentibus, quia non dependet ab illis, & quia potest existere sine ipsis. His & aliis multis argumentis, Antonius Zimara in suis Theorematibus Theorema. 3. ex 7. metaphy. cap. 1. petitio confutat opinionem Scoti, qua confutata tertiam aliam interpretationem ipse confingit dicens Aristo, non sine causa cōstituisse substantiam esse priorem tē pore, & natura accidentibus, nam cum sint quædam accidentia inseparabilia, & alia separabilia: substantia est prior tempore accidentibus separabilibus, & est prior natura accidentibus inseparabilibus. Miratur autem maxime hucusque interpretes Arist. hanc tam apertam interpretationem non inspexisse.

2. confuta.

3. Interpreta.

Reuera tamen fallitur maxime Zimara quia particula illa in qua dicimus substantiam esse priorem natura accidentibus, non est Aristi, sed addita fuit deinde ab interpretibus posterioribus, quod constare poterit: primo quia neque Alexander Aphrodiseus, neque D. Thom. neque alij veteres particulam illam legūt, neque interpretandam susceperunt. Secundo quia si illa particula esset Aristo quemadmodū interpretatur in eodem loco, & exponit quare substantia constituta fuerit prior diffinitione, tempore, & cognitione, ita quoque reddidisset rationem, quare diceretur substantia prior natura: quod cum non sit præstitum ab illo, proculdubio particula proposita non erit Arist. sed erit ab aliquo Peripatetico addita textui.

1. Arg.

2. Arg.

Quarta interpretatio est quorundam Thomistarum recentiorum auctore Aquario 7. lib. metaphy. q. 2. qui arbitrantur substantiam esse priorem tempore accidentibus, nō quia sit antiquior, sed quia sit prior ortu & generatione. Cæterum quia duobus modis possunt aliqua esse priora ortu, primo quia ortus vnius tempore antecedat ortum alterius, vt pater est prior ortu filio: secundo vero quia vnum illorum oritur primo, & per se: alterum vero ex consequenti, & secundario, substantia (inquiunt hi auctores) erit prior ortu accidētibus, non primo modo, quia ortus Petri, non est prior ortu quantitatis, vel coloris eiusdē Petri: sed secundo dumtaxat modo, quia generatio primo & per se terminatur ad substantiam, & secundario ad accidentia.

4. Opi.

Hæc etiam opinio constare nullo modo potest, quia ex illa solum colligitur substantiam esse priorem natura, quia primo terminat generationem: non autem esse priorem tempore,

Reiicitur.

pore, quia quamuis vnum è duo. b° fit terminus primarius (vt aiūt) generationis, & alterum secundarius, si tamen simul tempore oriantur illa, non erit vnum altero prius tempore, vt colligere possumus ex Arist. in cap. superioribus.

His igitur opinionibus reiectis proponendæ erunt duę aliæ opiniones veræ, quarum prima est Alexādri, & altera colligitur ex D. Tho. vnde est quinta opinio Alexandri in commenta. illius loci Arist. tantum comparasse substantiam cum accidentibus separabilibus, & ita docuisse substantiam esse priorem tempore accidentibns, nam quemadmodum inquit amphora est prior tempore vino, vel aqua quæ intra se recipit, & quæ possunt ab illa separari: ita quoque substantia est prior tempore calore, vel frigore quæ in se recipit & quæ possūt ab ipsa separari.

5. Opin. Alexan.

Sexta opinio est quam ego colligo ex D. Tho. in commenta etiam illius loci, qui inquit substantiam esse priorem tempore accidentibus: quia datur in genere substantiæ aliqua substantia, in qua nulla sunt accidentia, cuiusmodi est solus Deus opt. max. cum tamen non detur in tota serie accidentium aliquod accidens, quod esse possit sine substantia. Iuxta quam interpretationem dicimus Arist. non comparasse hāc substantiam determinatam cū hoc accidente determinato, vt Petrum cū hoc colore, vel hac figura, ita n. falsum est substantiam omnem esse priorem tempore accidente: nam Petrus non est prior tēpore accidente vt sua quantitate, cū simul oriatur cum ea: sed comparasse catego. substantiæ cum catego. accidentium. Inter quas hoc interest quia multa ex iis, quæ continentur in categoria substantiæ, possunt esse sine multis ex iis quæ continentur in catego. accidētium. Nam imprimis Deus opt. max. qui est substantia, & principiū catego. substantiæ, est separatus ab omni accidente. Deinde etiam Petrus & Ioannes qui continentur in catego. substantiæ, separantur per aliquod temporis interuallum à multis accidentibus, nam Petrus in aliquo tempore est sine frigore, & in alio sine calore. Cæterum nulla ex his quæ in catego. accidentium continentur, possunt vel per minimum temporis momentū, esse absq. his quæ continentur in categoria substantiæ. Et hæc est ratio proposita ab Aristo. quare substantia sit prior tempore accidentibus, quia scilicet illa (vt ipse inquit) est separabilis, accidentia vero non sunt separabilia, id est, quia multa ex iis quæ continentur in catego. substātiæ possunt per aliquod tempus absq. multis ex his quæ continentur in catego. accidentium cohærere, cum tamē nullum accidens vel per vnum temporis punctum possit esse sine substantia, & ita erit substantia prior tē pore accidentibus. Dicimus itaque (& vere quidem) hanc propositionem, substantia est prior tempore omni accidente, esse veram, non pro singulis generū, sed pro generibus singulorum, id est non quod quælibet substantia certa, & diffinita sit prior tempore quolibet accidente diffinito, sed quia genus categoriæ substantiæ est prius genere catego. accidentium, quemadmodum dicimus omne animal extitisse in arca Noe, esse propositionem veram, nō pro singulis generum, ita vt omne animal ibi fuerit: sed pro generibus singulorum quia ex omnibus generibus fuerunt ibi aliquot animalia.

6. Opin. D. Tho.

Ex hac opinione facillimum est dissoluere argumenta proposita, nā ad primum respon. admittentes illud libentissime, quia nihil contra

Ad 1. argumen.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nos concludit: etenim hic non loquimur de particulari substantia, & de particulari accidēte, vt de substātia cœli, & motu eiusdem, hac enim ratione substantia nō est prior tempore omni accidente: sed agimus de catego. substantiæ in communi, & de catego accidētium in communi, multa enim quæ continentur in catego. substātiæ, sunt priora his quæ in categoriis accidentium sunt contenta.

Ad. 2. Ad secundum eodem modo respon hic non loqui Arist de determinata substantia, vel de determinatis accidentibus, vt sunt homo & risibilitas, sed de categoriis substantiæ, & de categoriis accidentium eo modo quo exposuimus.

Ad. 3. Ad tertium respond. propositionem esse veram de his quę continētur in eadem categoria, cuiusmodi sunt semen, embrio, & homo, nam illa quæ sunt priora tempore in iis sunt imperfectiora, vt semen est imperfectius embrione, & embrio homine: falsam autem de his quæ continentur in diuersis categoriis, quorum vnum non destinatur secundum essentiam ad alterum, vnde cum substantia & accidentia constituant diuersas categorias, quamuis substantia sit prior tempore accidētibus, non tamen erit illis imperfectior.

QVAESTIO III. AN SVBstantia sit prior cognitione accidentibus.

*

IN eodem 7. lib. metaph. cap. 1. docuit Aristot. substantiam esse priorem cognitione accidentibus, aduersus quam sententiam ita ago.

1. Arg. Primo. Illud cuius ope aliud cognoscimus est prius cognitione: sed ope accidentium deuenimus nos in cognitionem substantiæ secundum Arist. 1. de anima cap 1. ergo accidentia erūt priora cognitione ipsa substantia.

2. Arg. Deinde. Quæ sunt minus entia prius cognoscuntur, Aristo. enim 7. metaph. cap. 4. docet substantias materiales quæ sunt minus entia, cognosci prius quam substantias immateriales, quæ sunt magis entia, sed accidentia sunt minus entia quā substantia, ergo accidentia prius cognoscentur à nobis.

3. Arg. Adhæc. Illa prius cognoscuntur ab intellectu, quorum species ipsi prius imprimuntur: sed species accidentium prius imprimuntur in intellectu patibili, quam species substantiæ, ergo accidentia prius cognoscentur ab intellectu. Confirmatur assumptio. Illa prius imprimunt suā speciem in intellectu, quorum sunt phantasmata: at phantasmata tantū sunt accidentium, ergo prius imprimunt accidentia speciem, & imaginem suam in intellectu, quam substantia.

4. Arg Rursus. Imago prius repræsentat rem cuius est imago: at phantasmata quorum ope intellectus patibilis omnia cognoscit, sunt imagines quędam accidentium, vt est apertum, ergo intellectus prius cognoscet accidentia, quam cognoscat substantiam.

5. Arg. Tandem: Intellectus qui haurit cognitionem a sensibus prius cognoscit sensilia, quam intellectilia, ex eo enim petit cognitionem à sensibus, vt prius cognoscat ea quę sunt sensilia: sed sola accidentia sunt sensilia cum illa sola primo, & per se à sensibus percipiātur: substātiæ vero sunt intellectiles, quia primo & per se solo intellectu possunt apprehendi, ergo accidentia primo cognoscētur ab intellectu.

In hac

Prima opinio. In hac quæstione quidam existimant substantiam esse priorem cognitione accidentibus secundum dignitatem & excellentiam, quia est obiectum præstantius omnibus illis, esse vero posteriorem cognitione, secundum originem, & ortum, quia prius apprehendimus accidentia per intellectum, quam apprehendamus substantiam, vel indefinitā & vniuersam, vel determinatam, indiffinitam vt prius apprehendo albedinem, vel nigredinem, quæ intueor esse contraria, deinde vero apprehendo substantiam esse naturā illam, quæ est susceptiua harum cōtrariarum qualitatum: determinatam vero substantiam posterius cognosci quam accidentia hoc etiam exemplo constat quia prius cognoscimus risibilitatem vel figuram: deinde vero cognoscimus hæc accidentia simul nulli alteri posse conuenire quam homini; ex qua cognitione deuenimus in cognitionem ipsus hominis, qui est substātia certa, & diffinita. In hac sententia extiterunt Herueus quolibeto 3. q. 12. Anto. Andre. 7. metaphy. q. 4. Iandunus in eodem lib. q. 3. Alij tamen multo verius opinantur substantiā vtroque modo & tempore, & dignitate esse prius cognitam ab intellectu omnibus accidentibus quā sententiam secuti sunt Soncinas 7. Metaphy. q. 13. Iauellus. q. 3 Suesanus, & Aquarius q. 4. eiusdem lib.

2. opin.

1. Obserua. Huiusmodi igitur sententiam vt explicemus animaduertimus primo duplicem esse cognitionem, vnam sensus, & alteram intellectus. Secundo obseruamus cognitionem intellectus quandam esse simplicem quę vocatur simplicium apprehensio: & aliam coniunctam quæ ratiocinatio, vel discursus nuncupatur, vt alio loco exposuimus.

2. Obseruatio.

3. Obseruatio. Animaduertimus tertio cognitionem simplicē intellectus vnam esse confusam, & alteram distinctam, vel apertam: confusa vel obscura dicitur illa, quam consequimur de aliqua re iuxta attributa superiora, ignoratis attributis inferioribus, vt cognitio qua cognoscimus hominē esse substantiam, vel corpus ibi sistendo, dicitur confusa: distincta vero illa appellatur quam consequimur de re iuxta omnia attributa illius essentialia, vel vt dicunt quam habemus de re à prima potentia vsque ad vltimum actum, id est à primo attributo vel genere categoriç, quod est prima potentia, vsque ad vltimam differentiam atomam, & indiuiduā, quæ est vltimus actus. Sicut cognitio hominis qua cognoscimus illum esse substantiam, corpoream, animatam, sentientem, participem rationis, est illius cognitio aperta, & distincta, quia cognoscimus hominem à primo genere categoriæ, vsque ad vltimam differentiam.

4. Obserua. Animaduertimus quarto duob' modis vnam cognitionem esse priorem alia, tempore scilicet quia est antiquior, aut dignitate, quia est de obiecto nobiliori, vt in principio quæstionis docuimus.

1. Conclusio. Sit iam prima conclusio. Cognitione sensus accidentia prius quam substantia cognoscuntur. Hæc conclusio est aperta, quia visu prius cognoscimus colorem, quam hominē, & auditu sonum quam corpus sonans, estque huius conclusionis apertissima ratio. Quia obiectum per se, prius est obiecto per accidēs: sed accidentia sunt obiectum per se sensuum (vt color visus) & substantia est obiectum eorundem per accidens: ergo cognitione sensus accidētia prius cognoscentur quam substantia.

2. Conc. Secunda conclusio. Cognitione intelle-

intellectus substantia prius cognoscitur quam accidentia, prioritate perfectionis, & excellentię. Confirmatur. Illa cognitio est prior altera nobilitate, & dignitate, quæ est de obiecto nobiliori: sed cognitio substantię est de obiecto nobiliori, quã cognitio accidentis, substantia nam que nobilior est omni accidente: ergo cognitione intellectus cognitio substantiæ erit prior cognitione accidentium, secundum dignitatem & excellentiam.

3. Conc. Tertia conclusio. Cognitio substantię est etiam prior generatione, & ortu cognitione accidentium, si loquamur de simplici apprehensione, & de cognitione confusa. Confirmatur quatuor argumentis. Primũ est petitum ex auctoritate Arist. qui expressis verbis docet 7. metaphy. cap. 1. substantiam esse priorem cognitione accidentibus, quod non de alia quam de hac cognitione intelligi potest. Secundum est. Illa quę primo mouent aliquam facultatem primo cognoscuntur: sed substantia naturalis primo mouet intellectum corpori vnitum, iudicio Arist. & omnium Philosophorum: ergo substantia erit quæ primo apprehendetur ab intellectu. Propositio est aperta quia color qui primo mouet facultatem videndi, est qui primo percipitur ab eadem facultate, quare verum erit ea prius percipi ab intellectu, quæ primo mouent ad intelligẽdum. Tertium. Obiectum commune, & adęquatum intellectus sub cuius ratione omnia apprehendit, est ens ea ratione, qua est ens, sed in substantia maxime reperitur ratio entis, & primo: ergo substantia erit quæ primo percipietur ab intellectu. Quartum argu. Quæ continentur in diffinitione alicuius debent priꝰ cognosci, quia cognitio rei diffinitæ dependet à partibus diffinientibus: sed probatum est à nobis in superioribus cum Arist. Accidentia diffinienda esse per substantiam: ergo substantia erit prior cognitione accidentibus.

1. Arg.

2. Arg.

Obser.

3. Arg.

5. Conc.

4. Arg.

Quarta conc. Cognitio perfecta & distincta substantiæ, dependet (tanquã ex priori) ex cognitione confusa, & discursiua accidentiũ & communium proprietatum. Confirmatur imprimis ex Arist. qui 1. de anima cap. 1. constituit accidentia multum iuuare ad cognitionem substãtiæ, & naturæ cuiusque rei. Confirmatur deinde. Rei naturæ latentes sunt, & obscurę, vnde debent manifestari per ea quæ sunt vicinioria & magis proportionata sensibus nostris, sed huiusmodi sunt accidẽtia, proprietates, effectus, & alia huiusmodi: ergo prius cognoscenda sunt accidentia cognitione confusa, quã cognoscamus substantiam cognitione distincta. Vnde adnotandum est hanc cognitionem qua media deuenimus ex cognitione accidentium in cognitionem substantiæ, non esse simplicem, sed discursiuam, nam cognitis (discursu, & ratiocinatione) accidentibus, post modum cognoscimus substantiam: vt cognitis v. g. in igne leuitate, raritate, calore, & siccitate, per discursum colligimꝰ naturam ignis (alioquin nobis obscuram) talem esse debere, cui debeãtur ex propria vi, & facultate calor, & alia accidentia enumerata, quę ab eius natura fluunt.

4. Con.

Quinta conclusio. Cognitio distincta accidentium dependet (tanquã ex priori) ex cognitione distincta substantiæ. Confirmatur ista cõclusio. Primo. Cognitio distincta alicuius effectus, & principiati, dependet à cognitione distincta suæ causæ, & principij, auctore Arist. 1. phy sico. cap. 1. sed substantia est principium & causa omnium accidentiũ: ergo

1. Arg.

ergo cognitio distincta substantiæ erit prior cognitione distincta accidentium. Deinde. Cognitio distincta rei diffinitę dependet à cognitione distincta partium diffinitionis, sed accidentia diffiniuntur per substantiam vt risibilitas per hominem diffinitur ad hunc modũ, facultas vel potentia hominis ad ridẽdum: ergo cognitio distincta accidentiũ dependebit à cognitione distincta substantiæ.

2. Arg.

Corrol. Ex quibus colligendum erit hũc esse ordinem cognoscendi inter substantiam, & accidentia. Quod primo apprehenditur cognitione confusa est substantia, & non accidentia, nã prius cognoscimus confuse hominẽ esse substantiam, quã cognoscamus eadẽ cognitione confusa illum esse risibilẽ. Deinde antequã cognoscamus distincta cognitione substantiam, debemus prius tempore cognoscere accidentia confusa cognitione. Tandemque vt cognoscamus accidentia cognitione distincta, & manifesta, debemus prius cognoscere substantiam cognitione distincta, & aperta.

Ad 1. argumen. Iam ad argumenta. Ad primum respon. illud confirmare nostram quartam conclusionem, in qua asseruimus accidentia multum conferre cognitione confusa. ad assequẽdam cognitionem distinctam substantiæ.

Ad 2. Ad secundum dicimus falsam esse propositionem, neque Aristo. docuit substantias materiales, quia sũt minus entia prius cognosci, sed substãtias materiales, quæ sunt minus entia, prius cognosci, nõ quidẽ quia sunt minus entia, sed quia magis sunt accommodatæ, & proportionatæ intellectui nostro, quam sint substantiæ intellectiles, & immateriales, quæ ob nimiam entitatem sunt eidem improportionatæ.

Ad tertium respon. negando assumptionem, ad probationem vero distinguimus propositionem, nam aut phantasmata sumuntur antequam sint illuminata, vel postquã iam sunt illuminata. Propositio ergo vera est de illis quorũ sunt phantasmata illuminata: at vero phantasmata illuminata non sunt accidentium, sed substantiæ, vt phantasma illuminatum Petri non repræsentat accidentia, sed attributa essentialia, & substantialia, & ita accidentia non impriment primo imaginem in intellectu. Ad 3.

Ad quartũ respon. eodẽ modo phantasma non illuminatum esse imaginem accidentium: illuminatum vero non esse imaginem illorum, sed substantiæ: at phantasma illud cuius ope intellectus omnia cognoscit, non est phantasma non illuminatum, sed illuminatum, & ita intellectus non primo apprehendet accidentia, sed substantiam. Ad 4.

Ad quintum negamus propositionem, neque enim ex eo intellectus haurit cognitionem à sensibus qua prius cognascit sensilia, sed ex eo, quia q̃diu est vnitus cum corpore non potest rem aliquam intellige re nisi prius se conuertat ad phantasmata illuminata, quæ haurienda sunt à sensibus: cæterum phantasmata illuminata prius repręsentant intellectui substantiam quam repręsentent accidentia. Ad 5.

QVAESTIO IIII. AN SVBstantia cognoscatur per priam similitudinem.

CVm omne quod cognoscitur per intellectum media aliqua similitudine cognoscatur, & substantia sit ea quæ primo cognoscitur ab

intellectu quærimus, an cognoscatur illa per propriam similitudinẽ, an vero per similitudinem accidentis Non cognosci per propriam similitudinem his argumentis confirmamus.

1. Arg. Primum. Accidentia non possunt repræsentare substantiam, sed species intellectiles sunt accidentia, ergo non poterunt repræsentare substantiam, quare non cognoscetur substantia per propriam speciem.

2. argu. Secundum est. Illa tantum possunt habere speciem repræsentantem, quæ habent phantasmata. species namque oriuntur à phantasmatibus: sed phantasmata sunt solius accidentis ergo solũ accidentia possunt habere speciem, & ita substantia cognoscetur per speciem accidẽtium.

3. argu. Tertium. Species intellectiles educuntur à phantasmatibus: sed phantasmata tantum repræsentant accidentia: ergo sola accidentia possunt habere speciem repræsentantem.

4 argu. Adhæc, Illa quæ cognoscuntur per propriam speciem, cognoscuntur vt præsentia. & vt absentia, quẽ admodum quia cognoscimus lumẽ per propriam speciem, cognoscimus illud & quando est præsens, & quãdo est absens: sed per nullam speciẽ intellectilem, quæ sit substantię possumus intelligere illam esse præsentem, vel absentem, vt in Sacramento altaris per nullam speciem creatam substantiæ possumus intelligere abesse panem vel vinum cum sola fide illud intelligamus, ergo nulla datur species intellectilis repræsentans substantiam.

1. Opin. In hac quæstione Scotistæ existimant substantiam cognosci per aliena speciem accidentis, constituũt enim à phantasmatibus illuminatis (vt à phãtasmatibus v.g. hominis) oriri quandam imaginem repræsentantem primo, & per se accidentia eius, vt candorem, vel figuram, & secundario naturam & substantiam ipsius hominis. Ita docent Antonius Andræas 7. metaphys. q. 4. & Herueus quodlib. 3. q. 12.

2. Opin. Omnes tamen alij, qui existimãt substantiam cognosci prius quam accidentia, censent etiam substantiam cognosci per propriam imaginem, & similitudinem, & non per alienam, accidentium nimirum. In qua sententia existunt Soncinas, Iauellus, Aquarius, & alij, quos recensuimus in quæst. superiori, eam & nos, vt veriorem amplectentes, hac vnica conclusione explicabimus.

Concl. Substantia cognoscitur ab intellectu per propriam similitudinem. Confirmatur his argumentis, e quibus primum sit. Quidquid cognoscitur, aut cognoscitur per speciem superioris ordinis, aut eiusdem, per speciem superioris ordinis, vt Deus Opt. Max. omnia cognoscit per suã essentiam, tanquam per speciem superioris ordinis: eiusdem præterea ordinis, vt quãdo cognoscimus hominem per speciem hominis, & leonem per speciem leonis: at species accidentis, neque est superioris, nec eiusdem ordinis cum substantia, accidentia quippe sunt illa multo inferiora, ergo per speciem accidentis non poterimus intelligere substantiam. Secundum. Quidquid cognoscitur debet cognosci per aliquam similitudinem: at substãtia est prior cognitione accidentibus: ergo in illo priori debet cognosci per aliquã similitudinem, sed ibi nondum est aliqua cognitio accidentis, quia nõdum præcessit illius cognitio, ergo substantia cognoscetur per propriã similitudinem. Iam. Omnis cognitio perfecta, & quidditatiua debet esse per propriam rei cognitæ similitudinem, sed nos cognoscimus substãtiam

1. argu.

2. Arg.

3. Arg.

tiam perfecte, & quidditatiue, vt hominẽ cognoscimus perfecte, & quid sit: ergo debemus illum cognoscere per propriam similitudinem. Assumptio patet, confirmatur propositio. Cognitio perfecta & in quid est qua cognoscimus rem separatam à quolibet alio, sed hoc fieri non potest nisi per propriam similitudinem ab alio distinctam, alioquin non esset perfecta, & distincta, ergo cognitio perfecta debet esse per propriam rei cognitæ similitudinem. Iterum. Si

4. arg. intellectus non cognosceret substantiam per propriam speciem, aut illud proueniret à substantia, aut ab intellectu: sed nequit ab vllo exiis duobus prouenire, ergo substantia cognoscetur per propriam speciem. Confirmatur assumptio. Imprimis illud non potest prouenire à substantia, quia si illa iuxta Scotũ producit in mente angelica similitudinem propriam, producet quoque in intellectu humano, cum sit inferior angelico propriam similitudinem: tum etiam quia substantia maiorẽ habet facultatem, quam accidentia. ergo cum accidentia producant propriam similitudinem in intellectu, substantia quoque illam producet, Præterea neque potest prouenire ab intellectu, quia intellectus patibilis iuxta Arist. est omnia fieri, & est sicut tabula rasa in qua nihil est depictum, possunt tamen in illa depingi omnium rerum imagines, ergo poterit intellectus recipere non minus, imo magis multo species intellectiles substantiæ, cum repræsentet naturam perfectiorem, quàm species accidentis.

Ad 1. argum. Soluamus iam argumenta in principio effecta Ad primum respondemus falsam esse propositionẽ, quia imago Petri depicta in pariete est accidens, quæ tamen repræsentat Petrum qui est substantia.

Ad secundum respon. falsam esse propositionem, imo illa habent Ad 2. speciem quæ habent phantasmata, vel quæ habent naturam inuolutã cum phantasmatibus. vnde quamuis substantia per se nõ habeat phãtasmata, habet tamen naturam inuolutam cum illis, & ita poterit obtinere propriam speciem per quam cognoscatur.

Ad tertium dicimus phantasmata ante illuminationem tantum repræsentare accidentia, post illuminationem vero repræsentare substãtiam, & naturam vniuersam, atque ita à phantasmatibus illuminatis producuntur species intellectiles in intellectu patibili, per quas potest intellectus, tanquam per propriam similitudines intelligere substantias. Animaduertendum est tamen phãtasmata illuminata non producere huiusmodi species intellectiles propria vi, sed facultate illis tributa, tũ ab obiecto quod repræsentãt, tum etiam à lumine intellectus agentis. Ad 3.

Ad quartum resp. propositionẽ esse verã de cognitione sensus, quia cum sensus tantum feratur circa singularia, quorum tantum est præsentia, vel absentia, sensus poterit percipere per speciem sibi impressam rem esse præsentem, vel absentem, at intellectus cum tantum feratur in naturas vniuersas, quæ superant omnem præsentiam, vel absentiam, & omnem temporis differentiam, non intelliget per speciem sibi impressam rem esse præsentem, vel absentẽ, sed illius attributa essentialia percipiet. In sacramento vero altaris cognoscimus abesse panem, non per speciem quæ est, sed per speciem quæ fuit. Ad 4.

Universidad de Deusto Biblioteca

Sect. II. de substantia in qua de diffinitionibus, diuisionibus, & proprietatibus illius di sputatur.

ARGVMENTVM.

EGimus in superiori Sectione de prioritate substantiæ, sequitur vt in hac secunda de natura illius disputemus, & quia latens natura alicuius rei, diffinitionibus, diuisionibus, & cognitione proprietatum maxime declaratur, de his omnibus erit in hac sectione suscipienda disputatio.

Sect. II. De substantia. Quæstio I. An substantiæ singulares merito sint primæ vocatæ.

ORdinem Aristo. sequentes qui primo omnium de substantia prima, quam de reliquis omnibus disserit, de eadem prima substãtia erit in hac Sectio. 2. sermo primo habẽdus. Et vt à nomine exordiamur quærimus, num substantia singularis recte fuerit ab Arist. prima nuncupata. Non enim merito esse ipsi tale nomen tribuendum, his argumẽtis possumus demonstrare.

3 argu. Primum. Illa sunt priora à quib' non valet status consequentiæ, vt animal est prius homine, quia non sequitur animal est, ergo homo est, vt docebit Arist. in Postcateg. c. de priori, sed non valet status consequentiæ à substãtia vniuersa ad singularem, ergo substantiæ vniuersæ vocandæ erunt primæ substantiæ. Assumptio est aperta, quia non recte sequitur homo est, ergo Petrus est.

2. Arg. Secundum. Arist. 8. metaph. c. 1. docet substantias vniuersas esse vocandas magis substantias, quam singulares, ergo substantiæ vniuersæ vocabuntur primæ & maximę substantiæ.

3. Arg. Tertium. Substantia significat essentiam, sed essentia primo competit rebus vniuersis, ergo substantiæ vniuersæ vocabuntur primæ substantiæ.

4. Arg. Quartum. Aeterna & incorruptibilia priora sunt iis quæ oriuntur & intereunt: sed substantiæ vniuersæ sunt incorruptibiles, singulares vero corruptibiles, ergo substantiæ vniuersæ erunt substantiæ primæ.

Vlti-

Vltimũ argum. Vltimum argu. Materia prima magis subest, quam omnes substantiæ singulares, ergo si ex eo singulares vocantur primæ substantiæ, quia primo & maxime substant, materia prima vocanda erit substantia prima, quod tamẽ est omnino falsum.

In hac quæstione dere nulla est concertatio, nam omnes cum Arist. profitentur substantias singulares merito esse dictas primas, sed de sola causa ob quam sint illæ sic nuncupatæ disceptatio est inter interpretes, sunt enim in illa reddenda diuersa iudicia, atque sententiæ.

1. Interpre. Boetij. Seuerinus Boetius existimat illas ob hanc causam dictas esse primas, quia prius nomine substantiæ significatæ fuerunt, nam cum illæ sint magis affines sensibus, primo substantiæ appellatio fuit illis tributa, & quia in hac disputatione est instituta controuersia de nominibus, & vocibus propterea voluit Aristot. has substantias primarum nomine ornare. Hæc tamẽ interpretatio nullius est momenti, primo. Quia innitur falso fundamento nimirum tãtum esse in catego. de vocibus instituta disputationem, hoc enim falsum esse docuimus iam in prolegomenis huius operis. Secundo nostra cognitio nullam confert rebus cognitis nobilitatem: at substantiam singularem esse primam, est profecto magna nobilitas, quare illud ex nostra cognitione nõ habebit. Hoc argumento, Plotinus Aenea. 6. lib. 3. cap 9. olim exploserat hanc opinionem Boetij.

1. Confuta.

2. Confuta. 2. Interpreta. Beatus Albertus Magnus tractatu 2. catego cap. 3. refert quandam interpretationem nonnullorum veterum, qui distinguebant de substãtia vel vt significat actum essendi, vel vt exprimit actum substandi. Primo modo dicunt substantiam secundam debere vocari primam, quia esse primo competit secundis quam primis, verum altero modo singulares iure optimo dictas esse primas, quia primo, & magis subijciuntur, secundis substantiis, & accidentibus. Cæterum neque hi mẽtem Arist. attingunt imo ipsi aduersantur, quia substantiæ vniuersæ etiam secundũ actum essendi, sunt posteriores primis, nam à primis, & in primis existunt: unde dicebat Arist. in cap. sublatis primis substantiis nihil loci remanere secũdis, quare etiam iuxta actum essendi singulares erunt merito primæ nuncupatæ.

3. Interpreta. Idem B. Albert. Mag. aliam tradit interpretationem inquitque substãtiam sumi posse vel in ratione causæ, vel in ratione subsistendi, in ratione causæ vniuersæ priores sunt singularibus, nam sunt causæ quædam formales ipsarum, sunt enim attributa quædam generalia, quæ ad causam formalem reuocari debent. Altero tamen modo in ratione subsistendi, singulares merito esse primas nuncupatas, quia singulares primo & magis subsistunt, quam vniuersæ, & quia Arist. in hoc loco agit de substantia in ratione subsistendi, ob hanc causam singulares substantias primas vocauit. Hæc tamen interpretatio (bona venia tanti viri dictum sit) non est ex omni parte vera, quia etiã in ratione causæ secundæ dependent à primis, nã existunt in ipsis, & ab ipsis, vnde existentia secũdarum tanquam à vera, & legitima causa dependet ab existentia primarum.

4. Interpreta. His igitur opinionibus reiectis tribus aliis modis possumus hanc dubitationem dissoluere. Primo cũ Porph. in interrogationibus de substantia cap. 5. singulares nomine primarum insigniri, quia substantiæ nomen fuit illis prius impositum,

nam

nium cum ratio tam subsistendi, quã existẽdi fuerit prius cognita in substantiis primis, quam in secundis, nomen substantiæ prius fuit impositum singularibus quam vniuersis.

5. Interpret. Cai.

Secundo cum Caietano dicimus duobus modis aliqua dici priora vno modo, quia ab illis ad alia non valet ĩstatus consequendi, qua ratio ne animal est prius homine: & altero quia sunt causæ cæterorũ, quos duos modos proposuit Aris. in Post catego. cap. de priori. Si igitur loquamur de prioritate secundum statũ consequendi singulares non sunt vocatæ ab Arist. primæ, quia ab ipsis ad substãtias vniuersas, bene valet ĩstat' cõsequẽdi, recte n. sequitur Petrus est, ergo homo est, vel animal est. Altero igitur modo prioritatis substantiæ singulares dicentur primæ, quia nimirum primo illis tanquam causis competit ratio nomine substantię significata. Etenim substantia vel sumitur ab actu per se existẽdi, vel per se subsistendi, si ab actu existendi sumatur certum est, & exploratum, huiusmodi actũ prius substantiis singularibus, quã vniuersis conuenire, & vniuersis non alia ratione, quam singulariũ beneficio posse adaptari. De subsistentia vero prius illã singularibus, quam vniuersis conuenire, ex eo certe sit manifestum, quia ad actum subsistẽdi primo, & per se, duo sunt necessaria, primum vt illud quod primo subsistit, vel subiicitur, à se neget prius aliquod sustentans, cui tanquam basi innititur: secundo vt ipsum omnia alia sua firma, & cõstanti existentia fulciat atque sustẽtet, quæ certe duo substantiis singularibus conueniunt maxime, nã primo nonhabent infra se aliquod subiectum, cui tanquam fundamento innitantur, sed à se negant & excludunt, huiusmodi fundamentum, & subiectum, tam inhæsionis, quam prædicationis: inhæsionis quia non sunt accidentia, prędicationis vero, quia non habent infra se indiuidua de quibus prædicentur. Secundo quia substantiæ singulares omnia in se fulciunt, & sustẽtat, omnibusque tam accidentibus, quam substãtiis vniuersis subiiciuntur, quare merito fuerunt illæ nomine substãtiarum primarum insignitæ.

Tertio & vltimo modo, (& fortasis magis ad mentem, & institutum Arist.) dicimus aduersus ideas Platonis quas semper capitali odio est prosequutus, docuisse substantias singulares vocãdas esse primas. Etenim cũ Plato in ea esset opinione, vt arbitraretur substantias vniuersas (quas ille ideas vocabat à singularibus reipsa separatas) esse primo, & maxime substantias, cum semper eodem modo consisterent, & nũquam mutationem aliquam, aut ortum, vel interitum subirent, è contra vero singulares esse minime, & posterius nomine substantiæ insigniendas, tanquam fragiles, & caducas, & quæ tantum essent adumbratæ quædam imagines, & similitudines vniuersarum, vt hanc sententiã Platonis Arist. euerteret, è contra ipse philosophatur, substantias vniuersas esse secundo, vel posteriori loco vocandas substantias: singulares vero esse primo sic nuncupandas, idque quia vel pluribus & primo subiiciuntur, quam substantiæ vniuersæ, quod nomen substantiæ prę se ferre videtur, & quia prius per se existunt quam vniuersæ, quod est ratio & natura substantiæ, nam vniuersæ & à singularibus, & in singularibus substantiis habent existẽtiam, ac proinde merito singulares vocatæ fuerunt primæ substantiæ, vniuersæ vero secundæ.

6. Interpreta. nostra, & multo verior.

Supersunt demum argumenta diluen-

Ad 1. argum

luenda. Ad primum respondemus ex his quæ cum Caietano diximus, substantias singulares priores esse vniuersis, non in consequendo, sed secundum causam, eoquod singulares sint causæ, vt vniuersæ existãt. Vnde optime dictum est ab Aristo. sublatis primis substantiis nihil loci remanere secundis. Quidam alij dicunt aliud esse loqui de hac determinata substantia singulari, vt de Petro, & aliud de omnibus substantiis singularibus, vnde quãuis à substantia vniuersa ad vnam singularem non valeat consequentia ab illa tamen ad omnes singulares valet illa quidem: quamuis enim non recte colligatur homo est, ergo Petrus est: bene tamẽ, & accommodate colligitur, homo est, ergo indiuidua humana sunt, nam si illa nõ essent, neque homo esset, vt Aristo. in hoc cap. docuit.

Ad 2.

Ad 2. dicimus cum Alexan. & D. Thom. Arist. loquutum esse eo loco ex opinione Platonis constituentis substantias vniuersas, & ideas esse magis substantias quam singulares. Vel dicimus substantias vniuersas esse vocatas magis substantias, nõ quia magis per se cohæreãt, sed quia sunt perfectiores substantiis singularibus cum habeant esse minus obnoxium mutationibus, quam habeant ipsæ singulares.

Ad 3.

Ad tertium respon. significationem illam substantiæ in qua denotat essentiam esse impropriam, cum propria significatio illius sit qua significat illud quod per se existit, & ita negamus consequentiam, quia quamuis essentia prius comperat vniuersis substantiis, attamen per se existere prius competit substantiis singularibus, & ita singulares substantiæ dicentur primæ.

Ad 4.

Ad quartum respon. propositionem esse veram de naturis quæ non existunt in substantiis quæ oriuntur, & intereunt, vt sunt naturæ cælorum, & angelorum, falsam autem de his naturis quæ existunt in rebus ortui, & interitui obnoxiis, non enim illę sunt priores secundum existentiam, sed posteriores, & ita cũ naturæ vniuersæ existant in singularibus, quæ oriuntur, & intereunt, non erũt priores singularibus, imo erunt eis posteriores.

Ad vlt.

Ad vltimum respon. ad id vt aliquid sit substantia prima præter hoc quod est primo subesse, vel per se existere, debere esse naturam integram. Vnde quamuis materia primapluribus subsit, quia tamen non est natura integra, sed pars totius naturalis, nondicetur substantia prima.

QVAESTIO II. SITNE optima diffinitio primæ substantiæ, & quid in ea diffiniatur.

ESse vitiosam propositam primæ substantiæ diffinitionem. *Quæ neque dicitur de subiecto, neque est in subiecto*, his argumentis possumus demonstrare.

1. Arg.

Primum. Illa est vitiosa diffinitio quæ traditur per negationem: sed hæc est huiusmodi, nam traditur per duas negationes, quæ sunt neque esse, neque dici de subiecto, ergo erit vitiosa diffinitio.

2. Arg.

Secundum. Substantia prima est substantia singularis, sed singularia non diffiniuntur: vt auctor est Aristo 7 metaphy. cap 15. non igitur prima substantia recte fuit ab Arist. diffinita.

3. argu.

Præterea. Hæc diffinitio competit alteri à re diffinita, ergo erit vitiosa, consequentia nota est, confirmatur antecedens. Homo, v.g. iuxta sua

Universidad de Deusto Biblioteca

& sua essentialia attributa consideratus, in quantum nimirum est animal particeps rationis, neque est in subiecto, neque dicitur de illo, qui tamen non est prima substantia, ergo hæc diffinitio conuenietal teri à re diffinita.

4. argu. Iam. Illa diffinitio est vitiosa cuius partes repugnant rei diffinitæ, sed hæc est huiusmodi, ergo, &c. Cõfirmatur assumptio. Res diffinita est substantia prima in communi, & in vniuersum, sed substantia prima ita sumpta dicitur de subiecto, nam dicitur de hac substantia prima quę est Petrus, & de illa quæ est Antoninus, iam ergo partes diffinitionis repugnabunt rei diffinitæ.

5. argu. Iterum. Arist. post traditam primam diffinitionem substantiæ illicò subiungit exemplum de quodam homine, sed quidam homo dicitur de subiecto, nã Petrus est quidam homo, & Ioannes est quidam homo ergo substantia prima iamdi cetur de aliquo subiecto.

6. Arg. In hac q. non tam est dubitatio sitne optima proposita diffinitio quam de illius diffinitio, quid scilicet nomine primæ substãtiæ in proposita diffinitione fuerit diffinitũ, atque ita à primo breuius nos expediemus, secundum vero fusius explicabimus. Sit igitur prima conclusio.

1. Conc. Hæc diffinitio optima est & accurata. Confirmatur ex Arist. & omniũ interpretum auctoritate, qui illam tanquam accuratam proponunt. Et certe cum illa separet rem diffinitã à quolibet alio, nam per primam partem, *quæ neque dicitur de subiecto*, separat substantiam primam à secũdis: per per alteram vero *neque est in subiecto*, separat eandem primam substantiam ab accidentibus, profecto erit accurata & optima diffinitio.

2. Conc. Secunda conclu. Hæc diffinitio non est essentialis, sed descriptiua. Hanc Simplicius, Ammonius, Porphyrius, Dexippus, & fere omnes interpretes profitentur. Confirmatur primo, quia difficile est essentiales diffinitiones tradere, maxime vero horũ generum supremorũ, propter latentem, & obscuram illorum essentiam, quæ vix, ac ne vix quidem potest à nobis cogitatione aliqua comprehendi. Secundo, quia diffinitio essentialis non est tradenda per negationem, vt 6. Topico. cap. 3. aperte testatur Aristo. nã negatio nõ explicat quid res sit, sed quid non sit: at diffinitiones gratia rem ipsam explicandi debent adhiberi, quare nõ erit illa essentialis, sed descriptiua. Addo esse traditam per quandam proprietatem substantiæ quę est nõ esse in aliquo tanquam in subiecto, at diffinitiones quæ traduntur per proprietates, descriptiuæ sunt, & nõ essentiales. Hæc quidẽ breuiter sint dicta de primo: accedamus iam ad explicandum quodnam sit illius diffinitum, neque enim in hac re omnes idem sentiunt, sunt enim tres doctissimorum virorum inter se discrepantes opiniones.

1. opin. Prima est Caietani duplex esse diffinitum vnum quod, & alterum quo, diffinitum quod est res singularis, vt Petrus v.g. vel Paulus, at diffinitum quo, est modus quidam incommunicabiliter existendi, communis omnibus indiuiduis, vt auctor est D. Tho. 1. par. q. 29. artic. 1. ad 1. Itaque iuxta Caietanum tam pro materiali quam pro formali, vel tam diffinitum quod, quam diffinitum quo erit notio prima.

2. Opin. Canterus putat diffiniri ens per accidens, nimirum aggregatũ quoddam ex Petro, & notione secunda ratione cuius neque est in subiecto, neque de illo dicitur, quod confirmat, quia diffinitum huius diffinitionis

tionis est membrum quoddam illius quadrimembris diuisionis propositæ in Antecatego. scilicet eorũ quæ sunt quædam iunt, quæ neq. sunt in subiecto, neque dicuntur de subiecto, vt Porphyrius, Ammo. & Simplicius in hoc loco testantur, at in illa diuisione membrum propositum significat aggregatum aliquod ex prima, & secunda notione.

3. opin. Tertia opinio est M. Soto q. 1. huius cap. in solutione 2. argum. qui putat diffinitum huius diffinitionis esse notionem secundam primę substantiæ, non tamen supponere pro illa, sed pro substãtia aliqua singulari, vt pro Petro, v.g. vel Ioanne.

Obser. Nos tamen vt hanc litem diffinia mus, animaduertimus, nos posse agere de prima substantia vel metaphysice, vel dialectice, metaphysice sumitur iuxta id quod in se est, & habet à parte rei ab ea separando omnem notionem secundam, & accidentia rationis, nam metaphysicus non agit de considerationibus intellectus, seu notionibus secundis, sed de his quæ conueniunt rebus, vt in se sunt, & à parte rei. Dialectice vero vsurpatur ea ratione, qua concipitur ab intellectu, vel vt affi citur notione aliqua secunda, & accidente rationis, aut vt nata est intra rectam seriem categoriæ collocari, omnibusque superioribus tam generibus quam formis subesse, quo animaduerso sit tertia conclusio.

3. Conc. Diffinitum huius diffinitionis est quidpiam vniuersum. Hanc profitetur D. Thom. 1. par. vbi supra, confirmaturque imprimis, quia illud diffinitur quod dicitur de multis synonyme, illud siquidem diffinitur quod dicitur de Dominico, & Thoma (qui sunt primę substantię) synonymè: at quod dicitur de multis synonyme quidpiam vniuersum est. Secundo, quia solæ res vniuersæ sunt perpetuę, at quod definitur res est perpetua, nam diffinitio tantum est rerum æternarum, quare diffinitum erit quidpiam communæ & vniuersum.

2. Arg.

Quarta conclusio. Diffinitum huius diffinitionis non est aliquid aggregatum ex natura & notione primæ substantiæ. Hæc est aduersus Canterum quæ confirmatur, quia huiusmodi aggregatum est ens per accidens, nam constatur ex rebus diuersarum catego. nimirum ex ente rei, & ente rationis: at nullum ens per accidens natum est diffinitione aliqua comprehendi, est enim diffinitio vna oratio, & quæ vnum per se indicat, vt Arist. 8. metaphy. cap. 6. testatur. Neque argumẽtum quo ille vtitur, est alicuius momenti, libenter enim admittimus illud esse diffinitum in hac diffinitione quod est comprehẽsum sub illo membro diuisionis assignatæ, negandum tamen erit in illa esse diuisum aggregatum aliquod ex natura, & notione, quid autem sit ibi diuisum, & quæ sint etiam membra diuidentia in illo loco (cap. scilicet 4. Antecatego.) q. 1. exposuimus.

4. Con.

Quinta conclusio. Si agamus de prima substantia dialectice diffinitum huius diffinitionis quod significatur per illam est notio secunda primæ substantiæ, diffinitum vero pro quo sumitur diffinitio, vel in quo exercentur partes diffinitionis, aut (quod idem est) de quo illæ verè affirmantur, est notio prima singularis, vt Vincentius, v.g. vel Antoninus. Hanc profitemur cum M. Soto, cuius primam partem nimirum diffinitum quod exprimitur per diffinitionem esse notionem secundã ostendimus primo, quia modus diffiniendi sequitur modum considerandi, ita enim res diffinimus sicut intel-

5 Conc.

1. Argu.

intelligimus: sed in dialectica consideramus res sub notionibus secundis, vt constat ex his quæ diximus quãdo egimus de illius obiecto: ergo diffinitum huius diffinitionis erit notio secunda. Iam non dici de subiecto est notio secunda, sed hæc diffinitio traditur per non dici de subiecto: ergo diffinitum illius erit notio secunda. Confirmatur propositio, quia dici de subiecto est notio secunda, ergo etiam non dici de illo erit notio secunda, nam si vnum ex contrariis fuerit notio secunda, & alterum quoque esse debet.

2. Arg.

Confir. denique ad 2. p.

Alteram partem eiusdem assertionis, scilicet diffinitum pro quo sumitur esse notionem primam singularem, confirmatur quia tantum illa, vt Dominicus (v. g.) est de qua partes diffinitionis affirmantur, vel in qua exercetur diffinitio: illa siquidem est quæ neque est in subiecto, neque dicitur de illo.

6. Conc.

Sexta conclusio. Apud Metaphy. diffinitum formale diffinitionis primæ substantiæ est notio prima, scilicet modus quidam incommunicabiliter existendi Hæc est acutissimi Caiet. quam vt probe intelligamus adnotandum est triplicem esse incõmunicabilitatem Primam quæ opponitur communicabilitati qua accidens communicatur subiecto. Secundam qua aliquid est incommunicabile incommunicabilitate opposita communicationi, qua superius communicatur inferiori: Tertiam quæ opponitur communicabilitati, qua pars suo toto communicatur. Quæ tres incõmunicabilitates conueniunt substantiæ primæ, nã quia substãtia est non cõmunicatur alicui eo modo quo accidens communicatur subiecto, & quia singularis est, non potest communicari eo modo quo superius secundum essentiam communicatur suis inferioribus: et tandem quia est natura integra, non potest communicari alicui eo modo quo pars communicatur toti Itaque diffinitum formale huius diffinitionis est modus hic existendi incommunicabiliter his tribus generibus incommunicabilitatis, quod quidem ita esse in hunc modum possumus confirmare. Illud est diffinitũ formale huius diffinitionis, ratione cuius substantia prima neque dicitur de subiecto neque in subiecto esse nullo modo potest, sed ratione huius modi incommunicabiliter existendi substantia prima neque dicitur de subiecto, neque est in illo: ergo hic modus erit formale diffinitum huius diffinitionis. Propositio perspicua est, confirmatur assump. Imprimis cum substantia prima non sit accidens, non communicabitur eo modo, qua accidens communicatur subiecto, ac proinde ratione illius non erit in subiecto: deinde quia substantia prima non communicatur eo modo quo superius suis inferioribus, vel quo pars suo toto non dicetur de aliquo tanquam de subiecto, de quo vel superiora, vel partes prædicantur. Ratione igitur huius modi existendi incommunicabiliter substantia prima neque dicetur de subiecto neque erit in illo. Diximus diffinitum formale, vel & significatur per diffin. quia diffinitũ materiale sunt ipse met substantiæ primæ, vt Iacobus, vel Ioannes, quæ neque de subiecto dicuntur, neque sunt in illo quibusque hic modus existendi incommunicabiliter adaptatur.

Obser.

Confir. conclu.

Ad argumenta igitur quæ in initio proposuimus. Ad primum respon. imprimis ex Simplicio hãc esse descriptionem, ac proinde optime potuisse per negationem tradi. Vel cum eodem, & M. Soto dicimus illas negationes habere locum alicuius affirmationis huius nimirum, primo & per se existere, nam quod primo & per se existit, neque est neque dicitur de subiecto. At quando aliqua diffinitio traditur per negationem quæ habeat locum affirmationis, non erit illa tanquam vitiosa reprehendẽda. Aut certe cum Boetio in lib. de diuisionibus resp. non esse semper vitiosam diffinitionem quæ traditur per negationem, nam somnum ita optime per negationẽ diffinimus, esse animal nihil operari, maxime vero quando res diffinitæ sunt primæ in illo genere, vt recte fuit ab Ammonio animadversum. Nam Deum per negationẽ diffinimus esse illud quod neque est cor corpus, neque materia, neque forma, neque quidpiam creatum: qua ratione Plato in Timeo illum diffiniendum esse volebat. Et materiam primam diffinimus esse illud quod neque est quid, neque quantum, neque quale, neque quidpiam cæterarum catego. quare cum substantia prima in genere substantiæ principem sibi vendicet locum, potuit recte ab Arist. per has duas negationes diffiniri.

Ad 1. ar gumen.

7. Metaphy. ca. 3.

Ad 2.

Ad secundum respon. singularia, vt singularia sunt, non posse diffiniri, rationem tamen omnibus illis cõmunem bene posse, atque ita substãtia prima vt singularis est, non diffinietur, ratio tamẽ cõmunis, quę est apud Metaphysi. modus existendi incommunicabiliter iuxta Caietanũ, vel notio secunda apud Dialecticum, erit limitibus huius diffinitionis circunscripta.

Ad 3.

Ad tertium respondẽ. falsum esse hanc diffinitionem competere alteri à re diffinita. Et ad confirmationem dicimus, diffinitionem intelligendam esse de non dici, neque esse in subiecto, actu & aptitudine: at quamuis homo actu non dicatur secundum suam essentiam de subiecto, dicitur tamen aptitudine, nam est natus & aptus dici de hominibus singularibus.

Ad quartum respon. hanc diffinitionem non repugnare diffinito materiali, vel illi pro quo sumitur diffinitio, aut in quo exercentur partes diffinientes, nam Socrates v. g. qui est diffinitum materiale, aut diffinitum in quo exercentur partes diffinitionis, neque dicitur de subiecto, neque est in illo: at vero diffinitum quod exprimitur per diffinitionem quod est vel notio secunda, vel modus existendi incommunicabiliter de subiecto dicetur. Nõ enim debẽt partes diffinitiones in huiusmodi diffinito exerceri, aut vere de illo affirmari, neq. enim ex eo hoc diffitum debet sic nuncupari, quia diffinitio dicatur de illo sed quia per eandem diffinitionem significatur.

Ad 4.

Ad vlti. respon. cum Scoto q. 1. huius catego. Arist. nomine cuiusdam hominis non rem quandam cõmunem, sed substantiam certam, & determinatam vt Ioannem, vel Antonium intellexisse.

Advlti.

QVAESTIO III. AN Diuisio substantiæ in primam & secundam sit optima necne?

ESSE Optimam hanc diuisionẽ apud neminem (quantum opinor) fuit vnquam dubium, atq ita non erit cur in hac re confirmanda immoremur. Verum qualis illa sit difficille semper maximeq. controuersũ extitit apud interpretes. Sunt enim in hac re explicanda tot fere opiniones, quot capita, in qua ita nos geremus, vt falsis aliorum opinionibus primo loco confutatis, veram deinde opinionem proponamus.

Universidad de Navarra Biblioteca

De qua substan. sit serm. in hac q.

mus. Verum quia scire oportet de qua substantia agimus in hac quæstione, hoc erit prius explicandum. Imprimis igitur asserimus rem diuisam non esse substantiam quæ est diuisa contra accidens, nam hæc est integra natura, at illa quę est diuisa contra accidens, non est integra, cũ ambiat differentias & modos internos. Asserimus secundo neque rem diuisam esse substantiam, quæ est genus supremum catego. quia in optima diuisione res diuisa non debet sub aliquo ex membris diuidentibus contineri: at substantia quæ est genus supremum continetur sub substantia secunda, sunt enim substantiæ secundæ genera, & species, in quibus etiam primæ continentur. Asserimus tandem rem diuisam esse substantiam integram & completam contentam in recte serie categoriæ. Ita vt sensus diuisionis sit substantia integra & completa contenta in recta serie categoriæ, quædam est prima, & alia secunda. Præterea ex secundis quædam sunt species atomæ, aliæ genera intermedia, & tandem alia genera suprema.

1. Opin. Græco.

Hoc ergo tanquam firmissimo iacto fundamento, est prima sententia hanc non esse diuisionem, sed enumerationem vocis ambiguę in sua significata, in hac siquidem diuisione nihil diuidimus, sed tantum enumeramus significata diuersa huius vocis substantia. Vnde sensus diuisionis erit substãtia alia est prima, & alia secunda, id est res quę nomine substantiæ significantur, quædam primo, & alię secundo hoc nomine insignitę fuerunt. Hanc sententiam sequuntur Græci, Simpli.

Reiicit.

Ammo, Dexippus, & inter recentiores Villalpandus in commenta. huius loci. Verum hæc sententia falsa est, quia in diuisione vocis homonymæ membra diuidentia præter nomen nihil habent commune, vt in ea diuisione qua diuidimus canẽ in cæleſtem, domeſticum, & marinum, canes qui sunt membra diuidentia, nihil habent præter nomen commune: at substantiæ primæ, & secundæ, quæ sunt huius diuisionis membra diuidentia, præter nomen substantiæ, aliquid habent commune, nimirum esse per se, & non esse in alio tanquam in subiecto. Quare non potetit diuisio hæc esse enumeratio vocis ambiguæ in sua significata. Secunda opinio est quorundã recentiorum, vt auctor est Villalpãdus, & in qua quidam Scotistæ in Commenta. huius loci extiterunt, esse diuisionem hanc generis in species, quia inquiunt, id quod diuiditur est substantia, quam esse genus nullus certe est qui dubitet. Nihilominus hæc sententia exploditur primo, quia inter species quę diuidunt aliquod genus, vna non potest secũdum essentiam de altera prædicari: sed substantiæ secundæ prædicantur de primis: ergo illæ non diuidẽt genus aliquod superius. Iam. Inter species quę diuidunt aliquod genus vna perempta non perimitur altera, quia inter se nullum retinent ordinem prioris, & posterioris: at perẽptis primis substantiis, pereunt etiã secundæ, vt inquit Arist. in hac catego. quare substantiæ primæ, & secundæ, non erunt differentiæ diuidentes aliquod genus: ac proinde neq. hæc diuisio erit generis in species. Falluntur tamen hi auctores ex eo putantes hanc esse diuisionem generis in species, quia substantia est genus supremum, nam hæc quæ est genus supremum, non est res diuisa, sed membrum diuidens, vt iã in principio quæstio. adnotauimus.

2. opin. Petrus Tartar. Reiicit. 1. Arg. 2. argu.

Tertia opinio est Louaniensium esse hanc diuisionem accidentis in accidentia, nam res diuisa est notio

3. Opin. Louani.

substantiæ, membra vero diuidentia sunt notiones primæ & secundę substantiæ, at notio substantiæ in communi, notiones etiam primæ, & secundæ substantiæ, accidentia quę dam sunt rationis. Hæc etiam opinio non assequitur veritatẽ, quia in diuisione accidentis in accidentia, res diuisa non prædicatur secundum essentiam, sed secundum accidens de membris diuidentibus, vt quando diuidimus candidum, in sapiens, & insipiens, candidum, quod est res diuisa, secundũ accidens prædicatur de sapiente, & insipiente: accidit siquidem sapienti, vel insipiẽte, esse candidum, vel atrum: sed notio secunda substantiæ non accidit notioni secundæ, substantiæ secundæ, vel primæ, est enim notio substantiæ in communi ratio quædam per se existendi, quæ certe non accidit substantiæ primæ, neque secundæ: ergo non erit hæc diuisio accidentis in accidentia.

Reiici tur.

4. opin.

Quarta opinio est Burlęi, Mercadi, & quorundam aliorum, qui putant esse diuisionem subiecti in accidentia, nam res diuisa est substãtia, quæ est subie. membra verodiuidẽ. sunt notio primæ & secundæ substantiæ, quæ sunt illius accidentia. Quę certe opinio si intelligat in hac diuisione, solam diuisionem subiecti in accidentia contineri, errat maxime, cũm præter illam, alia etiam diuisio contineatur, vt in assertionibus ostendemus: si vero præter illã aliam faciat diuisionem, hanc & nos sententiam amplectimur.

5. Opin.

Quinta opinio est apud viros gra ues communior multo, esse hãc diuisionem analogi in analogata. Sequuntur hanc D. Tho. q. 2. de poten. articu. 7. ad 6. B. Alber. Magn. Mag. Soto, Caieta. Toletus, in comment. huius cap. Iauellus 5. metaph. q. 17. & plerique ex recentioribus, quæ sane sententia verissima est, atque ita ad eam explicandam animaduertendum erit rem diuisam huius diuisionis, vel posse esse notionem primã substantiæ, & naturam realem eiusdem, aut notionem illius secundam, quo animaduerso sit prima cõclusio.

1. Conc.

Si res diuisa fuerit natura primæ substantię proposita diuisio est subiecti in accidentia, quemadmodum & diuisio hominis in candidum, & atrum. Confirmatur. Illa diuisio in qua res diuisa est subiectum, membra vero diuidentia sunt illius accidentia, est diuisio subiecti in accidẽtia: sed in hac diuisione res diuisa est subiectum, membra vero diuidentia sunt accidentia, accidit enim substantiæ esse primam, vel secundam, ergo proposita diuisio erit [illegible] ti in accidentia. Præterea. [illegible] uisio est eadem cum illa qua diuiditur substantia in vniuersam, & singularem, quia substantia secunda est vniuersa, prima vero singularis: sed diuisio substantiæ in vniuersam, & singularem, est subiecti in accidentia, ergo & diuisio substantiæ in primam, & secundam, erit subiecti in accidentia.

1. Arg. 2. Arg.

Secunda conclusio. Si res diuisa in hac diuisione fuerit notio substãtiæ, proposita diuisio est analogi in sua analogata. Confirmatur. Illa diuisio in qua diuisum prędicatur per prius & posterius de membris diuidentibus, est analogi in analogata, qualis est diuisio sani in animal sanum, vrinam, & medicinam sanam: sed in diuisione proposita res diuisa prædicatur per prius & posterius de membris diuidentibus, ergo erit diuisio analogi in analogata. Confirmatur assumptio. Ratio vel notio substantiæ est per se existere, vel vt alij dicunt subiici accidentibus, sed vtraque ratio prius dicitur de pri-

2. Con.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ma, quam de secunda, nam prima, primo & per se cohæret, tum etiam primo, & per se subiicitur accidentibus: ergo in proposita diuisione res diuisa prius de prima substantia, & posterius de secunda dicetur.

QVAESTIO IIII. AN *substantiæ primæ sint magis & perfectiores substantiæ, quam secundæ.*

LOnga satis & diffusa oratione in cap. contulit Aristo. substantias primas cum secundis, & secundas cum primis, atque inter se, asserēs substantias primas esse magis substantias, quam secūdas, verum quia non desunt qui contrarium asserāt putentque Aristot. non ex propria sententia, & opinione, sed iuxta morem vulgi has primas magis substantias appellasse, quia sunt magis sensibus familiares, erit hæc res diligēter examinanda. Sit igitur primum

1. argu. argumentum aduersus hanc sententiam Aristo. Species sunt magis institutæ à natura, quam indiuidua, imo indiuidua non videntur ob alium finem, nisi ob conseruationē specierum institutа: sed illud quod est magis & per se institutum, est perfectius, & lōge nobilius: ergo species erunt longe nobiliores, quam indiuidua, & ex consequenti substantiæ secundæ quam primæ.

2. Arg. Secundum. Substantia non recipit magis & minus, vt Aristo. in cap. docebat, ergo substantia prima non erit magis substantia quam secunda, nam si esset, haud dubie susciperet magis & minus.

3. Arg. Tertium. Propter vnumquodq. tale, & illud magis debet esse tale ex 1. lib. de demonstra. cap. 2. sed substantiæ primæ subiiciuntur multis attributis, & accidentibus propter secundas, ergo magis subiicientur secundæ, quam primæ, ac proinde erunt magis substantiæ. Confirmatur assumptio. Petrus v. g. ex eo subiicitur animali, corpori viuenti, & substantiæ, tum proprietatibus horum generum, quę sunt accidentia, quia homo omnib' illis subiicitur, ergo magis subiicietur homo his attributis quam Petrus.

Addo substantiam dictam esse à 4 argu. subiiciendo, sed substantiæ secundæ magis subiiciūtur quam primę, ergo erunt magis substantiæ. Confirmatur assumptio. Homo v. g. qui est substantia secunda, pluribus subiicitur, quam Petrus, qui est substātia prima, nam subiicitur eisdem, quibus subiicitur Petrus, & multo pluribus nimirum accidētibus, quę sunt in Dominico, Vincentio, Thoma, & Antonino, & in aliis indiuiduis naturæ humanæ.

Verum quid immoramur in congerendis pluribus argumentis cum 5. argu. Arist. in metaphy. lib. 8. cap. 1. vbi de rebus omnibus differuit accuratissime, aperte suam sententiam proferens docuerit substantias vniuersas esse magis substantias, quam singulares: verba illius sunt, *Præterea alio modo genus magis* (subintelligendum est substantia) *quam species, & quod vniuersum est quam res singulæ.* At substantia vniuersæ sunt substantiæ secundæ, singulares sunt primæ, quare substantiæ secundæ erunt magis substantiæ, quam primæ.

His & aliis argumentis sibi per- Opinio. suadere potuerunt quidam Philosophi periti, substantias primas neq. esse magis, neque perfectiores substantias quam secundas, quod si Arist. contrarium in cap. asserere videatur, id certe populari ratione docuit, vt & multa alia quæ in his categoriis dialecticis tradita fuerunt, nam in metaphysicis vbi de rebus subtili

subtiliter, & accuratè differit contrarium docuit, vt constat ex illa auctoritate ex 8. metaphy. proposita. Ita Ammonius & Villalpandus constituerunt.

Opinio. Contra tamen sentiunt interpretes omnes Græci, Latini, & Arabes in commenta. huius cap. qui incunctanter asseuerant substantias primas esse magis substantias quam secundas, esseque ipsis perfectiores, lō geque nobiliores, quorum sententiam, vt explicemus sciendum est substantiam dictam esse, vel à subsistendo, vel à per se existendo, vt postea explicantes quænam sit ratio substantiæ, in communi ostendemus. Vnde vt colligamus quænam sit magis substantia quam altera, ali quā ex his rationibus inspicere debemus, si enim aliqua magis alicui conuenerit, colligere profecto licebit illam esse magis, aut minus substantiam nuncupandam, sit igitur

Concl. conclusio.

Substantiæ primæ, magis sunt, & perfectius substantiæ, quam secundæ. Esse magis substantias, cōfirmatur imprimis testimonio Aristo. qui

2. argu. ex professo hanc rem pertractandā suscipiens in hac catego. docet substantias primas magis esse substantias, quam secundas. Neque ferendū est quod Ammonius, & Villalpandus dicunt Arist. hoc docuisse morem sequens vulgi, apud quem hæ substantię tanquam cognitu facilio res magis substantiæ nuncupantur. Etenim quamuis admittamus Aristo. aliquando populari ratione de catego. in Dialectica disputasse, vt in cap. sequenti de quantitate ostēdemus, at quando ex instituto, & nō obiter de rebus ipsis differit (vt euenit in hac re) non populari ratione, sed ex propria sententia, & opinione, intelligendū est ipsum de ea dis-

2. Arg. seruisse. Secundo. Substantia vel dicitur à subsistendo, vel à subiiciendo, vel à per se existendo: sed iuxta vtramque rationem substantiæ primæ sunt magis substantiæ, quam secundæ, ergo simpliciter & absolute substantiæ primæ erunt magis substantiæ quam secundæ. Confirmatur assumptio. Imprimis si ratione subsistendi, vel subiiciendi inspicia mus, substātiæ primæ pluribus subiiciuntur, quam secundæ, subiiciuntur siquidem omnibus quibus secūdæ subiiciuntur, & nōnullis quibus secundæ subiici nequeūt, vt Petrus subiicitur omnibus quibus homo, & præterea subiicitur ipsimet homini, cui quidem homo subiici nequit: ergo in ratione subsistendi substantiæ primæ erunt magis substantiæ, quam secundæ. Secundo. In ratione per se existendi esse magis substantias confirmari potest, quia magis per se existunt, quam secundæ, quia à se & in se existunt: substantiæ vero secundæ à primis, & in primis habent existentiam, atque ita docebat Aristo. secundas egere ope primarum vt existant: nam primis inquit sublatis nihil loci relinquitur secundis.

Præterea esse perfectiores primas, quam secundas, ex eo colligi poterit quod existentia magis, & prius conueniat primis quam secundis: at perfectio & nobilitas alicuius ex existētia peti debet, quæ principem locū nobilitatis sibi vendicat, vt 2. lib. Transcen. cap. 5. docuimus: erūt igitur substantiæ primæ magis substātiæ, & longe perfectiores quam secundæ.

Iam ad argum. quæ in initio proposuimus. Ad primum respon. ne- Ad 1. argum. gando assumptionem, quia perfectio alicuius ex existētia peti debet, quę certe prius, & magis in substantiis primis, quam in secundis reperitur. Addo primas nō egere aliquo sustē

tantę, vt existāt, quod profecto maximam nobilitatem præse ferre videtur: at secundæ primis ægent, velut subiectis, in quibus cohæreant.

Ad 2. Ad secundum respō. substantias posse conferri inter se, vel eas quæ sunt eiusdem, aut quæ sunt diuersi ordinis. Si conferantur substantiæ quæ sunt eiusdem ordinis inter se, non est vna magis substantia, quam altera, vt inter substantias primas vna non est magis substantia, quam altera: & inter species atomas, non est vna magis substantia quam altera, verum si substantiæ vnius ordinis, cum substantiis alterius ordinis conferantur, poterit substantia recipere magis & minus, nam substantiæ primæ sunt magis substantiæ, quam secundæ, & inter secūdas species quam genera, vt in cap. docebat Arist. atque ita recte poterunt substantiæ primæ esse magis substantiæ, quam secundæ cum sint primæ diuersi ordinis, à secundis. Aliam solutionem in hac sectione agentes de proprietatibus substantiæ trademus huic argumento.

Ad 3. Ad tertium respon. quod si de ratione substantiæ, quæ est per se existere agamus, argumētum nihil colligit aduersus nostram sententiam negandum siquidem erit conuenire existentiam illorum attributorū substantiis primis propter secūdas, imō ecōtra, competit substantiis secundis propter primas, nam ex eo homo existit animal, & corpus viuēs, quia Petrus v. g. existit animal & corpus viuens. Si vero agamus de substantia, vt subiicitur, vel subest superioribus, & accidentibus, resp. verum esse substantias primas subesse attributis essentialibus propter secundas, hę vero subsunt etiā multis accidentibus propter primas. Vnde in hac re se habent velut excedens, & excessum. Vincuntur tamen secundæ à primis, quia primæ ita sustentant, & sulciunt in se attributa superiora, atque accidentia, vt nō ægeant aliquo alio sustentante: at secundæ ita subsunt suis attributis, vt ægeant aliquo alio sustentante, nimirum substantiis primis.

Ad 4. Ad quartum distinguenda est assumptio, nā magis subesse duobus modis contingere potest, vno modo intensiue, & alio extensiue, subesse magis extēsiue, est pluribus subesse: subesse vero magis intensiue, est propria vi, & nō ratione alterius subesse. Substantiæ itaque secundæ subsunt magis extensiue, vt colligit argum. quia pluribus substāt: at primæ substant magis intensiue, quia per se, & propria vi, & non ratione alterius substant: secundæ vero hac ratione minus substant, quia non ratione sui, sed ratione primarum substant.

Vlti. argum. Ad vltimum respond: imprimis, substantias vniuersas dictas esse ab Aristo. eo loco magis substantias, quia pluribus substant extensiue: at primæ dictæ sunt magis substantiæ in hoc loco, quia pluribus substant intensiue. Ita respon. Toletus. Respondet secundo M. Sotus substantias vniuersas dici magis substantias, quia sunt magis perpetuæ, & magis auulsæ à materia, non autem quod magis per se existant, aut magis subsistant. Vera tamen & legitima interpretatio est, quam proponunt in eo loco D. Thom. Alexander, Auerroes, & Suesanus illa verba non esse proposita ab Aristo. ex propria sententia, sed ex opinione Platonicorum, qui constituebant ideas esse maxime substantias, quas ipsi substantias vniuersas appellabant. Ex illorum ergo opinione quasi colligens ex iis, quæ aduersus eos antea dixerat, inquit, si huiusmodi ideæ essent extra substantias singulares

lares collocandæ, quæ per se, & primo haberent naturam: sequeretur substantias vniuersas, cum sint huiusmodi ideæ, esse magis substātias, quam primas, quod quasi incōmodum infert, & non tanquam ex propria opinione illud profert.

QVAESTIO V. VTRVM *una substantia secunda sit magis substantia quam altera.*

COntulimus in superiori q. substantias primas cum secundis, conferamus iam secundas substantias inter se, perpendamusque sitne vna substantia secunda magis substantia, quam altera, vt nū vna species infima sit, magis substantia quam altera. Et quidem ita esse his tribus argu. possumus suadere. Primum petitum est ex Arist. qui lib. 3. metaphysi. cap. 5. elementa vocat maxime substantias, at elemēta species sunt atomæ, & indiuiduæ, iam ergo vna species erit magis substantia quam altera.

1. Arg.

2. Argu. Secundum. Substantia vocata est à substando, vel subiiciendo. sed vna species infima pluribus subiicitur quam altera: erit igitur vna magis substantia quam altera. Confirmatur assumptio. Gabriel (v. g.) & homo sunt species infimæ, sed homo magis subiicitur quam Gabriel, nam Gabriel tantum subiicitur accidentibus spiritalibus, & quā pauciſsimis attributis essentialibus, vt spiritui, substantiæ, & enti: homo vero subiicitur accidentibus corporeis, & spiritalibus, & pluribus attributis essentialibus, scilicet animali, corpori viuenti, corpori, substātiæ, & enti, ergo homo magis subiicietur quam Gabriel.

3. Argu. Præterea. Homo, & cygnus sunt species infimæ: sed cygnus pluribus subest quam homo: ergo vna species infima pluribus subesse poterit, quā altera, & ex consequēti vna erit magis substantia quam altera. Confirmatur assumptio. Homo tantum subest proxime vni generi intermedio, scilicet animali, cygnus vero subest duobus nimirum volucri, & bruto: ergo plurib⁹ suberit cygnus, quam homo.

At contra statuit Arist. intra species infimas omnes ex æquo esse substantias, & non esse inter eas vnam magis aut minus substātiam quam altera asseuerans. Sit tamen pro explicatione dubitationis prima conclusio. Inter substantias secundas species infimæ sunt magis substantiæ quam genera. Hanc docet Arist. in cap. Primo quia infimæ magis accedunt ad primas quæ sunt maximæ substantiæ, at quo aliquid magis accedit ad id quod est maxime tale tanto est magis tale. Secundo quia species magis naturam primarum sustantiarum exprimunt, quam genera: nam magis exprimitur quid sit Petrus nomine hominis quam nomine animalis: erunt igitur species infimæ magis substantię quam genera.

1. Conc. 1. Argu. 2. Arg.

Secunda conclusio. Inter genera vnum est magis substantia, quam alterum, etenim cum ex illis quædā magis accedant, & alia magis recedant à prima substantia, quæ magis recedent dicentur minus substantiæ, & quæ minus, magis substan. erūt: vt in catego. substantiæ animal erit magis substantia quam corpus animatum, & hoc quam corpus, & corpus quam genus supremum categoriæ. Hæc satis est nota, quia ex accessu, aut recessu eius quod est maxime tale, debent aliqua magis, aut minus, illius nominis appellationē subire.

2. Conc.

Tertia conclusio. Omnes species

 3. Conc.

infimæ sunt ex æquo substantiæ secundę, & non potest vna magis, quã altera subbstantia nuncupari. Hæc colligitur aperte ex Arist. in cap. & ex interpretibus Ammoni. Simpli. Porphy. in interroga. in cap. de substan. cap. 11. Caieta. Iauello, & aliis. Cõfirmatur primo quia omnes species infimæ ex æquo distant à substantiis primis. Secundo quia omnes ex æquo exprimunt naturam substantiarum primarum, quare cũ ex accessu ad primas vel recessu ab eisdem sit appellatio substantiæ alicui tribuenda, omnesque ex æquo species infimæ ad primam substantiam accedant, non erit vna quam altera magis substan. nuncupanda.

Non desunt quidam recentiores qui putent hanc assertionem intelligendam tantummodo esse de speciebus infimis, quæ sub eodem genere proximo continentur. nã si cõtentę fuerint sub diuersis generibus proximis, vna recte poterit esse magis substantia, quam altera v. g. equus non est magis substantia quã leo, quia ambo sub eodem genere proximo (nimirum bruto) continentur: verum cygnus qui continetur sub diuerso genere proximo, scilicet sub volueri, erit magis substantia quam leo, quia pluribus subsłat, etenim subsłat bruto, cui subsłat leo, & subsłat volueri, cui leo subesse nullo modo potest. Cæterum horũ virorum limitatio gratis, & absque vllo fundamento est proposita, nã cum Arist. absolute, & absque vlla distinctione profiteatur (in hac catego) inter substantias secundas, species infimas non esse quasdam magis substãtias, quam alias, quorsum quæso erit huiusmodi limitatio ponenda, cum neque à Græcis, neq. à veteribus Latinis interpretibus fuerit illa adhibita? Quam autem futile sit fundamentum illorum, ex eo quasdam species infimas esse magis substantias, quam alias, quia pluribus substant, in solutione 3. argu. quæst. ostendemus.

Confut. eius.

Ad argumenta igitur quæ in initio proposuimus ita occurrimus. Ad primum dicimus Arist. vocasse elementa magis substantias, non quia naturam & essentiam substantiæ magis quam aliæ substantiæ secundæ obtineant, sed quia sunt magis nobis nota, quam aliæ substantiæ secundæ. Quę sine interpretatio optima est & ex eodem Aristo. hausta, qui cum iterum 7. lib. metaphy. cap. 2. de hac re sermonem habuisset, inquit corpora (nimirum elementa) ex eo esse magis substantias, quia sunt omnibus notissima, verba illius sunt. *Essentia* (idest substantia) *autem in corporibus inesse clarissime videtur* In qua auctoritate Arist. aperte satis exprimit id quod in 3. lib. docuerat. Ad 1. argumenta.

Ad secundum respon distinguendo assumptionem, nam duobus modis possunt aliqua magis subesse intensiue, & extrinsiue: illa subsunt extensiue, quæ pluribus subsunt: illa vero magis subsunt intensiue, quę quibus subsunt, maiori vi, & facultate subsunt. Itaque homo magis subest, extensiue, quam Gabriel, quia pluribus subest, vt probat argumentum, non tamen subest magis intensiue, neque enim maiori vi, & facultate subest quibus subest, quam subsit Gabriel, etiam iis quibus ipse subest Verum quia substantia non à subesse extensiue, sed intensiue dicta fuit, quamuis homo pluribus subsit extensiue, non propterea erit magis substantia quam Gabriel. Ad 2.

Ad tertium respondent Louaniẽses admittentes cygnum pluribus subiici, quam homo, negant tamen inde sequi illũ esse magis substantiam, quia præter maiorem subiectionem ad magis substantiam requiritur aliud, vt quod subest, subsit illi, in habitudine ad quod dicitur magis substantia, & quia cygnus non subest homini, propterea quãuis pluribus subsit, non erit magis substantia quam ille: at homo est magis substantia quã animal, quia pluribus subest, & quia subest eidẽ animali, ad quod collatus dicitur magis substantia. Verum hæc sentẽtia Louanien sum nulla est, & Arist. apertissime aduersatur, ex illa siquidem sequeretur Petrum non esse magis substantiam, quam sit equus, quia quamuis pluribus subsit, quã equus, non tamen subest equo in habitudine ad quem dicitur magis substantia, quod certe repugnat Arist. absolute in cap. dicẽti, omnem substantiam primam esse magis substantiam qualibet alia substantia secunda. Quare hac solutione preter missa respon. eo modo quo satisfecimus in superioris argu. solutione, cygnum magis subiici extensiue, quam hominem, quia pluribus subest, non tamen subiici magis intensiue, quia quibus subest non maiori vi, & facultate subest, quam subsit homo his quibus ipse subest. Ad. 3. Solutio Louani. Solutio propria.

QVAESTIO VI. AN PER se existere sit essentia substantiæ, necne?

EGimus de primis & secundis substantiis in superioribus quæstionibus, sequitur vt de ratione & quidditate vtriusque in hac quæstione disputemus, querimus igitur sitne hæc ratio per se existere, vel subiici superiori. & accidentibus, vel aliqua alia necne? Et certe per se existere non esse rationem substantiæ, immo potius subiici hæc argumenta confirmant. Primum 1. Arg. petitum est ex Aristo. qui in hac Categoria ex eo confirmat substantiam primam esse magis substantiam, quia pluribus subest, iam ergo subesse erit propria ratio substantiæ.

Secundum. Aristo. in hac eadem categoria tradens proprietates substantiæ inquit posse recipere contraria cum sui mutatione esse maxime proprium huius categoriæ: ergo ratio illa quæ nomine huius proprietatis declarabitur erit ratio, & essentia illius, quia proprietates & accidẽtia nos manuducunt ad latentem essentiam intelligendam, vt testatur Aristo. 1 de anima, cap. 1. sed nomine huius proprietatis exprimitur subiectio substantiæ ad accidentia, etenim ex eo aliquid potest recipere contraria, quia potest subiici illis, ergo subesse erit propria ratio substantiæ. 2. Arg

Præterea. Humanitas Christi est vera substantia, at illa nõ existit per se, ergo de ratione substantiæ non erit per se existere. Confirmatur assumptio, quia humanitas Christi non habet propriam, & peculiarem existentiam humanam, sed existit per existentiam verbi diuini, vt auctor est D. Tho. 3. par. q. 17. artic. 2. ergo humanitas Christi non per se existet. 3. Arg.

Addo. Si per se existere esset ratio substantiæ, vel esset per se existere actu, vel aptitudine: sed nihil ex his dici potest, non ergo per se existere ratio substantiæ. Confirmatur assumptio. Im primisq. per se existere actu non esse rationem, confirmatur ex argumẽ. proxime effecto de humanitate Christi, quæ est substãtia, & non existit per se actu propria existentia. Deinde neque existere aptitudine esse rationem, confirmatur de partibus integrantibus, quæ 4. arg.

non habent aptitudinem vt possint per se existere sine toto, quæ tamen sunt veræ substantiæ. Confirmatur etiam de materia prima quæ est vere substantia, & non potest existere per se absque vlla forma iuxta placita D. Tho. ergo per se existere aptitudine non erit ratio substantiæ.

5. Argu. Iam. Si ens per se existens esset ratio substantię, sequeretur vel in hac diffinitione committi nugationem vel esse per se, esse nihil, quod ita cõfirm. Vel dictio per se includit ens, vel non includit, si non includit, ergo est nihil, nam quod non includit ens, nihil est: Si vero includit, ergo bis repeteremus ens, semel nomine proprio, quando dicimus ens, & iterum quando dicimus per se existẽs, quare committeremus nugationẽ, quæ omnia cum sint manifesta absurda, sequitur hanc non esse rationem substantiæ.

1. Opin. Non est eadem interpretum sentẽtia in assignanda natura, & ratione substantiæ. Græci Porphy. in interrogatio. in cap. 1. de substantia, & Dexippus cap. 17. lib. 2 quæst. putãt illam esse constitutam in eo quod est non esse in subiecto.

2. Opin. Seuerinus Boetius, & multi ex Latinis existimant rationem eius esse subiici accidentibus, & substantiis secundis, hoc enim substantiæ nomen præ se ferre videtur, nam substantia à substando, vel à subiiciendo deducta esse videtur.

3. opin. At alij grauissimi viri putant rationem illius esse pe per se existere, vel (quod idem est) per se cohærere, quæ legitur in lib. de causis in hũc modum. *Substantia est quæ per se stat.* Quamuis hic liber, vt Franciscus Patricius annotat li. 4. discussionũ peripateticarum, non est Aristo. sed cuiusdam posterioris Arabis. Eandẽ D. Damascenus in sua dialectica ca. 23. sequitur, substantiam in hunc modum diffiniens. *Substantia est res per se existens non indigens altero ad consistentiam.* D. etiam Thomas opusc. 42. de natura generis cap. 10. hanc eandem amplectitur opinionem, quam denique fere omnes recentiores uno consensu profitentur.

Hanc igitur sententiam vt explicemus animaduertimus in primis nomine substantiæ, nos non intelligere substantiam in illa angusta significatione, in qua significat genus supremum catego. aut id quod in recta serie continetur, sed ipsam in late patente illa significatione, in qua significat oẽ id cꝙ nõest accidẽs. Iterum adnotamus in vnaquaque re illam esse ipsius rationem constituendam, quæ rei primo conuenit, nihil n. prius in re est, quam ipsius essentia, atque natura, vnde & Aris. docebat 7. metaphy. cap. 4. essentiã esse quod per se, & primo de re dicitur.

1. Obserua.

2. Obserua.

Sit igitur prima conclusio. Ratio, & essentia substantiæ, non est non esse in aliquo tanquam in subiecto. Hanc aduersus Porphy. & Dexippũ profitemur, quam primo confirmamus. Nulla negatio est alicuius natura, & essentia constituenda, sed non esse in aliquo tanquam in subiecto, est negatio: ergo non erit hæc, ratio & natura substantię constituẽda. Iam. In vnaquaque re illa est ratio, & essentia assignanda, quæ primo illi competit, sed non esse in aliquo tanquam in subiecto non competit primo substantiæ, non ergo hæc poterit esse illius ratio, & natura. Propositio constat ex illo quod secũdo loco admonuimus: cõfirmatur assumptio. Omnis negatio debet inniti alicui affirmationi, & entitati positiuæ, quæ primo rei conueniat, vt non lapis (in homine) innititur rationis participi, cum quo non potest lapis cohærere, quod primo

1. Conc.

1 argu.

2 Argu.

mo homini adaptatur: ergo non esse in aliquo tanquam in subiecto innitetur alicui affirmationi, & entitati positiuæ, quæ primo substantiæ cõueniat, quare hæc non poterit esse ratio illius. Addo non esse in subiecto constitutum esse ab Aristo inter proprietates substantiæ, non igitur poterit esse illius natura.

2. Conc. Secunda conclusio. Subiici accidentibus non cõstituit naturam, & essentiam substãtiæ. Confirmatur

1. Conc. aduersus Boetium primo, quia substantia non diffinitur per habitudinem ad accidentia, ob hanc siquidẽ causam docuit Arist. 7. metaphy. capit. 1. illam esse priorem diffinitione, quia non diffinitur per accidentia, cum hæc per illam diffiniri debeant: sed subiici accidẽtibus denotat habitudinem ad accidentia, ergo

2. Arg. non erit hæc ratio illius. Secundo. Quia si hæc esset ratio illius, diffiniretur substantia per aliquid additũ, & extrinsecum, nam diffiniretur per accidentia quibus subesset, vnde fieret naturam illius non esse absolutam, sed ab alio dependentem, quæ certe cum substantiæ nullo modo possint conuenire, illius ratio non erit subiici, vel subesse accidentibus.

3. Conc. Tertia conclusio. Neque illius ratio est subesse attributis essentialibus. Confirmatur aduersus eundẽ, quia quod non conuenit rei primo, non potest esse illius ratio, atque natura: sed subesse attributis superioribus non competit primo substãtię: non ergo poterit esse illius natura. Confirmatur assumptio. Prius aliquid in se est, quam ad aliud referatur (loquor in naturis absolutis, vt est substantia) sed subesse attributis superioribus, est referri ad aliud: ergo prius substantia in se erit, quã quod ad illa referatur. At in illo prius substantia iam habet naturam, ergo subiici superioribus non poterit esse natura substantiæ. Addo rationem debere esse communem omni substantiæ, at subiici attributis (sy non ymis intelligo de quibus hic agimus) non est commune omni substantiæ, nam imprimis genus supremum categoriç nulli subest. Deinde substantia vt denotat quidquid nõ est accidens, nulli subest: non igitur subesse superioribus erit illius ratio & natura.

Quarta conclusio. Per se existere erit ratio substantiæ, vel (vt cum aliis conueniamus) per se cohærere. Hanc tanquam communiorem cum D. Damasceno, D. Thoma, & aliis cõstituimus. Et confirmatur primo, quia eorum quæ sunt analoga debet esse eadem ratio secundum analogiam: sed Deus, & substantiæ creatæ (quæ solæ in hac catego. continentur) analogantur in substantia, sicuti & in ente, & in omnibus attributis essentialibus, ergo habebunt eandem rationem substantiæ communem secundum analogiam: sed ratio substantiæ in Deo est per se existere, non autem subiici accidentibus, quia in Deo nulla sunt accidentia, ergo & per se esse erit ratio substantiæ creatæ, & quæ intra limites huius categoriæ continetur. Secundo. Quemadmodum sese habent accidentia ad esse in alio tanquam in subiecto, ita & substantia adesse per se, nã esse per se, & in alio sunt duo quidam generales modi contrahentes ens ad substantiam, & ad accidẽtia: sed ratio & natura accidẽtis est esse in aliquo tanquam in subiecto, ergo ratio substantiæ erit existere per se. Verum cum hoc duobus modis possit euenire, vel secundum actũ, vel secundum aptit. sit 5. concl.

4. Con.

1. Arg.

2. argu.

Essentia substantiæ est per se existere secundum aptitudinem, & nõ secundum actum. Hãc apertissimis

5. Arg.

verbis

Universidad de Deusto Biblioteca

verbis profitetur D. Th. 3.p.q 77. arti.1.ad 2. vbi inquit, quidditatem substãi æ esse aliud, cui debetur esse per se, & nõ in alio tanquam in subiecto, ac si diceret naturam substantiæ nõ esse actu esse per se, sed posse esse per se, aut habere aptitud. ad per se existẽdum. Confirmaturque primo. Eo modo quo se habent accidentia ad esse in aliquo tanquã in subiecto, quoq. se habet substan. ad esse per se: sed ratio, & essentia accidentium non est esse in subiecto secundum actum, sed secũdum solam aptitudinem: ergo essentia substantiæ non erit esse per se secundum actum, sed secundum aptitudinem.

1. Arg.

2. Arg. Iã. Humanitas Christi Domini est vera, & legitima substantia, quæ tamen actu non existit per se propria existentia, sed secundum solã aptitudinem: ergo ratio substantiæ non erit esse per se actu, sed sola aptitudine, & potestate.

Satisfaciamus iam argumentis, quæ in initio proposuimus. Ad primum respon. rationem propositam ab Arist. esse à posteriori, non à priori, nam quia substantia prima maxime subest, colligimus tãquã per effectum, substantiam primam maxime per se cohærere, nam quæ maxime subsunt, maxime per se existũt, & ita colligimus esse maxime subsubstantiam.

Ad t. ar gum.

Ad 2. Ad secundũ respon. dubium esse sitne hæc proprietas quarto modo substantiæ, vt infra explicabimus. Verum quamuis admittamus esse proprietatem quarto modo respon. posse recipere contraria à duobus principiis promanare, ab vno proximo, & ab altero remoto, proximũ est posse illis subiici, aut subesse, remotum vero per se existere, nam ex eo quia substantia per se existit, habetque firmam, & constantem entitatem, potest in se fulcire, & recipere contrarias qualitates. Cum igitur in vnaquaque re illa sit ipsius ratio assignãda quę primo illi competit, non subiici, sed per se cohærere erit illius natura.

Ad tertium respon. primo humanitatem Christi per se existere, quãuis non propria sed aliena existentia, scilicet verbi, neque enim est necesse ad rationem substantiæ, vt res existat existẽtia propria: etenim materia prima est vera, & legitima substantia, quæ tamen non existit propria, sed aliena existentia, formæ nimirum. Iterum dicimus humanitatem Christi etiam aptitudine existere propria existentia, nam est nata & apta vt ab ea profluat propria, & humana existentia, quæ certe ab ea fluxisset, nisi à verbo diuino (illam supponente) fuisset præuenta, ratio autem substantiæ non est per se existere actu, sed aptitudine, aut potestate. Ad 3.

Ad quartum dicimus essentiam substantiæ esse per se existere aptitudine. Ad impugnationem vero respon. posse per se existere, vt in hoc loco sumitur pro notione substantiæ, non denotare posse esse sine alio, vel ab alterius existẽtia posse separari: sed habere entitatẽ firmã, & constantem, à nullo tanquam à subiecto dependentẽ, qua ratione tãpartes, quam materia prima per se existunt, quia non habent entitatem vel minimam ab alio, tanquam à subiecto dependẽtem, namneq. partes sunt in toto tanquam in subiecto, neque materia à forma tanquã à subiecto continetur, ac proinde vere, & proprie ratio substantię illis adaptabitur. Ad 4.

Ad quintum respon. negando primam consequentiam, neque enim in hac oratione, ens per se existens, committimus aliquam nugationẽ, quia in nugatione bis idem repetitur expresse, & eodem modo, at in illo modo qui est per se existere, non exprimitur ratio entis eodem modo, imo potius ratio substantiæ sola est quæ illa dictione declaratur. Ad 5.

QVAEST. VII. ANTRES priores proprietates substantiæ sint recte tradite ab Aristo.

1. argu. ADuersus primam proprietatem substan. traditam ab Arist. est primum argu. Omnis proprietas denotat entitatem aliquam positiuam, sed non esse in aliquo tanquam in subiecto non denotat huiusmodi entitatem, (quia est negatio) ergo non erit proprietas substantiæ.

2. Arg. Secundum. Elemẽta sunt in mixto, cum omnia mixta ex illis coalescant, sed elementa sunt substantiæ, ergo substantia erit in aliquo tanquam in subiecto.

3. Arg. Tertium partes, & differentiæ, non sunt substantię, quia non denotant naturam integram, quæ sola in categoria substantiæ comprehendi tur, at illis competit non esse in aliquo tanquam in subiecto, nam esse in subiecto est esse in aliquo non tãquam pars, ergo non erit proprietas substantiæ, cum conueniat aliis à substantia.

4. Arg. Iam concreta accidentium vt album, v.g. non significant substantiam, sed qualitatem, sed hæc concreta non sunt in aliquo tanquam in subiecto, nam albam nulli inhæret, ergo hæc proprietas conueniet aliis à substantia, ac proinde non erit proprietas illius.

5. Argu. Addo aduersus secundã proprietatem, quæ est synonyme, aut vniuoce prædicari, hanc non conuenire omni substantiæ, nam non competit primis, à quibus nulla potest fieri attributio, vt inquit Aristo. in hac categoria. Præterea neque competit soli, nam competit generibus, & formis categoriarum accidentiũ, quæ prędicantur inquid, & synonyme de naturis sibi subiectis, non igitur erit hæc proprietas substantiæ.

6. Arg. Iterum contra tertiam proprietatem. Si substantię secundæ significarent quale quid, ergo dicerentur in qale, ergo substantię secundę neque essent genera, neque species, quia genera & species, in quid prędicantur, & non in quale. Deinde hæ eędem substantię secundę, habent certa, & diffinita attributa, ergo significabunt hoc aliquid, quia rem certam, & diffinitam designant, quare non recte docuit in hac proprietate Arist. substantias secundas non significare hoc aliquid. His igitur, & aliis leuioribus argumentis, poterunt labefactari ea quę de his proprietatibus ab Aristo. fuerunt proposita.

Verissima affirmantur quæ dicta sunt ab Arist. At esse verissima ea quę ab eodẽ de his proprietatibus tradita fuerunt & illius testimonio, & ex omnium dialecticorum consensu possumus cõfirmare. Legendi sunt Simplicius, Ammonius, Boetius & Caieta. in commen. Porphy. in interrogatio. Dexippus 2. lib. quęst. cap. vltimis B. Albert. mag. tract. 2. categoriarum cap. 6. 7. & 8. M. Soto quęst. 2. huius categorię qui abunde satisfacit his & aliis difficultatibus à calumniatoribus propositis, occurerunt.

Obserua circa 1. propri.

Circa primam animaduertendũ est substantiam posse sumi vel pro ea tantam quę est in recta serie categorię, in qua tantum naturæ integrę continentur: vel vt est diuisa contra accidens, sub qua naturę incompletę, vt partes, & differentię continentur. Si substãtia fuerit primo modo sumpta, hęc proprietas non est quarto modo, sed secundo, quia

quia competit omni, non tamen soli: nam competit subſtātiæ integræ, quæ in recta ſerie categoriæ eſt comprehenſa non tamen ſoli, cum conueniat partibus, & differentiis, quæ non ſunt in aliquo tanquam in ſubiecto. Si vero ſumpta fuerit in ſecunda ſignificatione, habet modū proprietatis quarto modo, quia competit omni, ſoli, & ſemper, & reciprocatur cum ſubſtantia: non tamen eſt vera proprietas, quia non denotat entitatem poſitiuam, qualem neceſſario debēt omnis proprietas quarto modo denotare.

Obſeru. circa 2. propric.

Circa ſecundam proprietatem ex M. Soto, Villalpando, & aliis annotandum erit, ſynonyme prædicari ſumi poſſe vel abſolute vel in habitudine ad primam ſubſtantiam. Si abſolute ſumatur, non eſt vera & legitima proprietas, ex illis quatuor quas recēſuit Porphy. in cap. de proprio. nam non competit ſoli non tamen omni, cum conueniat accidentibus vniuerſis reſpectu ſuorum inferiorum, de quibus dicuntur ſynonyme. Neque competit omni non tamen ſoli, quia non competit ſubſtantiis ſingularibus. Neque competit aliis duabus vltimis ſignificationibus, in quibus hæ duæ priores ſunt incluſæ, quare non poterit ita eſſe vera & legitima proprietas. Si tamen ſynonyme prædicari ſumptū fuerit in habitudine tantum ad primam ſubſtantiā erit proprium primo modo, quia competit ſoli, non tamen omni: nam cōpetit ſolis ſubſtantiis ſecūdis ita prædicari per mis, non tamen competit omni ſubſtantiæ, cum nō conueniat ipſis primis.

Obſeru. circa 3. proprie.

Circa tertiam proprietatem iam admonuimus in ſcholiis, quid eſſet ſignificare hoc aliquid, & quid prædicari in quale quid. Addimus nunc ex M. Soto, Cantero, & Toleto ſubſtantias ſecundas propter figuram appellationis poſſe ſignificare hoc aliquid, quia nimirum ſignificātur per modum ſuppoſiti, & ſubſtantię primæ, quæ ſignificat hoc aliquid, vt homo qui eſt ſubſtantia ſecūda, ſignificatur per modum ſuppoſiti, vt Petri, vel Pauli, qui hoc aliquid ſignificant, ideſt, ſubſtan. certam & diffinitam.

Iam ad argum. quę propoſuimus reſpon. facile & breuiter. Ad primū dicimus hāc negationem habere locum affirmationis, & entitatis poſitiuæ quæ eſt per ſe exiſtere, ac proinde poſſe habere locum proprietatis. Vel ex hoc argumento ſolum colligitur, non eſſe veram proprietatē, non tamen non habere modum illius, vt in prima obſeruatione docebamus. Ad 1. argumen.

Ad ſecundum dicimus elementa eſſe in mixto non tanquam in ſubiecto, ſed tanquam partes ex quibus illud coaleſcit: non quidem quod ſubſtantiæ elementorum refractæ remaneant, vt multi volunt, ſed quia vires & facultates eorundem in eis perſiſtant, vt in noſtra Phyſiologica de elemētis diſputatione (quę Deo auctore ſtatim euulgabitur) luculenter ſatis, & abunde oſtendemus. Ad 2.

Ad tertium iā diximus in prima obſeruatione, hanc habere modum proprietatis quarto modo ſi ſumpta fuerit ſubſtantia, vt eſt diuiſa contra accidens, & vt ambit differentias & partes, & eſſe proprietatem ſecundo modo ſi illa ſumpta fuerit, vt ſignificat naturam integram, in recta ſerie categoriæ comprehenſam, quia competit omni, non tamen ſoli cū conueniat differentiis, & partibus, quæ non continentur in recta ſerie. Ad 3.

Ad quartum dicimus concreta accidentium ratione ſignificati formalis, ſignificare accidens, & hac ratione eſſe in aliquo tanquam in ſubiecto: ratione vero ſignificati materialis non ſignificare accidens, ſed ſubiectum, & hac ratione, non eſſe in aliquo tanquam in ſubiecto. Ad 4.

Ad 5. Ad quintum, iam conſtat quid reſpondere debeamus ex ſecunda obſeruatione, quare non eſt cur illa iterum repetantur.

Ad 6. Ad ſextum, neganda eſt prima cōſequentia, quia prædicari in quale quid non eſt prædicari in quale, ſed eſt eſſe attributum quod ſecundum eſſentiam dicitur de ſubiecto, ea enim parte qua dicitur ſecundum eſſentiam, dicitur in quid, vt vero habet rationē attributi, dicitur in quale, quia omne attributum qualitatē ſignificat, vt in ſcholio vltimo admonuimus. Ad confirmationem, iā expoſuimus ibidem, & in tertia obſeruatione huius quæſtionis qua ratione ſubſtantiæ ſecundæ poſsint hoc aliquid ſignificare.

Præterea. Rationis particeps contrariatur experti: at vtrumque eſt ſubſtantia, ergo ſubſtantiæ aliquid erit contrarium. 4. Arg.

Iterum, non ſubſtantia opponitur ſubſtantiæ, erit igitur ſubſtantiæ aliquid contrarium. His & aliis huiuſmodi argumentis Plotinus, & alij veteres, vt teſtatur Simplicius, aduerſus hanc proprietatem ab Ariſto. traditam vtebantur. Sunt igitur in hac quæſtione explicanda tres opiniones. 5. Arg.

Prima eſt quorundam exiſtimantium ſubſtantiæ vere & proprie aliquid eſſe contrarium, quam ſententiam ſequuntur plerique Medici cōſtituentes qualitates primas, vt caliditatem, frigiditatē, humiditatem, & ſiccitatem eſſe formas eſſentiales elementorum, nam cum hæ qualitates inter ſe pugnent, ſi illæ ſunt ſubſtantiæ elementorum, elemēta quoque inter ſe pugnabūt apertiſsime. 1. Opin. Galenus 1. lib. de elementis, vt nos late docemus in noſtro 1. lib. de elemen.

Secunda opinio eſt Philoponi in commenta. in 2. lib. de ortu exiſtimantis ſubſtantiæ integræ, quæ totum eſt, nihil eſſe contrarium, ſubſtantię vero incompletæ aliquid cōtrariari, nam formę ſubſtantiales cōtrarianturinter ſe, & differētiæ quoque, quæ tantum ſunt ſubſtantiæ incompletæ. 2. Opin.

Tertia opinio eſt aliorum exiſtimantium ſubſtantiæ tam integræ, quam incompletæ nihil contrariari vera contrarietate, quam amplectūtur omnes interpretes Ariſt. in commenta. huius loci, Ammonius, Simplic. Porphy. Dexippus, Boetius, D. Alber. Magnus, & quamplurimi hos ſequuti: Quæ ſententia eſt verior, vnde vt illam explicemus, animaduertendum eſt duplicem eſſe contrarietatem, vnam propriam, & aliam impropriam. Impropria dicitur oppoſitio duorum extremorum quæ ſub eodem genere conſtituta maxime 3. opin. 1. Obſ. circa

Universidad de Deusto Biblioteca

me inter se distant, & eidem rei simul nulla ratione conuenire possunt, vt sunt particeps & expers rationis. Contraria vero propria præter hæc omnia exigunt, vt eidē subiecto vicissim insint á quo se mutuo expellant, nisi alterum inditum fuerit à natura.

2. Obserua. Animaduertendum est deinde substantiam sumi posse duobus modis, primo vt substantia est, seu ratione sui: secundo vero modo ratione qualitatem contrariarum quibus illa afficitur, vt homo sumi potest, vel ea ratione qua est homo, vel substantia: aut ea qua est candidus, vel ater, calidus, vel frigidus.

1. Conc. Sit prima conclusio. Substantiæ tam integræ, quam incompletæ nihil contrariatur vera contrarietate. Confirmatur. Subiecto communi omnibus contrariis nihil est contrarium: nam contraria se mutuò interimunt, subiectum vero fouet, & cōseruat ea quæ sunt in ipso: sed substantia est commune subiectum omnium contrariorum, ergo substantię nihil erit contrarium propria contrarietate. Hoc eodem genere argumenti vsus fuerat Arist. 1. Physico. cap 7. ad confirmandum materiam primam, neque esse contrariam formæ, neque priuationi, quia materia prima est subiectum commune vtriusque, hæc conclusio intelligenda est de substantia ratione sui.

2. Conc. Secunda conclusio. Substātiæ ratione qualitatum quibus afficitur, est aliquid contrarium propria contrarietate. Confirmatur. Ignis & aqua contrariantur ratione qualitatum primarū, quia ignis est calidus & siccus, aqua vero frigida, & humida: præterea homo candidus, & homo ater contrariantur inter se ratione qualitatum, quia candidus disgregat visum: at vero ater congregat.

3. Arg. Præterea inter animalia (quæ sunt substātiæ) datur contrarietas, vt lupus contrariatur oui, & canis feli, ratione temperamenti, & qualitatum, & quædem herbæ sunt noxiæ animalibus multis, cum interimāt illa ratione eiusdē temperamēti & qualitatū, & sic de aliis, ergo substantiæ ratione qualitatum aliquid est contrarium vera contrarietate.

3. Conc. Tertia conclusio. Substantiæ incompletæ aliquid contrariatur non vera, sed impropria contrarietate. Confirmatur. Duæ formæ eiusdem generis sunt contrariæ impropria ratione, quia inter se maxime distant, & eidem materiæ inesse simul nullo modo possunt, & eadē ratione duæ differentiæ substantiales sunt contrariæ impropria contrarietate, vt ostendimus luculēter in cap. de differen. sed tam formæ quam differētiæ substantiales sunt substantiæ incompletæ, ergo substantiis incompletis aliquid poterit esse contrariū contrarietate huius generis.

Ad 1. argum. Ex iis facile dissolui poterunt argumenta quæ in initio proposuimus. Ad primum respon. ignem & aquam non ratione sui, sed ratione primarum qualitatum esse contraria.

Ad. 2. Ad secundum respō. differentias & formas substantiales contrariari inter se impropria contrarietate, nō tamen propria.

Ad. 3. Ad tertium respon. nos non loqui (cum Arist.) de cōtrarietate priuatiua, sed de positiua, nam quamuis priuatiue, substantiæ aliquid contrarietur, positiue tamen nihil potest ei esse contrarium ratione sui, legitima, & vera contrarietate. Vel cū Simplicio dicimus formam, & esse substantiam & habitum, contrariatur itaque priuatio formæ, non vt est substantia, sed vt est habitus.

Ad 4. Ad quartum. Ammonius inquit negandum esse rationis expers aduersari participi: nam particeps conseruat, & procreat illud. vt Deus qui est particeps rationis bruta animalia, quæ ratione carent, produxit, & conseruat. Melius tamen dicimus hæc opponi impropria, & imperfecta contrarietate, qualis intercedit inter differentias, aut inter affirmationem, & negationem, quam inter substantias interuenire non negamus. Simplicius ex Iamblico quandam tradit solutionem quam poterit apud eum cōsulere qui voluerit neque enim illi, & mihi omnino satisfacit.

Ad vlt. Ad vlti. respon idem Simplicius multis verbis, & obscure satis, nos breuiter respon. dicimusque illam contrarietatem esse impropriam, & imperfectam, nam est inter negationem, & affirmationem.

QVAESTIO IX. AN SVBstantia recipiat magis & minus.

QVinta proprietas substātię erat. *Proprium est substantiæ non recipere magis, & minus.* Hanc substantiæ immerito concessam esse ab Aristo. hæc argumenta demonstrare videntur. Primum est. Arist. docet hoc in loco substantiam primam esse magis substantiam quam sit secunda, & inter secundas, secundas, species quam genera: ergo substantia recipiet magis, & minus.

1. Arg.

2. Arg. Secundum. Illa causa cuius effectus recipit magis, & minus debet etiam recipere magis, & minus: sed calor qui est effectus ignis recipit magis & minus, vt in ferro candente est maior calor, quam in ligno: ergo ignis recipiet magis, & minus, & cum sit substantia, substantia recipiet magis, & minus.

3. Arg. Tertium. Animæ hominum sunt inæquales, quemadmodum pleriq. Theologi grauissimi profitentur, vt Caieta. 1. p. q. 85. art. 7. Ferrar. 1. contr. gent. cap. 3. & Medina 3. p. q. 5. ar. 3. sed anima est substantia: iam ergo substantia recipiet magis & minus.

1. opin. In hac quæstione quidam existimant substantiam incompletam recipere magis & minus, docent enim formas elementorum intendi, & remitti. Dehorum numero primus est Auerroes 3. lib. de cœlo commenta. 67. ipsum sequitur Zimara Theorema. 1. vtrumque vero Paulus Pernumia in Philosophia, ipsis assentiuntur omnes tum Auerroistę, tum etiā & Scotistæ vnanimi consensu profitentes omnes formas (vnica excepta anima rationis compote) recipere magis, & minus.

2. Opin. Alij tamen permulti, ijque grauissimi, & acutissimi Philosophi constituunt cum Arist. substantiam neque integram, neque incompletam recipere posse magis, & minus. Quam sententiam vt & nos cum illis explicemus animaduertimus cū Caietano aliud esse rem aliquam habere perfectius esse, atque nobilius in vno, quam in alio, & aliud rem illam recipere magis, & minus, intendi vel remitti, animal siquidē perfectius multo, atque nobilius esse habet in homine, quam in equo, non tamen est magis animal in homine, quam in equo, quia ex equo vterque est capax sensus & appetitus. Cæterum vt aliquid vere & proprie recipit magis, & minus, debet esse præditum his duabus proprietatibus, prima est, vt res illa vehementius, aut minus vehementer subiecto imprimatur, etenim intentio vel remissio deducuntur á fidibus cytharæ, vel lyræ, quæ quando vehementius sonant, redduntque sonum acutiorem, dicuntur intense, at

1. Obseruatio.

tæ, at vero quando ædunt sonum graviorem, & minus vehementem dicuntur remissæ. Ad eundem igitur modum in accidentibus quando formę vehementer subiecto imprimētur, vocabuntur intensę, quā do vero non ita vehementer eidem imprimetur, dicentur remissę, vt similitas intenditur, aut remittitur, quādo vehemētius, aut minus vehementer imprimitur inipsis naribus.

2. Arg. Secundo annot. debere illud ꝙ recipit magis, & minus esse permixtū cum suo contrario auctore Arist. 5. lib. Physico. cap. 2. vt albedo intenditur, & remittitur quia est per mixta cum nigredine, intenditur quidē quando minus permiscetur cum ea remittitur vero quando magis permiscetur cum eadē. Hanc rem accuratissime explicat Ammonius in cōmentariis, quem legendum cōsulo.

1. Conc. Sit iam prima conclu. Inter substantias vna est nōbilior, longeque prestantior altera. Cōfirmatur quia primæ nobiliores sunt secundis, & inter secundas, species quam genera. Præterea substantiæ superiores prestantiores sunt inferioribus, & incorruptibiles corruptibilibus, iā ergo substantia vna est præstantior altera.

2. Conc. Secunda conclusio. Nulla substātia neque integra, neque incompleta (vt sunt formę) potest vere & proprie recipere magis, & minus. Confirmatur. Illa quæ proprie recipiunt magis, & minus debent (vt adnotauimus) vehementius, aut minus vehementer imprimi subiecto, præterea debent permisceri suo cōtrario: sed substantia neque est in subiecto, neque habet aliquid contrariū: ergo nulla substantia vere, & proprie potest recipere magis, & minus, quemadmodum etiam in hac proprietate profitetur Arist.

Ad 1. argumen. Dissoluamus iam argumenta proposita. Ad primum respon. imprimis Arist. per magis substantiam intellexisse perfectiorē substantiam, est ergo prima substantia, magis substantia, quam secunda, id est perfectior quia nobiliori modo per se cohæret, & subiicitur. Respon. dein de negando consequentiam, quia vt aliquid dicatur recipere magis, & minus, debet vnum. & idem numero existens, nunc intendi, & deinde remitti, vnde substantia prima non recipit magis, neque minus, quia nō est nunc magis substantia quā fuit antea, & erit deinde: & substantia secunda vt est species non recipit magis & minus quia non est nunc magis substantia, quam deinde futura sit, aut antea fuerit. Quod autē prima substantia sit magis substantia, hoc non est substantiam recipere magis, & minus, quia non sumitur vna, & eadem numero substantia quæ nunc intendatur, & deinde remittatur. Solutio hæc aperte colligitur ex D. Tho 1. p. q. 93. art. 3. ad 3. argu. & quam aperte satis in hoc cap. indicat Arist. si attente legatur.

1. Solut.

2. Solut.

Ad secundum primo respon. propositionem esse falsam, vt alio loco dicemus. Cæterum secundo eidem satisfacimus in gratiam eorum qui contrariam tenent opinionem, propositionem eandem admittentes, si tamen causa fuerit adæquata, & totalis effectus ipsius, at ignis non est totalis & adæquata causa maioris, aut minoris caloris, sed materia in qua ipse calor recipitur: Et ita cum ferrum constet materia duriori, & compressiori quam lignum proinde fit, vt calor in ferro sit multo maior, quam sit in ligno.

Ad 2.

Ad vlt. respon. negando consequentiam: nam hoc argumentum tantum concludit animam perfectiori modo esse in vno homine, quam sit in altero, non autem quod recipiat

Ad vlt.

recipiat magis, & minus, quia anima neque inhæret subiectio, neque habet contrarium. At M. Sotus respon. hoc quod quidā homines sint aliis accutiores intellectu (quod indicare videtur vnam animam esse altera nobiliorem) non prouenire ab anima, sed à corpore, quia illi qui sunt acutiores, habent instrumenta corporea magis apta, & accōmodata vt possint deseruire intellectui, ob id q. sunt illi acutiores quia vtuntur instrumentis aptioribus, magisque ad intelligendum accommodatis. Verum de hac re 3. lib. de anima Deo studiis & laboribus nostris bene fauente.

QVAESTIO X. AN SEXta proprietas substantiæ sit proprietas quarto modo.

AD extremum circa vltimā proprietatem rogamus, num sexta, & vltima proprietas quæ est. *Vtrum sit vna & eadem numero possit recipere contraria.* sit quarto modo necne? Etenim non esse his argu. suademus. Primum est. Arist. docet hanc proprietatem cōuenire substantiæ, quæ est vna numero, sed substantiæ secundę non sunt vnę numero: ergo hæc proprietas non conueniet substantiis secundis, & ita non erit proprietas quarto modo, cum non conueniat omni substantiæ.

1. Arg.

Secundum. Orbes cælestes, & angeli, sunt substantię secundæ, at nō possunt recipere contraria, quia omne quod recipit contraria est obnoxium interitui, cui hæ substantiæ non subiiciuntur ergo non est proprium substantiæ recipere cōtraria.

2. Argu.

Tertium. Aethiops non potest recipere candorem, neq. ignis frigus, ergo non est proprium substantiæ recipere contraria.

3. Argu.

Quartum. Extremitas recipit albedinem, & nigredinem, & intellectus scientiam, & ignorantiam, at hæc non sunt substantiæ: ergo non est ptoprium substantiæ recipere contraria.

4. Arg.

Vltimū. Accidentia in sacramento Eucharistiæ (vt quantitas) recipiunt contraria tanquam id quod, nam quantitas est calida, vel frigida: non ergo proprium erit substantiæ recipere contraria tanquam quod recipit illa.

Vlti. argum.

Nonnuli viri graues in ea sunt opinione vt existiment hanc non esse proprie quarto modo sed primo, quia cōpetit soli substantiæ non tñ omni, nā non competit substantię secundæ, quę non est vna numero, sed specie dumtaxat, vel genere. Hanc amplectuntur Porphy in interroga. Ammonius, & Canterus.

1. Opin.

Contra tamen (esse nimirum proprietatem quarto modo) opinantur Simpli. Boeti. Beatus Alber. Caieta. Soto, Villalpandus, & nonnulli alij. Hanc igitur vt & nos explicemus adnotamus primo duobus modis posse aliquid recipere contraria, scilicet vel tanquam principium quo, vel tāquam principium quod, principium quod illud dicitur quod denominatur à contrariis principiū vero quo illud ratione cuius id quod denominatur recipit cōtraria.

2. opin.

1 Observatio.

2. Observatio.

Animaduertendum est deinde duobus etiam aliis modis posse aliquid recipere contraria, vno modo actu, quando actu afficitur aliquo contrariorum: altero vero modo potestate, quando nimirum potest affici aliquo ex contrariis.

Sit iam (his animaduersis) prima conclusio. Actu recipere contraria non est proprietas substantiæ. Confirmatur. Nulla proprietas indicat actum, sed aptitudinem: ergo cum

1. Conc.

Universidad de Deusto
Biblioteca

actu recipere contraria sit actus quidam, non erit proprietas substantiæ.

2.Conc. Secunda conclusio. Posse recipere contraria tanquam id quo non est proprietas substantię. Confirmatur. Qua hoc competit aliis ab ea: nam competit quantitati quæ recipit calorem, & frigus, & intellectui qui recipit scientiam, & ignorantiã.

3.Conc. Tertia conclusio. Posse recipere contraria tanquam id quod, est proprietas quarto modo substantiæ. Confirma. imprimis ex Arist. docente esse maxime proprium substantię cum sui mutatione recipere posse contraria: nam si est maxime proprium, erit proculdubio proprium quarto modo, illud enim solum maxime proprium merito dici potest. Præterea propriũ quarto modo est illud quod cõpetit omni, soli, & semper, & reciprocatur cum ea re cuius est proprium: sed recipere contraria cum sui mutatione competit omni substantiæ, non solum primæ, sed etiam secundæ, nam quemadmodum dicimus Petrum esse calidum, vel frigidum, ita etiam dicimus hominem esse calidum, vel frigidum: præterea competit soli quemadmodum diffuse docet Arist. in textu, probans non posse illam conuenire accidentibus: conuenit etiam semper vt est apertum, quia posse recipere contraria est in substantia semper: & rursum reciprocatur cũ ea, quia omne quod potest recipere contraria est substantia, & omnis substantia potest recipere contraria: ergo posse recipere contraria tanquam id quod erit proprietas quarto modo substantiæ. Animaduertendum est tamẽ intelligi debere conclusionem de facultate recipiendi contraria non simul, sed successiue, nam posse recipere contraria simul, repugnat omnino substantiæ, cum contraria nullo modo possint esse in aliquo subiecto simul.

Obser. circa Concl.

Argumentis tandem in principio adductis respondeamus. Ad primũ dicimus fallam esse assumptionem, quia substantiæ secundæ quamuis ex sua natura non sint vnæ numero, sed vnæ vel specie, vel genere, attamen vt sunt in singularibus (quæ sunt vnum numero) sunt etiam vnæ numero, per vnitatem numericam singularium, & ita possunt recipere contraria. Vel dicere possumus hoc dictum esse ab Aristo. propter exercitium recipiendi contraria: cõmune enim est omnibus proprietatibus, vt tantum in inferioribus exerceant suos actus, quare cum substantia singularis (in qua actus recipiendi contraria exercetur) sit vna numero, docuit Aristo. esse propriũ substantiæ, vt cum sit vna numero possit recipere contraria.

Ad 1.argumen. 1.Solu. 2.Solu.

Ad secundum respond. negando assumptionem: nam quamuis angeli, & cęli non possint recipere contraria qualitates ducentes ad interitum, possunt tamen alias qualitates recipere, vt moueri ad diuersa loca & contraria, nam cœli nunc sunt in ortu, deinde vero sunt in occasu, quę duo sunt termini contrarij motus: & planetæ aliquando eleuantur à centro terræ, vt quando sunt in auge & aliquando acceduntad centrum, vt quando sunt in opposito augis, & aliquando sunt Boreales, & aliquando Austrini. Angeli etiam aliquando mouentur ad locum superum, & aliquando adinferum: aliquando ad dextram, & aliquando ad sinistram.

Ad 2.

Ad tertium negamus consequentiam quia quãuis Aethiops non possit recipere candorem, potest tamen recipere calorem, & frigus, & quamuis ignis non possit recipere frigus, potest tamen subiici motibus contrariis, & aliis qualitatibus secũdis, quando enim dicimus substantiam posse recipere contraria, non debemus illud intelligere de omnibus contrariis, sed de quibusdam dumtaxat.

Ad 3.

Ad vlt. Ad vltimum respond. accidentia in sacramento Eucharistię obtinere locum substantię, ac modum illius, nam quantitas ibi per se cohęret, & ita possunt recipere contraria ratione modi substantiæ quo afficiuntur.

Lege Theologos. 3.p. q.77.

Sectio III. de his quæ in categoria substantiæ continentur.

ARGVMENTVM.

VT vltimam manum huic disputationi de substantia imponamus, supereſt vt explicemus, quænam sint quæ in hac categoria locum habent. Et quia ex substantiis quædam sunt æternæ, & infinitæ, & aliæ finitę, quę dam habent rationem partis, & aliæ totius, de illis omnibus inuestigandum erit, quænam per se & directe, & quę nam reductiuè in hac categoria contineantur. Et vt à partibus auspicemur, quærimus primo.

Sectio III. de Substantia: q.1. An partes per se & directe in hac categoria contineantur.

PArtem aientem his argumentis possumus confirmare. Primum.

1.Arg. Ex Aristo. qui 7. metaphy. cap.3. & 2. de anima, cap.1. diuidens ea quæ per se in hac categoria continentur, illadistribuit in materiam, formam, & totum compositum: sed materia, & forma sunt partes: ergo partes per se in hac categoria continebuntur.

2.Arg. Secundum. Substantiæ integræ continentur per se, & directe in hac categoria, sed partes integrantes, vt caro, & neruus, vel cerebrum, cor, & hepar sunt substantiæ integræ: ergo hæ partes per se in hac categoria collocabũtur. Propositio perspicua est, confirmatur assumptio. Illa substantia quæ componitur ex materia & forma est substantia integra: sed hæ partes componuntur ex materia & forma, vt caro componitur ex materia & anima, ergo erunt naturæ integræ, & completæ.

3.Arg. Præterea. Illa substantia, quæ est nata recipere contraria per se in hac categoria continetur, nam propriũ est eius quod per se in hac catego. comprehenditur, vt cum sui mutatione possit recipere contraria: sed materia prima, & forma possunt re-

cipere contraria, vt materia potest recipere ortum, & interitum, & forma (v. g. anima particeps rationis) potest recipere scientiam, & ignorantiam, virtutem, & vitium, quę sunt sibi inuicem contraria, ergo saltim hæ partes per se, & directe in hac categoria collocabuntur.

Opinio. Quæstio hæc anceps est apud interpretes Arist. nam multi opinantur partes substantiæ per se, & directe esse in hac categoria comprehensas. De materia prima saltim hoc esse concedendū docuit Boetus Græcus, teste Simplicio, qui putabat illā esse maxime substantiam, quia illi maxime competit neq. dici de subiecto (cum sit vna numero) neque esse in illo (cum sit ipsa commune ac primum omnium subiectum). Louanienses, & Villalpan. hanc opinionem amplectuntur de partibus integrantibus, quamuis de aliis hoc nō admittant, quia integrantes sunt cōpletæ, vt pote ex materia & forma cōsistentes, vt in 2. argum. ostendebamus: at aliæ sunt imperfectæ, & in cōpletę, ac proinde non hic continebuntur directe ipsorum iudicio. Porphy. Simpli. Boeti. in commenta. huius categor. Paulus Venetus in sua Metaphy. cap. 4. & Holkot 2. sentē. q. 6. absolute asserunt partes per se in hac categoria locum habere.

2. opin. Contrariam tamen sententiam, illas nimirum non per se, sed reductiue in hac categoria collocari profitentur D. Tho. 1. par. q. 76. artic. 3. & in 2. dist 3. q. 1. ar. 1. ad 1. & q. 20. de verita. art. 1. ad 8. & Opuscu. 42. capit. 10. B. Alber. Magn. tracta. 2. catego. cap. 6. Scotus quæst. 15. Prædicamen Sonci. 7. metaphy. q. 39. Caieta. M. Soto, Canterus in comment. huius loci. Quæ opinio & verior est, & decretis Arist. magis affinis, eam igitur his assertionibus explicamus.

1. Conc. Sit prima assertio. Partes substantiæ tam essentiales, vt materia, & forma, quam integrantes: & ex iis tam similares, vt caro, os, neruus venę, & arteriæ, quā dissimilares, vt caput, pedes, manus, & aliæ huiusmodi, in hac categoria continentur. Hæc assertio communis est, & confirmatur imprimis ex Aristo. qui 5. metaphy. cap. 8, 7. cap. 3. 2. de anima cap. 1. materiam & formam quæ sunt partes substantiæ facit substātias, & in hac categoria in prima proprietate, quę est non esse in aliquo tanquam in subiecto, cum aduersus illam obiiceret partes quæ non sunt substantiæ, respond. falsum esse partes non esse substantias, nam sunt, inquit, veræ & legitimæ substantiæ, & hæc proprietas illis adaptatur, licet enim sint in aliquo toto, non tamen erūt in subiecto, quia aliud est esse in alio tanquam in toto, & aliud in illo tanquam in subiecto. Et in catego. relatorum disputans an partes substantiæ integrantes, vt manus, & caput, sint in illa categoria, vel in substantia, inquit non inter relata, sed inter substantias esse has partes recensendas. Præterea confirmari potest. Substantia non componitur ex non substantiis, vt docebat Aristo. 1. Physico. cap. 6. sed substantia integra componitur ex partib', vt homo ex materia & forma: & ex carne, ossibus, & neruis, aliisque partibus dissimilarib', ergo hæ partes in hac categoria collocabuntur.

2. Con. Secunda conclusio. Nullæ partes, siue essentiales, siue integræ, siue similares, siue dissimilares continentur per se in hac catego. Confirmatur aduersus auctores primę opinio. Primo. Nulla pars vt pars denotat naturam integram, nam significat naturam dependentem à toto: sed in categoria tantum illa per se continentur quæ denotant naturam integram, ergo partes per se, & directè non

non in hac categoria collocabūtur. Iam. Si hæ partes per se, & directe collocarentur, vel igitur collocarentur in recta serie, vel ad latus, at neque primo, neque altero modo possunt collocari: non ad latus, quia in latere tantū differentię per se collocantur, neque in recta serie, quia in illa tantum continentur genera, species, & indiuidua naturas integras exprimentia, quales naturas nullo modo partes possunt significare: nō igitur per se, & directe partes in hac categoria collocabuntur.

3. Conclusio. Tertia conclusio. Hæ partes reductiue collocantur in hac categoria. Hęc aperte sequitur ex superioribus etenim si illę continentur in categoria substantię, vt constat ex prima conclusione, & nō continentur per se, & directe, vt probatum est in secunda, sequitur reductiue contineri, nam quidquid in catego. continetur, vel per se & directe, vel reductiue in ipsis debet contineri.

Ad 1. argum. Iam ad argumenta. Ad primum respon. Arist. non diuisisse substantiam, quę continetur in recta serie categorię in materiam, formam, & totum compositum, sed substantiā indiuiduam, & singularem, quę primo dicitur de toto, deinde vero de materia, & forma tāquam partibus illius. Hinc tamen non fit has partes per se iuxta Arist. in hac catego. contineri.

Ad 2. Ad secundum respond. negando assumptionem ad eius confirmationem dicimus non omnem substantiam quę componitur ex materia, & forma esse naturam integram, sed illam quę componitur ex materia, & propria forma: at partes substantiæ non componūtur ex propria aliqua forma, sed ex forma communi totius, non enim in aliquo toto est aliqua alia forma pręter formam totius, vt 1. lib. de ortu & interitu cap. 5. de hac re agentes ostendemus.

Ad 3. Ad tertium dicimus proprietatē illā intelligendā esse de vere ac positiue cōtrariis, & de subiecto quod, qua ratione dicimus, neque materię neque formæ hanc proprietatem cō uenire, nam quamuis recipiat ortū, & interitum quæ inter se maxime pugnant, non tamen contrariantur positiue sed priuatiue: & quamuis anima recipiat virtutem, & vitium, non recipit illa tanquam subiectū quod, sed tanquam quo mediante his duabus qualitatibus afficitur homo.

QVAESTIO II. AN DIFferentiæ per se in hac categoria contineantur.

GRauis sese offert de differentiis catego. substantiæ exagitanda quæstio, sintne illæ substantiæ, nec ne: nam nō esse his argumentis possumus demonstrare.

1. Arg. Primum est petitum ex Arist. qui multis in locis docet differētias substantiales esse qualitates, vt 4. libr. Topico. cap. 6. 5. Physic. cap. 2. 4. metaphy. cap. 14. & cap. 28. ergo differentiæ substantiales non erunt substantiæ, sed accidentia.

2. argu. Secundum. Aristo. in hac catego. proponens primā proprietatem substantię quę est non esse in subiecto, inquit, illam conuenire substantiis, & differentiis, vbi separat differentias à substantia, ergo differentię substantiales non erunt substantię sed accidentia.

3. argu. Tertium. Genus supremum huius catego. prędicatur de omnibus quæ continentur in hac categoria: sed genus supremum non prædicatur de differentiis, vt dictum est in cap. de differen. ex Arist. 3. lib. metaphy.

Universidad de Deusto
Biblioteca

phy. cap. 3. ergo differentiæ substantiales non erunt substantiæ.

4 argu. Quartum. Vnumquodque collocatur in ea categoria, in qua continetur suum præcipuum significatū, quemadmodum album continetur in catego. albedinis, quæ est præcipuum significatum illius: sed differentiæ substantiales significant præcipue qualitatem, vt docet Arist. 5. metaphysi. cap. 14. ergo differentiæ substantiales continebuntur in categoria qualitatis.

1. Opin. De hac quæstione diuersæ sunt Philosophorum sententiæ. Prima est Boeti Græci (si credimus Simplicio) qui differentias neque substantias, neque accidentia esse volebat, sed alterius cuiusdam naturę ab his duabus omnino diuersæ.

2. Opin. Secunda est esse illas veras qualitates sub quadam specie innominata qualitatis comprehensas. Ita de quibusdam refert Lemosius 2. lib. Paradoxo. errore 22.

3. Opin. Tertia est, Simplicij, neque esse omnino substantias, neque esse omnino accidentia, sed mediæ cuiusdā naturæ inter substantiam & accidētia, idem profitetur Dexippus 2 lib. 4. cap. 21. Sicut quædam viuentia imperfecta, conchilia, ostreæ, & alia Zoophita, neque sunt omnino plātæ, neque omnino animalia, sed mediæ cuiusdam naturę inter plantas, & animalia, nam cum plantis habēt vitam communem, cum animalibus vero sensum tactus: differunt tamen à plantis propter sensum, & ab animalibus quia non mouentur loco vt plantæ, cum animalia omnia ad aliquam differentiam loci moueantur. Idem docuerunt Auerroistæ de formis elementorum, esse nimirum illas ita imperfectas, vt neque omnino sint substantiæ, neque omnino accidentia, sed mediæ cuiusdam naturæ inter substantiam, & accidentia, vt testatur D. Thom. in opusculo de mixtione elementorum.

Quarta eaque verissima opinio est differentias esse vere, & proprie substantias, & huiusmodi nomine esse absolute insigniendas. Sequuntur illam Ammonius, Porphyrius in interroga. D Tho. opusc. 42. cap. 10. & 5. metaphysi. lectio 16: Beatus Albertus Magn. tractatu. 2. categoriarum, capit. 6. Scotus quæstio. 14. categoriarum, Caietan. Sotus, Villalpandus & innumeri alij, inter quos merito recenseri debet Lemosius, qui (in loco superius indicato) accuratissime hanc quæstionem pertractatam reliquit. 4. opin.

Hanc igitur eandem quęstionem, vt & nos explicemus adnotandum imprimis existimamus ex Seuerino Boetio, triplicem esse substantiam vnam secundum rem, & non secundum modum, sicut abstracta substantiarum, verbi gratia humanitas, quæ est vera, & legitima substantia, non tamen habet modum illius, quia significatur vt forma alteri inhærens: alteram secundum modum non tamen secundum rem, cuiusmodi sunt abstracta accidentium, quæ sunt vere in subiecto, non tamen significantur per modum existentis in illo, sed ad modum per se existentis, vt albedo quæ reuera est in subiecto, non tamen denotatur per modum illi inhærentis, sed per se existentis: alteram denique secundum rem, & modum, vt sunt concreta substantiarum, vt homo, & animal, & alia quæ sunt substantiæ, & per modum illius vere significatæ. Obser.

Hac iam animaduersione constituta sit prima conclusio aduersus Boetum Græcum. Differentię huius categoriæ debent esse necessa- 1. Conc.

cessario vel substantiæ, vel accidentia. Confirmatur. Primo, quia omne ens rei vel est substantia, vel accidens: at differentiæ huius categoriæ sunt entia rei, quare erunt vel substantiæ, vel accidentia. Iam hæ differentiæ vel per se existunt, vel in alio, neque enim dari aliquid potest, quod sub ambitu horum duorum generalium modorum entis non comprehendatur: si per se existunt, igitur sunt substantantiæ, quod si in alio existant, erunt accidentia, erunt itaque differentiæ necessario vel substantiæ, vel accidentia. 1. argu.

2. Arg. Denique si daretur aliquod ens rei medium inter substantiam, & accidentia, profecto Aristoteles vndecimam aliam categoriam, in qua huiusmodi entia continerentur constituisset, alioquin enim non conclusisset omnia entia rei, & finita, sub limitibus categoriarum, quod certe cum non effecerit, sequitur differentias non habere mediam naturam inter substantiam & accidentia.

2. Con. Secunda conclusio. Differentiæ non sunt mediæ naturæ inter substantiam, & accidentia. Confirmatur aduersus Simplicium. Inter ens per se, & ens non per se, vel in alio non datur medium aliquod, sunt quippe duo termini contradictionis, inter quos nullum medium potest reperiri: sed substantia est ens per se, accidentia vero sunt entia in alio teste Aristote 7. metaphysi. capit. 1. ergo differentiæ substantiales necessario vel erunt substantiæ, vel accidentia.

Hoc eodem argumento potest Auerroistarum opinio confutari, non esse nimirum formas elementorum mediæ naturæ inter substantiam, & accidentia. Legat qui voluerit Diuum Thomam vbi supra, & doctissimum Villalpandum hoc in loco, de hac re disputantem.

Tertia conclusio. Si sumatur substantia vt est genus supremum catego vel ea ratione qua est substantia integra, differentię non sunt substantiæ. Confirmatur imprimis prima pars conclusionis. Genera suprema non prædicantur per se differentiis, vt ostendimus in ca. de differentia cum Arist 3. lib. metaphysi. cap. 3. ergo genus supremum categoriæ substantiæ non prædicabitur per se de differentiis substātialibus, & ita differentiæ non etunt substantiæ, sumpta substantia hoc modo. Confirmatur deinde secunda pars eiusdem conclu. Differentiæ sunt partes componentes speciem, nō habentes naturam integram, neq. completam: ergo non erunt illæ vocandæ substantiæ, sumpta substantia vt denotat naturam integram, atq. completam. 3. conc.

Quarta conclu. Differentiæ substantiales sunt veræ substantiæ in hac categoria comprehensæ, si substantia sumatur in late patente illa significatione, secundum quam est diuisa contra accidens vel (vt cum aliis loquamur) sunt substantiæ secundum rem. Confirmatur aduersus secundam opinionem his argumentis. Primum petitum est ex Arist. 6. Topico. cap. 3. constituente differentias contineri in eadem categoria in qua continentur genera quæ diuidunt sicut differē. substantiales, & species quas eædem constituunt, continentur in hac cate. substantiæ, vt est apertum: iam ergo & differentiæ substantiales erunt veræ substantiæ, & vt tales, in hac categoria comprehensæ. Secundum. Substantia non componitur ex nō substantiis secundum Arist. 1. physico. cap. 6. at substantia componitur ex substantialibus differentijs, vt homo ex rationali, & bipede: ergo 4. Conclusio. 1. argu. 2. Arg.

differentiæ substantiales non erunt non substantię & accidentia, sed veræ, & legitimæ substantię, Præterea.

5. Argu. Res vnius Catego. non prædicatur secundum essentiam de re alterius catego. vt albedo quæ est qualitas non prædicatur secundum essentiã de homine, vt Arist. 1. de posteriori analysi cap. 11. & 18. docet: at differentiæ substantiales prędicantur secundum essentiam de substantia, vt rationis particeps de homine: iã ergo differentiæ substantiales non continebuntur in aliqua alia categ. quam in catego substantiæ. Adhæc.

4. Arg. Omne accidens est in subiecto: at differentiæ substantiales non sunt in subiecto teste Arist. in prima proprietate substantiæ, ergo nulla differentia substantialis erit accidens.

5. Argu. Denique accidentia vel solo nomine prædicantur de subiecto, & non ratione vel neque nomine neque ratione de illo dicuntur, quemadmodum Aristoteles docet in hac categoria, at differentiæ substantiales, tam nomine, quam ratione prædicantur de substantia, vt rationis particeps v. g. dicitur nomine, & ratione de homine, vt est perspicuũ: differentiæ igitur substantiales non erunt accidentia:

5. Conc. Quinta conclusio. Differẽtiæ substantiales non sunt substantiæ secũdum modum, sed qualitates. De hac conclu. lege Boeti. Toletum, & alios in commentariis. Cõfirmatur quia differentiæ sumuntur vt actus quidam limitantes, coercentes, & vtitadicã qualificantes potentiam generis, quæ munera propria sunt vel qualitatis, vel habentis modum illius: erunt igitur secundum modũ qualitates, & non substantiæ. Vel vnico verbo cum B. Alber. dicimus differentias respectu generis esse qualitates, quia qualificant, & coercent illius potestatem; respectu tamen speciei quam componunt esse veras substantias. Verum de hac re abunde satis egimus in cap. de Genere sectio. 1. quæst. 2. quæ ne iterum repetamus consulto prætermittimus.

Ad 1. argumen. Reliquum est tandem atgumenta initio proposita dissoluere. Ad 1. dicimus duplicem esse qualitatem vnam essentialem, aliam vero accidentariam. Essentialis qualitas limitat, & coercet potentiam essentialẽ, cuiusmodi est potentia generis, aut materiæ primę quarum vtraque est essentialis potentia, vnde forma vocatur qualitas materiæ primæ, quia coercet illiuslate patentem ambitũ: & differentia præterea dicitur qualitas generis, quia limitat illius facultatem. Accidentaria vero qualitas ea vocatur quæ limitat potentiam accidentariam, quemadmodum albedo est qualitas accidentaria, quia limitat facultatem accidentariam subiecti, quæ est in illo ad recipienda accidentia. Quando igitur Arist. docet differentiam substantialẽ esse qualitatem, loquutus est de qualitate essentiali, non de accidentaria: at qualitas essentialis in catego. substantiæ comprehenditur, nam etiã docet Arist. genera & species catego. substantiæ prædicari in quale quid, quæ tamen sunt veræ, & legitimæ substantiæ.

Ad 2. Ad secundum respon. Villalpandus ex Ammo. Porphy. & Dexippo Aristo excluſisse à numero substantiarum differẽtias, morem sequutus vulgi, apud quem solæ substantiæ compositę videtur esse substantiæ. Verum respon. possumus Arist. in loco isto intellexisse nomine substantiæ substantiam integram, & completam, ita vt sensus sit, non esse in subiecto competit substantiis, sub intelligeintegris, & differentiis, quę quamuis non sint substantiæ integræ, sunt tamen substantię, sumpta substantia prout diuiditur contra accidens.

Ad 3. Ad tertium respon. negando propositionem, quia partes substantiæ continentur in hac categoria, vt ostendebamus quæstione superiori, de quibus tamen non prædicatur genus supremum, quod tantum dicitur de substantiis integris, & absolutis.

Ad 4. Ad quartum distinguimus assumptionem, nam aut loquimur de qualitate essentiali, aut de accidẽtaria, si de essentiali loquamur, admittimus libenter assumptionem, attamen illa quæ significant qualitatem essentialem in categoria substantiæ continentur: quod si de qualitate accidentaria agamus, eandem tanquam falsam negamus, neque vnquam Arist. docuit differentiam esse qualitatem accidentariam.

QVAESTIO III. QVA RATIONE COLLOCENTUR DIFFERENTIÆ IN HAC CATEGORIA.

SVperiorem quæstionem hæc altera proxime sequitur dubitatio, qua scilicet ratione differentiæ in hac categoria contineantur, num directe, & per se, vel indirecte poti⁹, & reductiue? Nam per se in illa contineri, hæc argumenta confirmant.

1. argu. Primum est. Omne attributum vniuersum per se continetur in aliqua categoria, nam est totum quod dã vniuersum multa inferiora suo ambitu comprehendens: sed differẽtia est attributum quoddam vniuersum, numeratur enim inter voces vniuersas à Porphy. ergo per se in hac categoria collocabitur.

2. argu. Secundum. Differentiæ non sunt accidentia, ergo erunt substantiæ sub genere supremo comprehensæ, iam igitur per se in hac categoria collocabuntur, quia si per se subgenere continentur, per se quoque in categoria collocantur.

3. argu. Testium. Eadem est ratio differentiarum, & generum: atqui genera continentur per se, & directe in recta serie categoriæ, ergo differentiæ continebuntur etiam per se in recta serie categoriæ.

1. Opin. Quidam vt testatur Fõseca 5. metaphy. cap. 8. q. 2. sect. 2. opinantur differẽtias substãtiales per se & directe esse sub genere supremo huius categoriæ comprehensas, quare inquiunt, quidquid non est accidens (cuiusmodi sunt differentiæ substãtiales) sub genere supremo huius categoriæ est comprehensum, ac proinde erit in recta serie categoriæ.

2. Opin. At contra sentiũt omnes fere Philosophi D. Tho. D. Albert. Mag. Scotus, Caieta. Sotus, Venetus, Villalp. in locis quos in superiori quæstio. proposuimus, profitentur siquidẽ illas reductiue, & non per se, in categoria ista comprehendi.

3. opin. Cæterum vt & nos in hac re sententiam nostram proferamus reuocãdum erit ad memoriã illud quod dictum fuit à Porphy. cap. de differentia, eaſdem scilicet esse differentias diuidentes, & constituentes, nã eędem diuidunt genera, & constituunt species, quemadmodum particeps, & expers rationis, diuidunt animal, & constituunt hominem, & brutum.

1. Conc. Sitiam prima conclusio. Differentiæ non continentur per se sub genere supremo huius categoriæ. Confirmatur aduersus auctores recẽsitos. Primo, quia si per se essent illæ sub genere supremo huius categoriæ cõtẽtæ, proculdubio illud de ipsis prædicaretur per se, quia genus per se dicitur de omni contẽto sub eo: hoc autem

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem aduersatur Arist. 3. metaph. cap. 3. vt nos late ostendimus in capit. de genere: ergo differentiæ non continebuntur per se sub genere supremo. Secundo, quia si illorũ opinio esset vera, essent illæ compositę, & nõ simplices naturę: etenim quid quid per se continetur sub genere, præter naturam illius habet etiam aliam naturam ratione cuius separetur ab iis quæ sub illo vnà continẽtur: at hoc admitti nullo modo debet, cum sint illæ simplices, & indiuisolubiles naturæ: non igitur per se, & directe sub genere supremo locũ poterunt habere substantiales differentiæ. Lege plura si vis apud Fonsecam.

2. Arg.

2. Conc. Secunda conclusio. Differentiæ substantiales non continentur per se, & directe in recta serie categoriæ. Confirmatur. Quæ continentur in recta serie per se, & directe sunt naturæ integræ, at differentiæ nõ sunt naturæ integræ, ergo differentię nõ continentur per se & directe in recta serie. Præterea. In recta serie tantum continentur per se, & directe genera, species, & indiuidua: sed differentiæ neque genera sunt, neq. species, neque indiuidua, ergo differentiæ non continebuntur per se & directe in recta serie categoria.

3. Conc. Tertia conclusio. Differentiæ, vt constituunt species, reductiue continentur in hac recta serie. Confirmatur. Omnes partes continentur reductiue in eo loco, in quo est earũ totum contentum: at differentiæ vt constituunt speciem, sunt partes ipsarum, ergo continebuntur in eadẽ serie catego. reductiue, vbi nimirũ

1. Arg.

2. Arg. continentur species. Præterea. Partes naturales, vt materia, & forma, & integræ, vt caput, & pedes continentur reductiue in recta serie categoriæ, vbi est Petrus v. g. constitutus, ex materia & forma, ex pedibus & capite: ergo pari quoque ratione partes essentiales, vt differentiæ, cõtinebuntur reductiue in recta serie categoriæ, in qua continentur species, quę sunt tota ex ipsis cõstituta.

4. Conclusio. Quarta conclusio. Differentiæ vt sunt diuidentes neque per se, neq. reductiue continentur in recta serie catego. sed continentur per se ad latus, quemadmodum intueri possumus in serie alicuius categoriæ, in qua in recta serie continentur genera, species, & indiuidua: ad latus vero differentiæ diuidentes illa, vt corporeum, & incorporeum continẽtur in categ. substãt. Confir. Genera prædicantur secundum essentiam de iis quæ sub ipsis continentur directe & in recta serie catego. sed non possunt genera prędicari secundum essentiam de differentiis, ergo differentiæ non continebuntur per se in recta serie catego. sed ad latus. Vnde quemadmodum differentię sunt extra naturam generum, ita quoque debent contineri extra locum, & seriem generum, & ita cum genera cõtineantur in recta serie catego. differentia (vt diuidentes sunt) continebuntur ad latus.

Ad 1. ar gum. Ad argumenta igitur quæ in principio proposuimus æquum est vt satisfaciamus. Ad primum respon. falsam esse propositionem, nõ enim omne attributum vniuersum, sed illud quod est compositum, & denotat naturam integram esse per se cõtentum in recta serie: at differentia natura est simplex, & incompositа, atque ita non continebitur per se in recta serie.

Ad, 2. Ad secundum respon. hos auctores ex varia significatione huius nominis substantia (quod significat non tantum genus supremum categoriæ, verum etiam quidquid non est accidens, & non est contentum in recta serie categoriæ) deceptos fuisse

fuisse vnde differentię sunt substantiæ, vt substantia significat id quod non est accidens, non tamen vt significat genus supremum, aut illud quod est in recta serie comprehensum.

Ad. 3. Ad tertium respon. imprimis cũ Boetio negandam esse consequentiam, quia quamuis in eo quod est esse totum, & partem respectu specierum non differant genus & differentia: differunt tamen quia genus est substantia secundum rem, & secundum modum, differentia vero tantum est substantia secundum modum vt exposuimus in quæstione superiori, & quia solum ea quæ sunt substantiæ secundum rem, & secundum modum, continentur in recta serie catego. per se & directe, propterea genera continentur in recta serie categoriæ directe. Respon.

1. Solu. Boeti.

2. Alb. Mag. deinde cum B. Albert. Mag. falsam esse propositionem, quamuis enim in eo quod est esse totum, & partem respectu specierum non differant genus, & differentia, tamen differũt quia omne genus est compositum, aut compositione physica, ex materia, & forma, aut metaphysica ex genere & differentia, aut ex iis quæ habent locum istorum, at vero differentiæ cum sint omnino simplices, non componentur aliqua compositione neque physica, neque metaphysica. Et ita cum ea solum quæ sunt composita, & integra continẽantur per se & directe in recta serie categoriæ, genera continebuntur in illa per se, & directe, differentiæ vero non continebuntur.

2. Solut.

QVAESTIO IIII. AN ORbes cælestes in hac categoria collocentur necnẽ

PErgamus vlterius in explicatione eorum, quæ in hac catego. cõtinentur, perpendamusque num orbes cælestes, & corpora incorruptibilia in hac catego. locum habeant. Et quidem non habere confirmatur primo. Quæ in hac catego. continentur conueniunt in genere supremo illius: sed cœli, & hæc corpora inferiora non possunt in aliquo genere conuenire. ergo cum substãtiæ corruptibiles & hæc corpora inferiora in hac catego. contineantur, cœli in illa non continebuntur. Cõfirmatur assumptio ex Arist. 10. metaphy. cap. vlti. dicente corruptibile & incorruptibile genere differre: sed cœli sunt incorruptibiles, & hæc corpora inferiora sunt corruptibilia: ergo cæli, & illa genere different.

1. Arg.

2. Arg. Deinde. Substantia quæ in hac categoria continetur potest recipere contrarias qualitates, nam est maxime proprium his quæ continentur in hac categoria, vt cum sui mutatione possint recipere contraria: sed orbes cælestes non possunt recipere contrarias qualitates, quia neque possunt calefieri, neque frigefieri, neque vllis qualitatibus affici, vt luculenter ostendit Arist. 1. lib. de cælo cap. 3. ergo orbes cælestes non continebuntur in hac catego.

3. Arg. Præterea. Quæ continentur in catego. conflantur ex actu, & potestate, vt auctor est Arist. 3. physi. cap. 1 & 12. metaphy. cap. 4. Sed orbes cælestes non conflantur ex actu, & potestate, tum quia in æternis nulla est potentia ex Arist. 9. metap. c. 9. tum etiam quia in eisdem æternis idem est esse, & posse iuxta eundem Arist. 3. Physico. cap. 8.

4. Arg. Ad extremum confirmatur auctoritate lucidissimi Themistij, cuius apud omnes Philosophos maxima debet esse auctoritas in paraphrasi

phrasi ad 12. lib. metaphy. in qua inquit corruptibili, & incorruptibili (vt sunt corpora cælestia, & hæc inferiora) nihil posse esse commune vniuocum, vel synonymum: ergo substantiæ incorruptibiles seu corpora cælestia non erunt in eodem genere catego. substanriæ, in quo cõtinẽtur hæ substãtiæ inferiores.

1. Opin. Propter hæc, & alia huius generis argu. multi Philosophi partẽ negantem, nimirum non esse corpora cælestia in hac catego. comprehẽsa, defendendam sibi susceperunt. Ita Auctroes in Porphy. in cap. de specie, & 10 lib metaphy. cap. vlti. commenta. 26. & omnes eius alumni Iandunus 10. metaphysico. q. 22. Suesanus in eodem lib. disputa. 9. & Zimara theoremate 40.

2. Opin. Contrariam tamen sentẽtiam sequuntur omnes tam Græci quam Latini, ex Græcis Plotinus Aeneade 6. lib. 1. cap. 2. Iamblicus, Simplicius, Ammonius, Porphy. Dexippus in commentariis huius catego. ex Latinis Boetius, B. Albert. Mag. tractatu 2. catego. cap. 1 D. Tho. opuscu. 42. cap. 7. & alii vt innumeram recentiorum multitudinem præter mittam, quos ne recitando fastidiũ generem, hoc loco non recenseo.

His igitur opinionibus propositis nostram sententiam in hunc modum explicamus. Sit prima conclu.

1. Conc. Ratio generis supremi huius categoriæ est ens per se existens, implicite, vel potestate continens sua inferiora. Hanc profitetur D. Tho. opuscu. 42. cap. 10. Dicimus ens per se existens, quia hæc est ratio communis omni substantiæ vt est diuisa contra accidens: nam in hac re separatur substantia ab accidẽtibus, quia accidentia sunt in aliquo tanquam in subiecto, substantia vero per se existit. Dicimus deinde potestate continens sua inferiora: quia substantia quæ est genus supremũ potestate continet differentias diuidentes, vt corporeum, & incorporeum, sentiens, & non sentiens &c. quarum accessione species huius categoriæ componuntur, vt per accessionem corporei cum substantia quæ est genus, componitur cœlum, & peracceſionem incorporei cum eadẽ, conflatur angelus, vt Gabriel. In qua reseparatur substantia quæ est genus supremum ab ea quæ est diuisa contra accidens, quia hæc posterior actu continet omnem substantiam, etiam vltimas differẽtias, cum sit inclusa in conceptu essentiali earum: at vero quæ est genus supremum non continet actu, cum non sit inclusa inconceptu vltimarum differentiarum: nam nullum genus est inclusum in conceptu suarum different. ex Arist. 3. meta. c. 3.

Concl. 2. Genus supremum huius catego. non est genus physicum, & naturale. Hæc assertio (nisallor) est expressis verbis ab Arist. testata 10. metaphy. cap. vlti. Vnde inquit corruptibili, & incorruptibili, nihil posse esse commune, quod certe cum nequeat intelligi de communi Logice, vel secundum conceptum, ita enim aliquid est commune corporibus superioribus, & inferioribus, nimirum affici trina dimensione, intelligi necessario debet de communi physice, & naturaliter, quod si non est illis aliquid commune physicum non poterit ratio substantiæ, quæ competit generi supremo huius catego. esse genus physicum & naturale illa ambiat corruptibilia & incorruptibilia. 2. Conc.

Tertia conclusio. Genus supremum huius catego. est genus Logicum, & metaphy. Hanc communiter profitentur recentiores de qua legendus est Fonseca 5. lib. metaphy. cap. 8. q. 4. Et confirmatur ex diffi- 3. Conc.

nitione generis Logici & Metaphysici. Genus metaphysicum est vnitas naturæ quæ à parte rei nata est multis specie differentibus conuenire: sed corporibus superioribus, & inferioribus, imo omnibus substantiis finitis tam spiritalibus quam corporeis, datur communis à parte rei vnitas naturæ substãtiæ, quæ est per se existere, quæ certe ratio communis est à parte rei omnibus illis, ergo substantia quæ est genus supremũ huius categoriæ, erit genus metaphysicum. Præterea esse genus logicum confirmatur, quia genus huius rationis est natura multis communis specie differentibus, vt affi citur notione secunda generis: sed substantia quæ est genus supremũ huius categoriæ est natura communis ad omnem substantiam, tam corpoream, quã incorpoream, tam corruptibilem, quam incorruptibilem, vt afficitur per intellectum notione secunda generis, ergo erit illa genus logicum.

Obiect. Quod siquis obiiciat nobis auctoritatem D. Thom. in Opus. 42. quod est de natura generis cap. 7. & alijs asserentis genus supremum huius catego tantum esse genus Logicum & non metaphysicum. Respondent

Solutio quorun. quidam hoc opus quamuis eruditũ non esse D. Tho. sed alterius posterioris Philosophi ex ipsius familia: nonnulla enim opuscula quæ nomine D. Thom. circunferuntur non ipsius, sed aliorum esse, testantur viri graues, inter quos legendus est Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ sanctæ in quadam appendice illi libro subiecta, & ita in operibus D. Thomæ, iussu Pij V. vere pij, & sanctissimi Pontificis editis, hæc opuscu. de quibus suboriri poterat dubitatio, essentne D. Tho. necne minoribus caracteribus edita fuerunt, in ter quæ hoc opus de quo agimus numeratur. Vel quamuis fateamur hoc opus esse D. Tho. respon. D. Thom. nullo modo nobis aduersari, quia nomine generis metaphysici, non sumit id quod nos metaphysi. appellauimus: sed sumpsit illud quod nos Physicum diximus, nimirum naturam quæ ab hac, vel illa materia petitur, & quia materia corporum superiorum genere differt à materia horum inferiorum, ob hanc causam inquit substantiam quę communis est ad corpora cœlestia, & inferiora, non esse genus metaphysicum, quia materia à qua petitur in corporibus superioribus ratio generis, differt genere physico à materia, à qua petitur in his inferioribus. Solutio nostra.

Quarta conclusio. Corpora cœlestia continentur in hac categoria. Confirmatur aduersus Auerroem, & eius alumnos. Primo quia omnens finitum actu, & per se continetur in aliqua categoria, cum igitur orbes cœlestes sint entia finita actu, & per se continebuntur in aliqua ea tegoria, quare cum non possint in alia quam in categoria substantiæ contineri, in hac profecto collocabũtur. Secundo, quia orbes cœlestes conueniunt genere logico cum corporibus his inferioribus: sed genus supremum huius categoriæ est genus logicum, vt constat ex superioribus assertionibus, ergo orbes cœlestes in hac categoria sub genere supremo continebuntur. 4. Conclusio. 1. argu. 2. argu.

Ad argumenta quæ in initio proposuimus. Ad primum respon. Aristo. in illa auctoritate intelligendũ esse de genere physico, & non de logico. Itaque corruptibile, & incorruptibile differũt genere physico, quia ratio nomine generis significata, nobiliori modo in incorruptibilibus, quam in corruptibilibus reperitur: conceptus tamen vnus & idem est in vtrisque naturis. Vel respondere Ad 1. argumen.

possu-

possumus cum D. Tho. & Alexandro Arist. nomine generis eo in loco intellexisse materiam primam, vnde corruptibile, & incorruptibile, genere, id est, materia differunt, quia alia est materia corporum superiorum, & alia inferiorum.

Ad 2. Ad secundum respon. quando inquit Aristo. in hac proprietate esse proprium substantiæ recipere contraria nomine contrariorum non intellexisse oēs contrarias & patib. qualitates, sed quæ uis alia cōtraria, qua ratione orbes cœlestes recipiunt cō traria, nimirum cōtrarios terminos motus, sunt ènim aliquando in ortu, aliquando in meridie, & aliquando in occasu. Afficiuntur etiam raritate, & densitate, quæ sunt contrariæ qualitates, nam Planetæ sunt partes densiores sui orbis, reliquæ vero sunt rariores; & in luna partes maculosæ sunt rariores, quæ ob tenuitatem non possunt lumen continere: luminosæ vero sunt partes dē siores, quæ propter materiæ multitudinem lumen ipsum queunt in se recipere, & continere.

Ad. 3. Ad 3. resp. negando assumptionē, falsum enim est corpora cœlestia nō esse ex actu, & potestate constituta. Ad auctoritates vero Arist. respon. Arist. in illis tantum docere in ęternis (vt sunt orbes cœlestes iudicio ipsius) non esse potentiam adesse, ita vt in aliqua temporis duratione sit potentia sine actu existendi, non autem docere, non esse in ipsis compositionem ex actu & potestate.

Advlti. Ad vltimum respon. Themistiū intelligendum esse de synonymia, aut vniuocatione physica, qua ratione nihil est commune corporibꝰ superioribus, & inferioribus, non tamen esse intelligendum de vniuocatione logica, qua ratione constituimus genus supremum huius categoriæ esse genus.

QVEST. V. AN SVBSTANtiæ separatæ in hac categoria collocentur, necne?

EGimus in superiori quæstiō. de substantia corporea (iudicio Aristo. æterna) sequitur de alia substantia incorporea etiam æterna, disputemus, nimirum de substantiis separatis, num scilicet illæ in hac categoria collocentur. Et quidem non collocari hæc argum. videntur suadere.

1. Arg. Primum. Genus supremum huius categoriæ est substantia corporea, ita enim testantur viri celebres Iamblicus, Syrianus, Porphyrius, Dexippus, Simplicius, & Boetius asserentes in hac categoria tantum egisse Arist. de substantia sensili quæ est composita ex materia & forma: sed substantiæ spiritales, & separatę non sunt corporeæ, ergo non continebuntur illæ in hac categoria.

2. argu. Secundum. Quæ continentur in categoria constant genere, & differentia, sed angeli non possunt constare genere & differentia, quia genus petitur à materia, quæ non reperitur in ipsis, ergo angeli non continentur in categoria substantiæ.

3. Argu. Tertium. Corruptibile, & incorruptibile genere differunt auctore Aristo. 10. metaphy. cap. vltimo, sed Angeli sunt substantiæ incorruptibiles: substātiæ vero corporeæ, sunt substantię corruptibiles, ergo Angeli & substantiæ corporeæ different genere, & ita non continebuntur in eadem categoria.

4. Arg. Quartum. Quæ sunt omnino simplicia non componuntur ex genere & differentia: sed angeli sunt omnino simplices, ergo non componentur ex genere, & differentia, & ita nō continebuntur in categoriis.

1. Opinio De hac quæstione est prima opinio

nio Plotini Aeneade 6. lib. 1. c. 2. Ammonij, Simplicij, Nicostrati, Boetij quam inter Latinos sequutus est Aegidius Romanus quodlibeto 1. q. 8. & Auerroes cum Auerroistis in locis quæstio. superiori propositis, substantias separatas nullo modo esse in hac catego. comprehensas.

2. Opin. Verum contrariam opinionem sequuntur Alexander Aphrodisæus vt testatur Simplicius, Themistius lib. 3. Physico. cap. 1. D. Thomas opus. 42. cap 5. & 1. p. q. 50. art. 2. ad 1. & omnes fere recentiores. In cuius explicationem sit prima conclusio.

1. Conc Substantiæ separatæ sunt limitibus alicuius generis comprehensæ. Hāc profitemur aduersus Zimarā Theoremma. 40. Iandunum 7. metaphy. q 9. Durandum in 2. dist. 8. q. 1. art. 1. in fine, & Marsilium in 2. q. 2. qui vno ore profitentur substantias separatas nullam generis, et differentię compositionem admittere. Confirmatur tamen primo. Omnis natura finita est limitibus alicuius generis circunscripta: sed natura substantiarum separatum est finita, ergo erit limitibus alicuius generis circunscripta. Deinde. Omnis natura quę potest concipi conceptu determinabili, & conceptu determinā te est ex genere & differentia consti ta, quia conceptus determinabilis est conceptus generis, determinans vero est conceptus differentię, sed natura substantiarum separatarum potest concipi conceptu determinabili, et conceptu determinante, nā possumus concipere naturam v. g. Michaelis esse substantiam, qui est conceptus determinabilis, eiseque spiritalem, qui est conceptus determinans substantiam ad naturam Michaelis, ergo natura substantiarum separatarum erit ex genere & differentia constitutra. Legendus est Soncinas 12. metaphy. q. 49.

1. Arg. 2. Arg.

2. Con. Secunda conclusio. In his substantiis ratio generis & differentiæ debent ex eadem natura angelica peti, iuxta accessum, aut recessum ab existentia illius, ratio quidem generis ex recessu, differentia vero ex accessu. Hanc profitetur D. Thom. opuscu. 42. cap. 5. quodlibeto 4. articu. 3. Caieta. cap 6. de ente fere in fine, Ferrari 2. c. g. cap 95. Soncl. 7. metaph q. 36. & alij Thomistæ. Quę confirmatur. Genus in qualibet natura debet sumi ab eo quod habet locum potentiæ, differentia vero ab eo quod habet locum actus: sed illud quod recedit ab existentia habet locum potentiæ, & quod accedit ad illam habet locum actus: ergo ab accessu ad existentiam sumetur ratio differentiæ, ex recessu vero ab eadem ratio generis. Propositio est perspicua, cōfirmatur assumtio. Quo aliquid recedit ab eo quod est primo, & maxime actus, eo erit magis potentiale, & quo magis accedet ad illud eo erit magis actu, sed existentia est primo, & maxime actus, imo est rerum omnium actualitas, vt 2. lib. Transcenden. cap. 1. docebamus, ergo ex accessu de existentiā erit aliquid magis in actu, & ex recessu erit magis potestate.

3. Cono. Tertia conclu. Substantiæ separatæ per se in hac categoria collocantur. Hanc fuisse apud multos ex veteribus communem testatur Gregorius in 1. dist. 8. q. 3. Confir. aduersus auctores 1. opinionis. Primo. Quæ constant genere & differentia in aliqua categoria continentur, sed substantiæ separatæ constāt genere, & differentia, vt fuit in 1. conclusio, confirmatum, ergo collocabuntur illæ in aliqua categoria. Secundo. Omne ens integrum, finitum, & in actu, sub limitibus alicuius categoriæ collocatur, sed substantiæ separatæ sunt huius modi ergo &c. Iam

1. argu. 2. Arg.

Universidad de Deusto Biblioteca

si hæ substantiæ ex eo non essent contentæ in aliqua categoria quia sunt simplices, sequeretur profecto neque accidentia spiritalia, vt scientiã, & virtutes non contineri in aliqua categoria, cum sint quoq. simplices quædam naturæ, quod quamuis Durandus admittere non pertimescat, est tamen aduersus Aristo. qui scientiam collocat in categoria qualitatis, & aduersus communem opinionem, non igitur ob hanc causam debuerunt aduersarij à limitibus categoriarum arcere substantias separatas, quia sunt naturæ simplices, & incompositæ. Vt illud addam etiam falli ipsos in hac re, non enim hæ substantiæ sunt omnino simplices, cum sint ex genere, & differentia, esse & essentia, supposito, & natura, subiecto & accidente, illę compositę.

Vbi supra.

Ad 1. arg. m. Ad argumenta ad primum respon. substantiam quę est genus supremum huius categoriæ abstrahere à substantia corporea & incorporea: sicuti animal quod est genus ad hominem, & brutum, abstrahit ab vtroque quia neque est homo neq. brutum, ac proinde poterit illud vere de substantiis separatis prædicari.

Ad 2. Ad secundum respondemus in substantiis materialibus peti genus à materia tanquam à primo principio, in angelis vero non peti à materia, sed ab eadem natura specifica, à qua iuxta attributa communia petitur natura, & ratio generis: iuxta attributa autem propria ratio differentiæ vt docuimus capit. de differentia, & in 2. conclusio. huius quæstionis.

Ad. 3. Ad tertium respon. Arist. nomine generis intellexisse materiam primam, alia namque est materia prima cælorum (qui sunt corpora incorruptibilia) & alia horum corporum inferiorũ corruptibilium. Ita locum istum interpretatur D. Tho, vna cum Alexandro Aphrodisæo, iuxta quorum interpretationem negamus consequentiam argumenti, nam hic est sermo de vero genere, argumentum autem concludit de materia prima, quæ diuersa est in corporibus superioribus, & inferioribus.

Ad quartum respon. falsam esse assumptionem, quamuis enim angeli non componantur ex materia, & forma, vt homo componitur ex corpore, & anima, ob quam causam vocantur substantiæ simplices: componuntur tamen ex esse, & essentia, suppositio & natura, genere, & differentia. Ad 4.

QVAESTIO VI. AN INfinitum in hac categoria contineatur.

NON est animus quæstionem hanc diffusa oratione pertractare, cum sit quæstio Theologica, & quam agitant Theologi 1. p. q. 5. & in 1. dist. 8. quod idem in omnibus aliis quæstionibus quæ à Theologis disputari solent, præstabimus, quas vel omnino prætermittemus, vel ita breuiter ab eis nos expediemus, vt potius ipsas attigisse, quam explicasse videamur. Igitur infinitum ens, vt est Deus opt. Max. contineri in catego substantiæ hæc argu. breuiter confirmare videntur. Primum est. Cui competit diffinitio, eidem etiam & diffinitum: at diffinitio, substantiæ, quæ continetur in hac categoria conuenit Deo, est enim illa ens per se existens, quę ratio optime Deo competit: ergo Deus continebitur in hac categoria. 1. Arg.

Secundum sit Paternitas, & filiatio quæ reperiuntur in diuinis sunt 2. Arg.

veræ, & legitimæ relationes: sed omnis relatio legitima, & vera continetur in catego. relationis: ergo paternitas, & filiatio diuina cõtinebũtur in catego. relationis. At paternitas, & filiatio diuina sunt Deus: ergo Deus continebitur in catego. relationis.

3. Arg. Tertium. Si aliquid obesset quominus Deus contineretur in categoriis ex eo esset, quia est infinitus, at hæc ratio nullius videtur esse momenti, quia etiam si daretur linea infinita, adhuc illa contineretur in catego. quantitatis: ergo Deus non obstante sua infinitate continbitur in aliqua catego.

4 argu. Quartum. Christus Dominus est Deꝰ: sed Christus continetur in hac categoria substantiæ. ergo etiam, & in eadem Deus continebitur.

5. Argu. Quintum. Mensura & mensuratũ continentur in eadem categoria, vt ait Arist 10. metaph. cap. 2. sed Deus est prima mensura omnis substantiæ: ergo Deus continetur in categ. substantiæ. Et confirmatur argu. ex D. Tho. 1. sententi. dist. 8. q. 4. art. 2. ad 3. & q. 7. de potentia art. 3. ad vlt. argu. constituente Deum contineri reductiue in catego. substantiæ sicuti illius principium: ergo saltim reductiue Deus in hac categoria continebitur.

2 Opin. In hac quęstione multi existimãt infinitum secundum entitatem (cuiusmodi est Deus opt. max.) cõtineri in categoriis. Hanc sententiam sequuntur Nominales, vt Gregorius Ocham Gabriel in 1. dist. 8. Grego. q. 3. Gabriel, et Ocham q. 5. et Marsilius in eodem 1. q. 12.

2. opin. Secunda est D. Tho. in 1 dist. 8. q. 4. ar. 2. ad 3. et q. 7. de potentia art 3 ad vlti. Deũ opt. max. per se nõ contineri in hac catego. contineri tamẽ reductiue tanquã principiũ illius, nã ptincipia reductiue in categ. suo tum principiatorum continentur.

Tertia est eiusdem D. Tho. hac priori reiecta 1. p. q. 3. art. 5. 1. c. Gent. cap. 25. D. Bonauenturæ, Ricardi, Aegidij, Argentinæ in 1. dist. 8. Sco. ibidem q. 2. Duran. in eodem libro dist. 3. q. 1. Caieta. cap. 6. de ente, & essentia, & in loco notato ex 1. p in in quo legendi sunt interpretes D. Tho. M. Bañes, Zumel, & Perez qui omnes profitentur Deum neq. per se, neque reductiue esse in hac categoria comprehensum. 3. Opin.

Hanc igitur sententiam vt explicemus adnotãdum est primo ex infinitis quædam dici infinita secundum essentiam, quorum scilicet essentia nullis finibus entis est circunscripta, sed ambit totam rationem entitatis, ita vt neque minimus gradus entis illi deesse vllo modo possit: alia vero esse secundũ durationem, quorum scilicet duratio nunquam incæpit, nec vnquam definet esse, qua ratione mundus est infinitus iuxta sententiam Aristo. vel si ipse conditus fuisset ab æterno à Deo (vt reuera potuit condi) fuisset hac ratione infinitus: & alia esse secundum quantitatem, vt esset linea infinita quæ nullis limitibus secundum longitudinem clauderetur: ac denique alia esse secundum qualitatem, qua ratione esset albedo infinita si esset ab omni subiecto auulsa, & separata, ita enim contineret illa omnes gradus albedinis, vt nullus sibi deesse vlla ratione posset: quod genus infiniti secundum intensione communi none nuncupatur. Iterum sciendum est quædam in categoriis per se contineri, alia vero reductiue, vt sæpe in superioribus admonuimus. 1. Obserua. 2. Obserua.

His animaduersis sit prima conclusio. Infinita secundum durationem, secundum quantitatem, & secundum intensionem (si essent) 1. Conc.

Universidad de Deusto
Biblioteca

continerentur per se in categoriis. Confirmatur imprimis. Orbes cœlestes (iuxta Arist.) sunt infiniti duratione, hi autem continentur in categoria substantiæ, ergo, &c. Præterea linea infinita, si illa daretur esset quidem secundum quantitatem infinita, quæ tamen in ipsa categoria quãtitatis contineretur esset enim vera quantitas. Tandemque si esset albedo separata ab omni subiecto, esset infinita secundum intensionẽ, quæ tamen esset vera qualitas comprehensa in catego. qualitatis: nam esset patibilis qualitas, ergo hæc tria genera infiniti (si illa essent) continentur in catego.

2. Conc. Secunda concl. Infinitum secundũ essentiam non continetur per se in catego. Confirmatur iis argumentis. Primum est. Quidquid continetur in categoriis constat genere, & differentia: sed ens infinitum, quod est Deus Opti. Max. non constat genere, & differentia: quia genus indicat potentiam passiuam, contrahibilem per contrarias differentias, quæ potentia nullo modo potest reperiri in Deo, cum sit actus simplex ergo Deus non continetur in categoriis vllo modo. Secundum. Quæ continentur in categoriis habent existentiã distinctam ab essentia, nã ea quæ continentur in aliquo genere conueniunt in natura, & differũt in esse, vt homo, & leo conueniunt in natura animalis, & distinguũtur in esse: aliud enim esse habet animal in homine, & aliud in equo: sed in Deo non differt esse ab essentia iuxta fidem, ergo Deus non continebitur in vlla categoria. Tertium. Illa quæ sunt infinita non continentur in categoriis, eo quod categoriæ exprimant certos, & determinatos gradus entis: sed Deus est infinitus secundum essentiam, ergo non continebitur in categoriis directe & per se. Aliæ rationes ex Theologis, maxime vero ex D. Tho. vbi supra peti poterunt.

1. argu.

2. Arg.

3. Arg.

Tertia conclusio. Neque reductiue veluti principium potest Deus cõtineri in categoriis. Confirmatur. Principium vel est intrinsecum, vel extrinsecum: at Deus non potest cõtineri vt principium intrinsecum, neque vt extrinsecum, ergo Deus nulla ratione poterit contineri in catego. Confirmatur assumptio. Imprimis non potest contineri vt principium intrinsecum, quia huiusmodi principia sunt in certa & determinata categoria, at Deus nequit ob suam infinitatem in certa aliqua categoria contineri. Deinde neque vt extrinsecum, quia illud quod continet omnia, conferens omnibus esse, non potest cõtineri sub illis: at Deus continet omnes categor. conferens omnibus illis esse, ergo non poterit hac ratione contineri in categoriis. 3. Conc.

Iam ad argumenta. Ad primum respon. negãdo assumptionem, quia ratio substantiæ non est ens per se existens, sed per se existens finite, & limitate, quæ ratio nullo modo potest Deo conuenire. Ad 1. argum.

Ad secundum dicimus eodẽ modo falsam esse assumptionem, non enim omnes veræ relationes continentur in categoria relationis, sed illæ tantum quæ sunt finitę, & limitatæ: at paternitas, & filiatio diuina, nõ sunt finitæ, sed infinitæ relatio. Ad 2.

Ad tertium dicimus solam rationem infiniti secundum essentiam impedire ne aliquid contineatur in catego. vnde quamuis linea esset infinita secundum longitudinem, nõ tamen secundum essentiam esset infinita, sed finita, & ita contineretur in categoria quãtitatis. At quia Deus est infinitus secundum essentiam, nulla ratione poterit contineri in categoriis. Ad 3.

Ad

Ad 4. Ad quartum respon. negando cõsequentiam, committitur enim in hac argumentatione fallacia accidẽtis, nam esse in categoria est accidens rationis quod dicitur de Christo ea ratione, qua est homo, at accidentia rationis conuenientia Christo non est necesse conueniant Deo: nam esse prædestinatum competit etiam Christo ea ratione qua homo est, quod tamen nullo modo potest Deo conuenire. Ad confirmationẽ vero dicimus, Deum esse reductiue in catego. substantiæ non sicuti contentum, sed sicuti continens illam: non sicuti qui cõtinetur, sed in quo continetur tota ratio catego. substãtiæ. Et ita dicimus D. Tho. intelligendum esse in locis in secunda opinione recensitis, quemadmodum illum intellexerunt, Capreolus in 1. senten. dist. 8. q. 2. & Caieta. 1. p. q. 3. art. 5. Quod si aliquando sancti Patres, vt D. August. 5. lib. de Trinita. cap. 2. & D. Seuerinus Boetius in libello de Trinitate, doceant in Deo proprie reperiri substantiam, & relationem, non sunt intelligendi de categoria substantiæ, & de catego. relationis cum ipsemet D. Aug. 7 de Trinitate cap. 5. doceat Deum abusiue vocari substantiam, sed de substantia & relatione quæ sunt analoga ad substantiam & relationem quæ in Deo, & in creaturis reperiuntur.

Obser. Solet etiam agitari quæstio. An anima particeps rationis sit prima substantia necne? quæ quamuis aliquando fuerit à nobis hoc loco proposita, quia tamen multa postulat ex his quæ in libris de anima pertractantur, ob hanc causam visum fuit ipsam in hoc loco prætermittere. Hactenus igitur de substantia.

Præfatio in Categorias accidentium.

CAtegoria substantię illiusque disputationibus absolutis, sequitur vt de categorijs accidentium disputemus. Verum cum duplex sit (inter alias) accidentis significatio, vna qua significat illud quod neque est genus, neque species, neque differentia, neque proprium, quod communi nomine accidens prædicabile nuncupatur, & alia in qua significat id quod alteri inhæret, vel vt dicunt, in qua si

Universidad de Deusto
Biblioteca

gnificat accidens Categoriæ, seu prædicamentale, de primo luculenter satis egimus in Commenta. in Porphy. de secundo supereſt vt in his catego. disputemus. Quia vero hæ categoriæ multa habent communia nimirũ essentiam, existentiam, diffinitionem, & alia, æquum erit vt antequam de singulis sigillatim, & seorsum disputemus, de his omnibus quæ ipsis communia sunt prius differamus. Quod certe ea qua poterimus diligentia præstabimus, speramus namque hanc disputationem esse maximo vsui omnibus Dialecticis futuram quam vnica Sectione comprehendemus.

Sectionis vnicæ de Accidentibus, quæstio I. An inhærentia sit de essentia accidentis.

A Natura accidentis disputationẽ auspicantes quærimus primo, an sit illa inhærẽtia in subiecto, nec ne? Etenim non esse his argumentis
1. argu. possumus confirmare. Primum est. Nulla relatio est de essẽtia absoluti, alioquin enim sequeretur omnia absoluta esse relata: sed inhærentia aptitudinalis, est relatio quædam ad subiectum, ergo inhærentia aptitudinalis non poterit esse de essentia accidentis, cum inter illa dẽtur multa accidentia absoluta.
2. Arg. Secundum arg. Si inhærentia aptitudinalis esset de essentia accidentis, vel illa esset quippiam absolutũ vel quippiam relatum: sed neutrum horum esse potest, non absolutum, quia non conueniret illa accidentibus relatis, neq. relatũ quia non cõueniret accidẽtibus absolutis: ergo huiusmodi inhærentia non erit de essentia accidentis. Tertium: In omni relatione fundamentum vel subiectũ illius sunt priora saltim natura ipsa relatione, sed subiectum relationis inhærentiæ ad substantiam est accidens, nam illud est quod denominatur inhærens, ergo accidens erit prius natura inhærentia, & ita non poterit esse de essentia illius, quia illud quod est de essẽtia prius est re habente essentiam. 3. Argu.
4. arg. Quartum. Si inhærentia esset de essentia accidentis sequeretur genera suprema habere supra se naturã aliquam synonymam, etenim posse inhærere subiecto est natura quędã communis accidentibus, & ex æquo illis conueniens, sed genera suprema non possunt obtinere supra se naturam aliquam synonymam omnium Philosophorum iudicio, quia sunt illa primo diuersa: ergo inhærentia non est de essentia accidentis.
5. Argu. Adhæc. Nulla res potest intelligi absq. eo quod est de essentia illius, sed Mathematici intelligunt quantitatem sine inhærentia, & nos etiam possumus intelligere accidentia per suum genus, & differentiam, sine vlla prorsus habitudine ad subiectũ, ergo inhærentia non erit de essentia accidentium Et confirmatur argumentum. Potest intelligi accidẽs sine inhærentia ad subiectum, ergo non erit illa de essentia accidentis. Confirmatur antecedens de accidẽtibus in abstracto, vt de albedine, vel sapientia, quæ intelliguntur sine vlla habitudine ad subiectum, nam apprehenduntur per modum per se stantis, & non per modum alteri inhærentis.
6. Arg. Ad extremum. Essentia alicuius rei non potest de illa per demonstrationem concludi, vt docet Arist. 2. de demonstra. quia de essentia præcognoscendum est ante demonstrationem illam conuenire subiecto, vt idem Aristo. profitetur 1. de demonst. cap. 1. sed per demonstrationem concludimus inhærentiam accidentis ad subiectum, vt inhærentiam risibilitatis ad hominẽ, ergo inhærentia non erit de essentia accid.

Quæstio hæc celebris est & apud Dialecticos, tũ apud metaphy. valde agitata, in qua est prima opinio Auerrois, Ianduni quęs. 1. lib 7. metaphy. Ioannis Bachonis lib. 1. senten. dist. 28, & aliorum Auerroistarum existimantium vtramque inhærentiam actualem, & aptitudinalem esse de essentia accidentis. 1. Opin.

Secũda opinio est huicex diametro opposita aliorum qui cõstituũt neutram inhærentiam esse de essentia accidentis, neque actualem, neq. aptitudinalem, quæ sententia placuit Scoto 4. lib. sentent. dist. 12. q. 1. & 7. metaphy. q. 1. Antonio Trõbetæ, Antonio Andreę 7. metaphy. q 1. Nicolao Boneto in sua Metaph. & aliis Scotistis, & ex Thomistis Sõcinati lib. 7. metaph. q. 1. & Flandr. qu 1. arti. 1. & 2. & Zimaræ theorema. 3. ex lib. 7. metaphysico. 2. Opi.

Tertia opinio est aliorum existentium inhærentiam actualem non esse de essentia subiecti: aptitudinalẽ vero esse de ipsius natura, quã amplectitur D Tho. 3. p. q. 77. artic. 1. 4. lib. senten. distin. 12. q. 1. arti. 1. in solutio. 1. argu & alibi sępissime, Cajeta. cap 7. libelli de ente, & essentia, Feriarien. 4. contra gent. cap. 65. Iauellus, Aquarius, Suesanus 7. lib. metaphy q. 1 Capreolus in 4. distin. 12., Herueus, Petrus Niger q. vlti. in 1. par. clypei omnes Thomistæ, & denique omnes recentiores qui recte philosophantur. 3. opin.

His igitur opinionibus propositis, vt quæstionem explicemus sciẽdum erit duplicem esse inhærentiã, vnam secundum actum, & alteram secundum aptitudinem, vel (vt alij dicunt) vnam actualem, & alteram aptitudinalem. Inhærentia accidentium secundum actum est vnio eorum actualis in subiecto: secundum aptitudinem vero est aptitudo quædam & potentia, vt possint illi inhę- Obser.

Universidad de Deusto Biblioteca

rere quamuis actu non inhæreant.

1. Conc. Hoc igitur animaduerso sit prima conclusio aduersus Auerroistas. Inhærentia actualis non est de essentia accidentis. Confirmatur aduersus hunc modum. Illud quod est de essentia alicuius rei non potest separari ab illa etiam per potentiam diuinam: sed actualis inhærentia accidentis in subiecto separatur aliquando ab accidente, vt in sacramento Eucharistiæ separatur à quantitate, est enim ibi quantitas sine subiecto aliquo iuxta fidem: ergo actualis inhærentia non erit de essentia accidentis. Esse aũt de fide accidentia in sacramento Eucharistiæ absq. inhærẽtia in subie. existere constat ex Cõcilio Cõstãtien si sessi. 8. vbi inter varios errores Ioãnis Hus ab eo condẽnatos, secundus est, accidentia non esse in Eucharistiæ sacramento absque subiecto. Præterea ante demonstrationem prænoscendum est de subiecto, quænam sit illius natura & essentia auctore Arist. 1. de demõstra. cap. 1. vnde non potest essentia concludi per demonstrationem, sed concludimus per demõstrationem, actualem inhærentiam accidentis ad subiectum, vt actualem inhærentiã risibilitatis in homine: ergo actualis inhærentia non erit de essentia accidentis.

2. Conc. Secunda conclusio. Essentia accidentium est inhærentia secundũ aptitudinem in subiecto, vel vt alij dicunt, est inhærentia aptitudinalis. Hæc conclusio apud eos qui recte sentiunt nulla ratione potest esse dubia, præsertimq. apud eos qui doctrinam Aristo. profitentur, cum

1. Arg. ipse 7. lib. metaphy. cap. 1. doceat accidentia nullam aliam habere entitatem, nisi illam quam ab inhærentia in subiecto consequuntur, quia accidentis inquit esse, est inesse. Et apertius multo cap. 4. eiusdem lib. inquirens num in accidentibus quẽ admodum & in substantiis detur essentia quæ explicetur essentiali diffinitione, constituit dari quidẽ non tamen primo, & per se, sed secundo loco & per aliud, scilicet per habitudinem ad subiectum, & attributionem ad illud, quare inquit homonyme dicetur ab vno, & ad vnũ de substantia, & de accidentibus.

2. Arg. Deinde in vnaquaque re illa assignari debet natura & essentia, quæ illi competit amoto quocunque extrinseco, & non essentiali, his enim amotis sola attributa essentialia supersunt: sed amoto ab accidentibus quocunque extrinseco, & non essentiali, adhuc supereſt in eis aptitudinalis inhærentia ad subiectum: ergo hæc inhærentia erit illorum natura & essentia. Propositio est apertissima, confirmatur assumptio. Si ab aliquo accidente (vt à magnitudine v. g.) amoueamus omnia extrinseca, & non essentialia, vt esse candidam, vel atram, calidã, vel frigidã, asperam, vel lenem, duorum vel trium cubitorum, & sic de aliis: rogo num conueniat magnitudini aptitudinalis inhærentia, vel non. Si conueniat, erit igitur illa de essentia accidentium; si vero non cõueniat, ergo magnitudo erit substantia, quod ita confirmo. Illud quod est ens, & non est in aliquo tanquam in subiecto neque actu, neque aptitudine, est substantia, quia hæc est natura substantiæ, neque actu neq; aptitudine esse in aliquo tanquam in subiecto: sed amoto quocunque extrinseco, & non essentiali, magnitudo est ens, & neque actu neque aptitudine est in aliquo tanquam in subiecto: ergo erit substantia. Rursus in analogis attributionis analoga minus præcipua secundum essentiam denotant habitudinem ad analogum magis præcipuum, vt in analogia

3. Arg.

logia sani medicamenta, vrina, & dieta, denotant secundum essentiã habitudinem aut causæ, aut signi ad sanitatem animalis, quæ huius analogiæ est magis præcipuum analogum: sed ens est analogũ attribuionis ad substantiam, et ad accidẽtia, quemadmodum sanum, auctore Arist. 4. lib. metaphy. cap 2 et 11. cap. 3. et 12. cap. 4. ergo cum in hac analogia accidentia sint membra minus præcipua, indicabunt illa secundum essentiam habitudinem secundum inhærentiam aptitudinalẽ ad subiectum. Iam. De natura et essentia accidentis est dependere à substantia: vel ergo erit de essentia dependere ab ea secundum actum, vel dependere secundum aptitudine, secundum actum dependere nõ esse naturam, probatum est in superiori conclusio. dependebit igitur secundum aptitudinem: quare aptitudinalis inhærentia erit de essentia accidentis. Rursus. Eo modo sehabent accidentia ad esse in alio, quo se habet substantia ad esse per se: sed de ratione substã. est esse per se secundum aptitudinem: ergo de accidentis ratione erit esse in alio secundum aptitudinem.

4. Arg.

5. Arg.

Interro. Quod si quis roget quænam sit sententia Arist. in hac re. Respondẽ dum erit, ipsum nihil certũ de hac

Solutio dubitatione statuisse: at quantum ex illo colligi potest primam sententiam Auerrois videtur fuisse sequutus. Quod sane colligi potest primo quia 7. metaphy. cap. 1. inquit accidentis esse (id est essentiam et existentiam) esse inesse subiecto, et in eodem cap. profitetur accidentia cõcreta esse magis entia quam abstracta, quia significantur, vt magis inhærentia subiecto: & cap. 4. eiusdem lib. admittit essentiam in accidentiqus, dependentem tamen à substantia, & cap. 13. & 1. physico, cap. 7. pro maximo absurdo colligit accidentia esse separabilia à subiecto. Ex quibus locis perspicue satis colligi potest iuxta Arist. essentiam accidentis esse actu inhærere subiecto: Non dicturus haudubie si superiori lumine, quam naturali fuisset perfusus, nimirum lumine fidei, hoc siquidẽ lumine mentem illustrante, hac sententiam esse falsam iam in prima cõclusio. collegimus, de accidentibus sanctissimi sacramenti Eucharistiæ, quę veram habent ac legitimam essentiam, cum tamen nulli subiecto inhæreãt secundum actum.

Supereſt argumentis quæ in initio pro aliorum opinione proposuimus occurramus. Ad primum di cimus duplicem esse relationem vnam transcendentem, et alteram categ. prima illa est relatio ad subiectum: secunda vero ad terminum cuiusmodi est relatio patris ad filiũ, vel magistri ad discipulum. Relatio igitur qua accidens ad subiectum refertur, non est relatio categoriæ, sed transcendens, et hæc est de essentia absoluti, nam quamuis relationes categoriæ non sint de essentia absoluti, vt paternitas non est de essentia hominis: relationes tamẽ transcendentes sunt de essentia eiusdem entis absoluti. Consulite de hac solutione Caieta.

Ad 1. argumen.

Ad secundum respon. aptitudinalem inhærentiam neque esse quidpiam absolutum, neque quidpiam relatum, sed abstrahere ab vtroque, quemadmodum omnia superiora abstrahunt à rationibus suorum inferiorum. Neque illa diuisio entis in absolutum, et relatum competit enti in communi, sed enti quod continetur in categoriis, ita vt ea quæ continentur in categoriis, vel sint absoluta, vel relata: at posse inhærere subiecto nõ continetur in aliqua categoria, sed diffunditur per om-

Ad 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tres categorias accidentium.

Ad 3. Ad tertium dicimus propositionem esse veram in relationibus catego. esse autem falsam in relationibus transcendentibus, & ita cum relatio inhærentiæ sit transcendens, subiectum illius non erit prius, sed posterius, quia non est subiectum secundum rem, sed secundum modum.

Ad 4. Ad quartum respon propositionem esse falsam, quia essentia non prædicatur synonyme cum sit inclusa in vltimis differentiis accidentium, sed analogice, vt ostendemus in vltima quæst. proœmiali accidẽtium.

Ad 5. Ad quintum respon. Mathematicos implicite etiam intelligere quantitatem cum illius inhærẽtia ad subiectum: nam quamuis illi abstrahãt quantitatem à materia sensili, non tamen abstrahunt à materia intelligibili, quæ est substantia sine qualitatibus, & quando aliquis cognoscit accidens per suum genus, & differẽtiam, implicite cognoscit habitudinem illius ad subiectum. Ad confirmationem eiusdem argu. Respon. eodem modo in accidentibus in abstracto denotari habitudinem ad subiectum implicitam. Vel respondere possumus accidentia posse sumi vel secundum rem, vel secundum modum significandi, secundum rẽ semper denotant inhærentiam aptitudinalem ad subiectum: secũdum modum autem significãdi, possunt aliquando non denotare illam, quãdo scilicet significantur per modũ substantiæ, vt quando significantur in abstracto: nam est ita propriũ substantiæ neque actu, neque aptitudine alicui inhærere, vt non solũ illa quæ est vera, & legitima substãtia, verum etiam quidquid habet modum illius (vt afficitur huiusmodi modo) neque actu, neque aptitudine denotet aliquam inhærentiam in subiecto Cæterum hæc collectio nulla est, accidens vt significatur in abstracto non denotat inhærentiam aptitudinalem ad subiectum. ergo absolute, & iuxta propriam entitatem non denotabit illam, nam argumentamur à modo rei ad rem, vel à re ita concepta, ad eandem absolute sumptam, qui modus argumentandi fallax est, & nullius momenti. Quod si quis dicat sine his quæ sunt de essentia rei non potest res vllo modo concipi, etiam in prima operatione intellectus: sed accidentia in abstracto possunt conci pi sine aptitudinali inhærentia, ergo huiusmodi inhærentia, non erit essentia accidentium. Respondendum erit duplicem esse cognitionẽ vnam confusam, & alteram distinctam, si loquamur de distincta, verum est non posse neque in prima operatione intellectus rem, aliquam cognosci sine omnibus attributis suis essentialibus: si vero agamus de confusa recte poterit cognosci sine aliquibus attributis, nam hominem v. g cõfusa cognitione cognoscere possumus esse substantiam vtentem ratione, absq. eo quod cognoscamus illum esse animal vel corpus sentiens, atque ita si agamus de confusa cognitione, accidentia in abstracto cognosci poterunt sine inhærentia aptitudinali, quæ est attributum ipsorum essentiale, distincte tamẽ nullo modo poterimus ita cognoscere, sed necesse est ad hãc distinctam cognitionem, vt cognoscatur inhærentia aptitudinalis. Quare non debuit propter hoc argumẽtum Flandrensis, illustris alioquin Thomista, & Metaphysi. à verissima sententia D. Tho. à nobis explicata recedere.

Ad 6. Ad sextum dicimus tantum concludi per demonstrationem inhærentiam actualem accidentis ad subiectum, non autem aptitudinalem, quæ prænoscenda est ante demonstrationem: at inhærentia actualis non est iuxta nos essentia ipsius accidentis, sed proprietas dumtaxat.

Replic. Vrgent tamen adhuc aduersarij. Datur aliquod accidens quod nullam neque actu, neque aptitudine denotat inhærẽtiam cum subiecto: ergo inhærentia aptitudinalis non erit de essentia accidentis. Consequentia est perspicua, confirmatur antecedens. Relatio est accidens (etiam in propria & peculiari ratione sumpta) sed illa non denotat inhærentiam ad subiectum, sed ad terminum, ergo datur aliquod accidens quod non denotet inhærentiam aptitudinalem ad subiectum. Cæterũ neque hoc argum. nos commouere vllo modo debet, vt à vera sententia recedamus: negandum siquidem est relationem etiam in propria ratione non denotare inhærentiam aptitudinalem ad subiectum, differt tamen ab aliis accidentibus absolutis in eo, quia reliqua accidentia tam in communi, quam in propria ratione, solam & præcisam habitudinem denotant ad subiectum: at vero relatio in communi (ratione accidentis) denotat habitudinem eandem ad illud: in propria vero & peculiari, vt ab aliis categoriis secernitur, ad idẽ etiam subiectum denotat habitudinem, verum nõ solam, & præcisam, sed cum illa denotat habitudinem ad suum terminum, vt in categoria relatorum latius ostendemus.

Replic.

Solutio.

Solutio

QVAESTIO II. AN SIT, & quid sit existentia accidentium.

QVid sit essentia accidentis explicatum supereſt in quęstione su-

periori, sequitur vt de eorundem existentia disseramus, an nimirum sit, & quid illa sit, num scilicet sit vnio vel inhærentia eorum secundũ actum in subiecto.

1. Arg. Et quidem non esse hanc vnionem cõfirmatur primo, quia in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento quantitas, & alia accidentia existũt propria & peculiari existentia accidentium, at illa iuxta fidem non inhærent secundum actum alicui subiecto, ergo existentia accidentium non erit actualis inhærentia illorum in subiecto. Quod siquis dicat. In

Solutio. sacramento Eucharistiæ accidentia non existere per naturalem existentiam, sed per supernaturalem, & miraculosam, nos autem tantum hic agere de existentia naturali accidentium, & hanc dicimus esse vnionem actualem cum subiecto, quam Deus vi sua, & per miraculum supplet in Sacramento. Contra ita ago. Deus

Reiicit. non potest supplere vices materiæ, vt neque vices formæ, quemadmodum omnes Theologi vno ore profitentur: sed subiectum concurrit in genere causæ materialis ad existentiam accidentium (quia hoc genere causæ concurrit ad vnionem eorũdem) ergo Deus non poterit supplere existentiam accidentium in sacramento.

2. argu. Præterea. Relationes rei habent propriam & peculiarem existentiã, sed illa non est haurienda ex inhærentia actuali, & vnione cum subiecto, ergo existentia accidentium nõ erit vnio actualis eorum in subiecto. Confirmatur assumptio. Esse relatorum est ad aliud, nimirum ad terminum se habere, vt constat ex illorum diffinitione, ergo & existentia quoque ex habitudine ad termi num, & non ex vnione actuali cum subiecto erit haurienda.

1. Conc. Sit tamen in explicationem quę-

stio-

Universidad de Deusto Biblioteca

sionis prima conclusio. In accidentibus rei (nam de his agimus, datur vera & legitima existentia. Confirmatur. Accidentia habent veram & legitimam naturam, eamque integram, & quæ non sit pars alterius: sed ab omni natura integra fluit existentia eiusdem categoriæ, ergo & ab essentia accidentium fluet quoq. existentia accidentaria. Secundo. Existentia est actus primus quo vna quæque res est à parte rei existens extra suas causas producentes: sed in accidentibus datur huiusmodi actus, vt in quantitate v. g. datur actus, quo ipsa primo sit à parte rei extra suam causam producentem, ergo in accidentibus dabitur vera & realis existentia.

2. Conc. Secunda conclusio. Hæc existentia non est simpliciter, sed secundū

1. Arg. quid vocanda existentia. Hæc confirmatur primo, quia eo modo habet aliquid existētiam, quo est ens: sed accidentia non sunt entia simpliciter vt auctor est Arist. 7. metaphy. cap. 1. ergo non erit illa simpliciter, & absolute existētia. Secundo

2. Argu. quia illa existētia quæ æget alterius ope vt sit, non est simpliciter existētia quia in suo genere indiget altero: sed existentia accidentium indiget altero vt sit, nimirum existentia subiecti, ergo non erit existentia simpliciter, & absolute.

De his duabus assertionibus nulla est controuersia, est autem non leuis de quiddita. & natura illi⁹, quid nimirum illa sit, num scilicet sit vnio actualis accidentium cum subiecto, vel quidpiam aliud ab hac vnione distinctum. Est enim prima

1. Opin. opinio Durandi in 1. dist. 8. q. 2. ad 2. existentiam non esse vnionem actualem in subiecto, sed quidpiam aliud, quod quid sit non explicat il-

2. opin. le. At contra sentiunt Soncinas 7. li. metaphy. q. 2. in fine, Flandrensis in eodem lib q 5 art. 5. & multi alij (nā hæc est communis inter recentiores Philosophos opinio) quorum vestigiis inhærentes hanc tertiam subijcimus assertionem.

Existentia accidentium nulla est 3. Conc. alia, quam vnio vel inhærentia illorum secundum actum in subiecto. Hanc his argu. efficacibus satis suademus. Primum. Existentia accidentium est actus, vel ergo est per se existens, vel alteri inexistens, nam hæ sunt duæ differentiæ ambientes omnem actum; cum ergo non sit actus per se subsistens, cum huiusmodi actus tantum conueniat substantiis separatis, & animæ compositionis, erit hauddubie actus inexistens. Deinde. Actus inexistens quidam existit in materia, & alius in subiecto, prioris generis actus sunt formæ substantiales quæ existunt in materia prima, igitur existentia erit actus secundi generis existens in subiecto: cum ergo inexistere subiecto nihil aliud sit, quam vnio secundum actum in illo, hæc erit existentia accidentium. Confir. arg. 1. Confirma. In esse accidentis est vniri actu cum subiecto, nā in esse si nominis vim contemplemur est esse in aliquo: sed in esse accidentis est illius existentia, vt perspicuis verbis docet Aris. 7. metaphy. cap. 1. inquiens accidentis esse, vel existentiā, nihil aliud est se, quam inesse, ergo vnio in actu existentia accidentium. Præterea. Quemadmodum se habet substantia ad vtramque cohærentiam, vel existentiam per se, secundum actum nimirum, & secundum aptitudinē: ita etiam se habebit accidens ad vtramque inhærentiam secundum actum & secundum aptitudinem, quia quod est substantiæ esse per se, est accidētibus esse in alio: sed essentia substantiæ est esse per se secūdum aptitudinem, vt auctor est D. Tho.

Tho. 3. p. 77. art. 1. ad 2. existentia vero est esse per se actu: ergo inhærere subiecto secundum aptitudinem erit essentia accidentis, inhærere uero secundum actum erit illius

3. Arg. existentia. Tertium. Existentia est primus actus quo vnaquæque res est à parte rei extra suas causas: sed accidentia sunt à parte rei extra suas causas per vnionem actualem cum subiecto, quæ vnio est primus actus accidentium, vt est apertum: ergo illa erit existentia accidentium. Rursus. Ille actus qui primo

4. Arg. fluit ab essentia si prætermittatur suæ naturæ est existentia. Hæc propositio est perspicua quia existentia est actus primo fluens ab essentia: at inhærentia secundum actum est actus, qui primo fluit ab essentia accidentis, si pretermittatur suæ naturæ, quemadmodum in sanctissimo Eucharistiæ sacramento, si accidētia prætermitterentur suæ naturæ, statim vnirentur secundum actum cum subiecto, cum semper obtineāt naturalem procliuitatem, & propensionem ad subiectum, ergo inhærentia secundum actum erit e-

5. argu. xistentia accidentium. Ad extremū egregio quodam testimonio D. Th. nostram assertionem cōfirmamus. Is siquidem in commenat. in 1. cap. lib. 1. de demonstratione explicans causam ob quam de proprietate cognoscere debeamus ante demonstrationem quid sit, & nō an sit, inquit causam esse quia proprietates habent naturam, quæ potest ante demonstrationem prænosci per diffinitionem: at quia proprietates esse, vel existere, concluditur per demonstrationem (quia concludimus in illa actualem vnionem proprietatis in subiecto, quæ & in ipsis, & in reliquis accidentis est propria, & naturalis existentia) propterea non præ

noscitur ante demonstrationem an sit, nam quod concluditur non debet prænosci. Subiiciam verba D. Tho. vt facilius multo possit quilibet eius mentem percipere. *De passione autem potest quidē sciri quid est quia quodammodo diffinitionem habet. Passionis autem esse, & cuiuslibet accidentis est ineesse subiecto, quod quidem in demōstratione concluditur.* Igitur concludē dum erit existentiam accidentium esse illorum inhærentiam secundū actum in subiecto.

Ad argumenta in principio proposita. Ad primum respon. nostram assertionem intelligendam esse de Ad 1. ar existentia naturali accidentium id gumen. est, de ea quæ ab ipsorum essentia flueret, si prætermitterētur illa suæ naturæ: at in sacramento Eucharistiæ, accidentia non existunt per aliquam existentiam naturalem, sed per miraculosam, & supernaturalē, quæ num sit sola manutenētia Dei, vel modus aliquis per modum substantiæ illis collatus cū sit res Theologica, Theologis examinanda prætermittitur 3. p. p. 77. art 1. & in 4. sent. distin. 12. Ad huius solutionis nostræ confutationem respon. in materia reperiri tres actus quorum primus est vniri, cum forma, secundus componere totum, & tertius sustentare formam. Quamuis ergo Deus opt. max. non posit supplere vices materiæ ratione primi, & secundi actus, quia neque potest vniri cum forma, neque potest componere totum, potest tamen supplere vices materiæ ratione tertij actus qui est sustentare formam, non per informationem, sed vel per manutenētiam, vel alio modo. Et ita in hac re poterit Deus supplere vices subiecti sustinendo scilicet accidentia in sacramento Eucharistiæ quæ antea sustinebat in subiecto.

Ad secundum dicimus falsam esse assumptionem, quia relationes Ad 2. quem-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quemadmodum & alia accidẽtia ob tinent ſuam exiſtentiam à ſubiecto. Ad confirmationem vero reſpon. in diffinitione relatorum quando diffinimus illa eſſe quorum totum eſſe eſt ad aliud ſe habere, nomine eſſe non debere intelligi eſſe quod ſignificat exiſtentiam, ſed eſſe quod ſignificat eſſentiam, ac ſi apertius illa ita diffiniremus. Relata ſunt quorum eſſentia eſt ad aliud referri, vt docet D. Tho. 1. ſenten. diſ. 26. q. 2. artic. 1. in corpore, & apertius multo diſ. 33. q. 1. artic. 1. in ſolutione ad 1. & ita nomine illius particulæ eſſe, quam Boetius in ſua interpretatione adhibuit in propoſita diffinitione, Ioachimus Perionius interpretatus eſt, vim, & naturam, ita enim ille vertit. Relata ſunt quorum vis & natura in eo poſita eſt, vt ad aliud referantur, quæ interpretatio illuſtriorem multo, & clariorem reddit diffinitionem relatorum quam ſit prior illa Boetij.

QVAESTIO III. AN EXIſtentia accidentis differat ab accidente.

1. argu. NON diſtingui argumenta iſta demonſtrant. Primum. Nulla res poteſt diſtingui reipſa à Transcẽden. ſeu à modis internis entis: at inhærentia actualis eſt tranſcendens, cum diuagetur per omnes categor. accidentium, ſitque modus internus entis coercẽs illius naturam ad accidentia, ergo inhęrẽtia actualis, vel quod idem eſt exiſtentia accidẽtium, non differet reipſa ab accidentibus, & ab ipſorum natura. Confirmatur argumentum. Proprietates quæ non deſtinantur ad agendum, ſed ad eſſendum non differunt reipſa à ſuis ſubiectis: ſed exiſtentia accidentium eſt proprietas eſſentiæ, & non deſtinatur ad agendum, ſed ad eſſendum, ergo exiſtentia accidentium non differet reipſa ab eorum eſſentia.

2. argu. Secundum. Si exiſtentia accidentium reipſa diſtingueretur ab accidente, vel illa eſſet ſubſtantia, vel accidens: at neutrum dici poteſt, ergo non differet reipſa ab eo. Propoſitio eſt perſpicua, confirmatur aſſumptio. Imprimis apertum eſt nõ eſſe ſubſtantiam, deinde confirmo non eſſe accidens. Omne accidens inhæret alicui ſubiecto, igitur ſi exiſtentia accidentium eſt accidens inhærebit alicui ſubiecto. Rogo iam de hac ſecunda inhærentia num illa differat ab accidente, necne? Si non differt ergo aſſequimur inſtitutum: ſi vero differt, ergo cùm non ſit illa ſubſtantia erit accidens, atque ita inhærebit ſubiecto media alia inhærentia, ſicque abibimus in infinitũ, quod cum ſit falſum, ſequitur inhærentiam accidentis non differre ſecundum rem ab eo.

In hac quæſtione Soncinati placuit 7 lib. metap. q. 1. conſtituere exiſtentiam accidentium non eſſe diſtinctam ab eis ſecundum rem. At D. Tho. 4. lib. ſenten. diſ. 12. q. 1. arti. 1. quæſtiun. 3. ad 5 docet contrarium huius, inquiens in accidentibus ſeparatis in ſanctiſsimo Euchariſtiæ ſacramento diſtingui ſecundum rem eſſe, & eſſentiam, eſſeque ibi compoſitionẽ ex quoeſt, & quod eſt, ſicut in angelis. Idem profitentur Capreolus in 1. diſtin. 8. quæſt. 2 ad 6 argum. contra primam aſſertionem, Caieta. 1. p. q. 28. art. 2. ad 2. Scotus 7. lib. metaph. q. 1. dicto 3. Aquarius q. 4. lib. metaph. & alij.

1. opin. 2. Opin.

In huius poſterioris opinionis tã quam verioris, & rationi magis conſonæ explicationem, ſit hæc vnica concluſio. In accidentibus exiſtentia, & ab accidentibus, & ab illorum eſſen-

1. Arg. eſſentia reipſa diſtinguitur. Confirmatur primo. Inhærentia ſecundũ actum, & ſecundum aptitudinem, reipſa diſtinguũtur: ſed exiſtentia accidentium eſt inhærentia ſecundum actum, inhærentia vero ſecundum aptitudinem eſt eorundem eſſentia: eſſentia igitur & exiſtentia in accidentibus reipſa diſtinguentur. Aſſũptio conſtat ex ſuperioribus, confirmatur propoſitio. Quando aliqua ita ſunt affecta, vt vno pereunte, alterum remaneat reipſa diſtinguuntur, alioquin enim idem periret, & non periret, remaneret, & non remaneret, ſimulque eſſet & non eſſet: at pereunte actuali inhærentia, remanet aptitudinalis, vt videmus in ſacramento Euchariſtiæ, in quo accidentia non inhærent actu in ſubiecto, ſed ſola poteſtate, vnde & pereũte inhærentia actuali, remanet aptitudinalis, ergo hæ inhærentiæ reipſa diſtinguentur. Deinde. Hoc inter

2. Arg. eſt inter effectum alicuius formę primum, & ſecundum, quod à primo effectu non differt forma reipſa, bene tamen à ſecundo diſtinguitur reipſa, nam ſi à ſecundo non differret, quemadmodum à primo nõ poteſt ſeparari, quia non differt ab eo: ita neque à ſecundo poſſet, quod tamẽ in humanitate Chriſti domini cernimus eſſe falſum, quæ ſeparatur ab effectu eius ſecundo, qui eſt eſſe exiſtentiæ: at inhærentia actualis eſt effectus ſecundus formæ accidentariæ, quia primus eſt eſſe eſſentiæ, vel eſſe inhærentiæ aptitudinalis, ergo inhærentia actualis reipſa differt à formis accidentariis & ex conſequenti in accidentibus eſſentia, &

3. Arg. exiſtentia reipſa diſtinguentur. Præterea. In omnibus creaturis exiſtentia reipſa differt ab eſſentia, & ab ipſiſmet creaturis, vt cum D. Th. & aliis Philoſophis late docuimus 2. li. Tranſcenden. cap. 8. ergo & in accidentibus exiſtentia illorum reipſa differet, & ab eſſentia eorundem, & ab ipſiſmet accidentibus. Et certe quamuis ſint naturæ quædam ſimplices non propterea non diſtingue tur exiſtentia ab illis, nam ſubſtantiæ ſeparatæ ſunt etiam naturæ ſimplices, à quibus tamen exiſtentia reipſa ſeparatur.

Ad 1. argumen. Iam ad argumenta in initio propoſita. Ad primum reſpond. negando aſſumptionem, quia exiſtentia accidentium non eſt tranſcendens, cum neque ſit de eſſentia accidentium, neque includatur in vltimo eorum conceptu, quæ duo debent neceſſario omni tranſcendenti conuenire. Vnde quemadmodum in ente illud quod denotat exiſtentiam non eſt tranſcendẽs, ſed illud quod exprimit eſſentiam, ita quoque in accidente illud quod denotabit exiſtentiam non erit tranſcendens, ſed illud quod ſignificabit eſſentiam. Ad confirmationem vero reſp. proprietates quæ non deſtinantur ad agendum, ſed ad eſſendum non diſtingui reipſa à ſuis ſubiectis, ſi non attineant ad exiſtentiam ipſius ſubiecti, vt eſt appetitus in materia prima, & Vnum, ac Verum in ente, quę proprietates eædem ſunt cum ſuis ſubiectis, quia non ſpectant ad eorum exiſtentiam. At ſi attinuerint ad ſui ſubiecti exiſtentiam, reipſa diſtinguentur ab eo, vnde exiſtentia differet ab eſſentia, quamuis ſit illius proprietas non deſtinata ad agendum.

Ad 2. Ad ſecundum reſpon. exiſtentiã accidentium neque eſſe ſubſtantiã neque accidens per ſe, ſed eſſe aſtũ, & terminum accidentium, & ita nõ inhærebit accidenti media inhærẽrentia, ſed erit id ratione cuius omnia accidentia ſubiecto inhæreant, quamuis ipſa non inhæreat: quemadmodum albedo eſt id ratione cuius

ius aliquid vt nix v.g est alba, cum tamen ipsa nó sit alba. Etenim hoc quod est inhærere subiecto tantum competit ipsi accidenti, quod per se est accidens, non autem eius modo, aut vlti. actui qualis est existentia.

QVAESTIO IIII. AN ACcidentia habeant propriam, & peculiarem existentiam.

ACcidentia non habere propriam & peculiarem existentiam distinctam ab existentia substantiæ, sed existere illa pereandem existentiam per quam & ipsa substantia existit, argumenta ista nó admodum leuia confirmare videntur. Primum. Illa quæ generantur eadem generatione habent eandem existentiã, quia terminus generationis est esse existentiæ: sed accidentia generantur eadem generatione, qua & substantia generatur, vt eadem generatione qua generatur v.g. Petrus, generatur etiam illius candor, magnitudo, & alia accidentia: ergo accidentia obtinebunt eandem existentiã quam obtinet substantia. 1. Arg.

Secundum argu. Si accidentia haberent existentiam distinctam, ab existentia substantiæ, vel esset illa aptitudinalis inhærentia vel actualis: sed neutra ex iis esse potest, ergo accidentia non habebunt existentiam reipsa distinctam ab existentia substantiæ. Propositio patet, confirmatur assumptio. Imprimis existentia accidentium non potest esse aptitudinalis inhærentia, nam hæc est illorum essentia, iuxta opinionem autem D. Tho. essentia & existentia in omnibus rebus creatis differunt reipsa. Deinde neque potest existentia eorum esse inhærentia actualis, quia in sacramẽto altaris accidentia existunt per propriam existentiam, quętamen cum nullo subiecto sunt vnita. 2. argu.

Tertium. Accidentia ex Arist. 7. metaphy. cap. 1. non sunt entiæ, sed entis entia, quia tantum sunt vel mensuræ vt quantitas, vel affectiones substantiæ: vt qualitas &c. Ergo accidentia non obtinebunt propriam existentiam à substantiæ existentia distinctam. 3. Argu.

Quartum. Si accidentia haberent propriam existentiam distinctam ab existentia substantiæ, cum inueniantur multa accidentia in eodem subiecto inuenirentur etiam in eodẽ subiecto multæ & diuersæ existẽtiæ: at hoc absurdum videtur, quia in vno subiecto, & suppositó tantũ constituitur vna existẽtia: ergo accidentia non habebunt propriam existentiam. 4. arg.

In hac quæstione sunt graues viri qui arbitrantur accidentia carere propria & peculiari existentia, quæ reipsa sit ab existentia substantiæ diuersa, ad eamque existentiam ipsa existere, ad quam & substantia existit. Placuit olim hæc opinio Aegidio Romano in libello de esse & essentiaq. 10 & 7. metaphy. quæst. 2. ac denique 1. lib. senten. dist. 8. q. 1. art. 2. M. Soto q. 6. lib. 1. physi. aliisq. multis recentioribus. 1. Opin.

At aliij eruditi Philosophi, contrarium docent existimant enim accidentia habere propriam existentiam distinctam omnino, ac re diuersam ab existentia substantiæ. In hac opinione existit Soncinas 7. metaphy. quæst. 5. conclu. 1. Dominicus à Flandria in eodem lib. q. 1. art. 5 Scotus 4. senten. dist. 12 q. 1. & latissime omnium Institutor noster eruditissimus Dominicus Bañes 1. p. q. 3. ar. 4. dubita. 5. quorum opinionem libenter amplectimur præsertim quia D. Tho. illam expresse sequutus est 2. Opin.

3. p. q. 17. art. 2. constituens in Petro esse diuersas existentias, nam aliud esse est illi collatum ab albedine, & aliud à nigredine, & aliud à magnitudine. Id ipsum docere non destitit 4. c. genr. cap. 14. aliisq. quã plurimis in locis.

Sit igitur in explicationem quæstionis 1. conclusio. Existentia accidentium est reipsa distincta ab existentia substantię. Confirmatur imprimis. Entitas dependens, & non dependens sunt entitates reipsa distinctæ: sed existentia substantię est entitas non dependens, accidentiũ vero existentia dependens est: ergo existentia substan. &c. Deinde existẽtia est actus, & terminus essentiæ fluens ab illa tanquam à propria, & legitima causa, sed alia est essentia accidentium & alia substantiæ, ergo &c. Confirmatur hoc argumen. Cuilibet potentiæ correspondere debet suus proprius actus: at essentia est potentia, existentia vero est actus, cum igitur alia sit essentia accidentis, alia vero substantię, etiam erit alia existentia accidentis, & alia existentia substantiæ. Præterea quę nerantur generatione diuersa à generatione substantiæ, obtinere debent diuersam existentiam à substantia, terminus enim generationis iuxta omnes Philosophos est esse existentię: at quampluria accidentia vt omnia quotquot sunt accidentia separabilia generantur diuersa generatione à generatione substantiæ, vt apertissime constat: ergo accidentia habebunt existentiam distinctam ab existentia substantię: Adhæc. Esse album est esse distinctum ab esse hominis secundum rẽ: sed existentia albedinis est esse album: differet igitur reipsa existentia albedinis, ab esse hominis. Ad extremum. Existentia naturalis, & supernaturalis reipsa differunt: sed dã 1. Conclusio. 1. argu. 2. Arg. 3. Argu. 4. Arg. 5. Argu.

tur pleraque accidentia, quæ habẽt existentiam supernaturalẽ, vt sunt fides, spes, charitas, & omnia alia accidentia supernaturalia, ergo cum existentia substantiæ sit naturalis, accidentia habebunt existẽtiam rei psa distinctã ab existentia subiecti.

Ad argumenta ad primum concedimus propositionem de iis quæ generantur simul, & eadem generatione non tempore solum, sed etiam natura, cuiusmodi sunt Petrus, homo, & animal, hæc enim habent vnam, & eandem existentiam. Vnde cum subiectum & accidentia generẽtur simul tempore, non tamen simul natura non erit vna, & adem existentia substantiæ, & accidentis. Respon. deinde terminum generationis (v.g. Petri) esse duplicẽ primum vnum, alterum vero secundum, primus est ipsemet Petrus, secundus vero sunt illius quantitas, candor, & alia indiuiduantia accidẽtia: vnde & duplex etiam est existẽtia, vna substantiæ alia autem accidentis, candoris scilicet, vel magnitudinis. Vnde hoc argumentum nó colligit accidentia non habere existentiam propriam, sed non habere illam primo loco vt substantia, sed secundo dumtaxat. Ad 1. argumen.

Ad secundum dicimus existentiã accidentium esse actualem inhærentiam: si loquamur de existentia illorũ naturali, quod si in sacramento altaris accidentia aliter existant hoc non est naturaliter, sed miraculose, & supernaturaliter, vnde ibi verissimum est ipsorum existentiam non esse sitam vllo modo in vnione actuali, sed tantum in virtute diuina, quæ num sit manutenentia diuina, vt Mag. Sotus & alij volunt, vel modus substantiæ collatus accidentibus vt opinatur Caie. Theologis discutienda prætermittimus 3. p. quæst. 77. Ad 2.

Ad. 3. Ad tertium negamus consequentiam ex hoc enim loco tantum colligitur substantiam esse causam existentiæ, & entitatis accidentiũ, vel efficientem, vel formalem, vel materialem, non autem existere accidentia per existentiam substantiæ.

Ad 4. Ad quartum admittimus libentissime in eodem subiecto dari multas existentias accidentarias, tot scilicet quot sunt in eo accidentia, non autem substantiales, nam hæc quemadmodum & forma substantialis vnica dumtaxat est in vnico subiecto, vt ingenue profitetur D. Tho. 3. par. q. 17. arti. 2.

QVAESTIO IIII. AN OMnia accidentia uendicent sibi determinatum subiectum.

1. Argu. PArs negans his rationibus & argumentis niti videtur. Primum est. Si omnia accidentia vendicarẽt sibi certum subiectum á cuius natura fluerent, sequeretur omnia accidentia esse propria: illa namque dicuntur accidentia propria, quæ fluunt à natura determinata subiecti: hoc autem dicere est absurdum, cũ dentur pleraque accidentia communia, ergo non vendicabunt sibi omnia quotquot sunt accidentia subiectũ certum à cuius natura fluãt.

2. Argu. Secundum. Fides, spes, & charitas sunt accidentia contenta in categoria qualitatis: hæc autẽ non fluũt à natura alicui⁹ subiecti, sunt enim accidentia supernaturalia, quæ à Deo tantum queunt prouenire, ergo non omnia accidentia vendicãt sibi certum aliquod subiectum à cuius natura fluant.

3. Argu. Tertium. Accidentia illa quæ sub subiectum aliquod certum sibi vendicant taliter sunt ad illud affecta, vt illis peremptis, etiam & subiectũ pereat: sed peremptis quamplurimis accidentibus, comprobamus experimento remanere sæpe sæpius integrum, atque illęsum subiectum, nõ ergo omnia accidentia vendicant sibi certum subiectum à cuius natura fluant.

1. obser. Quæstionem istam luculenter satis ac erudite pertractant Caieta. c. 7. libelli de ente & essentia, Ferrari. 3. contra gent. cap. 7. quam eandẽ, vt & nos explicemus duo ex D. Th. animaduertemus, 1. est ex q. 1. de virtutibus in cõi arti. 3 triplicem esse habitudinem substantiæ in ordine ad accidentia, prima est potentiæ ad actum, substantia enim potest recipere accidentia, quare est in potentia ad illa, velut ad actum aliquem: secunda est principij ad illud quod habet ortum ex principiis, eo quod accidentia omnia deriuãtur velut à proprio principio à substantia, sicut risibilitas ab homine, & calor ab igne: tertia est substantiæ seu sustinentis, ad rem quæ sustentatur, omnia siquidem accidentia à substantia, & in substantia sustentantur, nõ secus quam parietes alicui⁹ domus sustentari intuemur à fundamentis.

Obser. 2 Secundo annotat. ex eodem D. Tho. in 2. sentent. dis. 26. q. 1. art. 2, ad 2. quædam accidentia fluere à substantia secundum actum perfectum, sicut calor fluit ab igne, alia vero solum fluere ab eisdem secundum potestatem, sicuti esse lucidũ, fluit secundum solam potestatem ab aere: nam quia est ille diaphanus & transparens, habet insitam facultatem, vt possit lumen recipere: ete nim actu non ab illo, sed à Sole flue re manifestum est satis: tandemque alia esse quæ sunt in substantia ab extrinseco, & per coactionem, sicuti est calor in aqua, non enim ille ab aquæ

aquæ natura fluit, sed in ipsa aqua ab igne paulatim introducitur ac deriuatur.

4. Conc. His animaduertis quæstionẽ propositam his conclusionibus declaramus. Prima est. Omnia accidentia vendicant sibi certum subiectũ, in quo sustententur, vel cui inhæreant. Confirmatur. Omnia accidẽtia, vel sunt corporea, vt albedo, & dulcedo, vel spiritalia, vt species intellectiles, virtutes, & vitia: at ex iis quæ corporea sunt adeo proprie in corpore sunt, vt in spiritu nullo modo esse possint & è contra quæ spiritalia ita sibi propriam sedem in spiritu obtinent, vt in corpore vllo pacto nequeant existere: vendicabunt igitur omnia accidentia quæcunq. illa sint certum sibi aliquod, & determinatum subiectum cui inhæreant. Cæterum cum sit duplex subiectum accidentium, genericum vnum & alterum specificum, proposita conclusio tantum de subiecto generico est intelligenda, nam albedo & nigredo non vendicant sibi certũ subiectum specificum cui soli inhæreant, vt hominem, v.g. vel niuem, cum in multis subiectis reperiantur sed genericum dumtaxat, corpus nimirum, omnia quippe illa in corpore, velut in proprio subiecto reperiuntur.

2. Conc. Secunda conclusio. Omnia accidentia vendicant sibi certum aliquod subiectũ à cuius natura fluãt tanquam a proprio & legitimo principio. Confirmatur imprimis quadã inductione adhibita, nam risibilitas ita fluit ab homine, vt non fluat à boue, & hinnibilitas ita fluit ab equo, vt non fluat à leone Præterea colores & sapores ita fluunt à corpotibus mixtis, vt à simplicibus, & elementis fluere nulla ratione queant, & hoc idem est de aliis: iam igitur omnia accidentia vendicabunt sibi certum aliquod subiectum à cuius natura fluant. Præterea differentiæ in accidentibus peti debent à propriis principiis, à quibus dimanant, quemadmodum in cap de differen. quæst. vltima docuimus, sed omnia accidentia obtinent proprias & legimas differentias: omnia igitur accidentia obtinent propria ac legitima principia à quibus illa fluant. ita D. Tho 3 contra gentes cap 7. Verũ cum sit adnotatum esse quædam accidentia quæ fluunt à subiecto secũdum actum perfectũ, vt calor fluit ab igne: & alia quæ fluunt secundũ solam potestatem, vt lumen fluit ab aere, hæc conclusio vtroque modo est intelligenda, ita vt quædam accidentia vendicent sibi certum subiectum à quo fluant secundum actum, & alia vendicent sibi subiectum proprium à quo fluant secundum potestatem.

3. Conc Tertia conclusio. Omnia accidentia vendicant sibi in subiecto propriam potentiam, quæ ita est propria potentia illius accidẽtis, vt nulla ratione sit alterius accidentis, quẽ admodum quantitas in homine vẽdicat sibi certam & determinatam potentiam, quæ ita est ad quantitatem recipiendam, vt nulla ratione sit ad qualitatem: & qualitas in eodem homine vendicat sibi determinatam potentiam, quæ ita est ad recipiendam qualitatem, vt non possit eadem ipsa reciperequantitatem. Confirmatur duobus testimoniis Arist. Primum petitum est ex 4. cap. 12. lib. metaph. vbi constituit in vnaquaque categot. reperiri propriũ actum, & propriam potestatem, ergo cum in substantia inhæreant omnes aliæ categoriæ accidentium, alia potentia erit in illa ad recipiendam quantitatem, & alia ad recipiendam qualitatem, quare quantitas vendicabit sibi certam potentiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

in substantia, & qualitas item certã sibi sortietur in eadem substantia potentiam, & hoc idem iudicium erit de omnibus aliis categoris. Secundum testimonium colligitur ex 2. Physi. cap. 2. vbi inquit aliam potentiam esse in homine adesse sanum, & aliam ad ægrotandum, cum ergo ęgritudo, & optima valetudo, quæ sunt accidentarij actus, inter se non parum diuersi, vendicent sibi in homine certas potentias, alia potentia erit in substantia ad quantitatem recipiendam, & alia ad qualitatem, & alia similiter ad actionem, passionem, & relationem, cæteraſq. omnes categ. omnia itaq. accidentia vendicabunt sibi certam, & determinatam potentiam in subiecto.

4. Conclusio. Quarta conclusio. Accidẽtia quæ sunt in subiecto per vim, & coactionem non fluunt à natura illius subiecti in quo sunt, sed à natura alterius. Confirmatur hæc assertio, seu potius manifestatur exemplo apertissimo in medium adducto Calor v. g. qui est in aqua non fluit à natura aquæ, cum enim frigida sit, nequit producere à se calorem, vnde calor ipse à natura ignis fluit. Verũ cum triplex sit in subiecto, siue in substantia ad accidentia habitudo, vt admonuimus, intelligenda est illa etiam de accidentibus extrinsece aduenientibus vnà cum intrinsecis, si enim de solis extrinsecis agamus duæ solummodo sunt in subiecto respectu illorum habitudines, nimirum potentiæ ad actum, & subiecti seu sustinentis, ad rem sustentatam in eo, alia siquidem habitudo, quæ est principij ad id quod ortum habet à principio, nullo modo potest in his accidentibus reperiri.

Ad 1. argumen. Satisfaciamus iam argumentis in oppositum. Ad primum respond. in primis diuisionem illam accidentis in proprium, & commune non esse diuisionem accidentis in communi sed accidentis specifici, ita vt sensus sit accidentia specifica quædã sunt propria & alia communia, vt in homine albedo est accidens commune cum competat aliis ab ipso, at vero risibilitas est accidens proprium, cũ illi tantummodo possit conuenire. Respon. deinde omnia accidentia esse propria, & esse communia respectu diuersorum subiectorum, vt albedo est accidens commune si referatur ad hominem, vel equum, est tamen accidens proprium si referatur ad corpus mixtum, est itaq. optima huiusmodi diuisio accidentis si intelligatur illa respectu diuersorum.

Ad 2. Ad secundum respon. primo accidentia hæc quamuis non secundũ actum, secundum potestatem tamẽ fluere à natura subiecti, nam quem admodum egregie docet D. Aug. c. 5 in lib. de sanctorum prædestinatione, quamuis habere fidem, sicuti, & habere charitatem sit gratię fideliũ, posse tñ habere fidem & posse habere charitatẽ naturæ est hominum. Respon. deinde accidentia ista esse supernaturalia, nobis autem de naturalibus solum accidentibus sermo est in præsenti quæstione.

Ad 3. Ad tertium dicimus accidentia duobus modis posse perire aut secũdum actum, aut secundundum aptitudinem, vnde quamuis peremptis quibusdam accidentibus secundum actum, non pereat subiectum, peremptis tamen eisdem secundum aptitudinem, etiam & subectum perit, nam licet peremptocolore secundum actum non pereat v. g. Petrus, cum possit interim affici frigore, si tamen pereat calor secundum aptitudinem à Petro, vel homine, necesse est illico Petrum, seu hominem perire. Vnde peremptis quibusdam accidentibus secundum actum perit aliquando subiectum, & peremptis secũdum aptitudinem debet etiam necessario perire & illud.

QVAESTIO V. AN Accidens prædicetur synonymos de 9. catego. accidentium.

IN postrema quęstione querendũ superest qua ratione accidens sit affectum ad nouem quæ illi subijciuntur categorias. Et quidem accidens quidpiam synonymũ esse respectu nouem categoriarum accidentium his rationibus conantur non nulli demonstrare.

1. Arg. Primo, Illa sunt synonyma quorum nomen commune est, & ratio nomini accommodata etiam est eadem: at nomen istud accidens est commune ad nouem catego. ratio etiam illo significata vna est, & eadem in omnibus illis, est enim illa posse inhærere subiecto quæ dicitur de omnibus accidentibus: ergo accidens erit synonymum ad nouem categorias.

2. Argu. Deinde. Quando aliquod superius ita prædicatur de suis inferioribus, vt non prædicetur prius de vno, quam de altero est synonymum sed accidens non prædicatur prius de quantitate, & deinde de aliis accidentibus per attributionem ad illam, vt docuimus: ergo accidens erit natura synonyma.

3. Arg. Iterum. Substantia est inclusa in conceptu vltimo differentiarum vltimarum suæ categoriæ: sed hoc nõ impedit quominus sit genus supremum: quamuis ergo accidens sit inclusum in cõceptu vltimarum differentiarum accidentium, erit nihilominus illud genus, & synonymũ. Quod si respondeat aliquis substantiam quæ est inclusa in vltimis differentiis non esse illam quæ est genus supremum, & natura supremum, & natura synonyma, sed illam quæ est diuisa contra accidens. Vlterius progredior, per contorque quare cum accidens sumi etiam possit duobus modis sicuti & substantia, primo vt est diuisum contra substantiam, & secundo vt denotat naturam integram & absolutam, sicut substantia vt denotat naturam integram est genus supremum, accidens etiam vt significat naturam integram non erit genus supremum etiam constituendum.

4 argu. Adhæc. Accidentia inhærent subiecto media quantitate, vt candor inhæret manui media extremitate: ergo reliqua accidentia erunt accidentia per attributionem ad quãtitatem, cuius contrarium videtur esse verum, iam ergo &c.

1. Opin. In hac quæstione M. Sotus q. 2. cap. 4. Antecatego. in solutio 1. arg. in eam abiit sententiam, vt existimarit accidens esse synonymum ad nouem catego. accidentiũ, eo quod (inquit) eodem nomine, & eadem ratione de omnibus illis prædicetur. Hanc opinionem antea docuerat Herueus quodlib. 2. qu. 7. ad 8. & inter recentiores Zumel 1. p. q. 13. ar. 5. & multi ex Neotericis Philosophis.

2. opinẽ Alij distingunt accidens in illud quod significat naturam integram, & completam contentam in recta serie catego. & in illud quod significat quidquid non est substatia, quæ significatio est late patens, continet enim sub se non solum naturam integram accidentis, verum etiam differentias, & modos illius, huiusmodi quippe differentiæ, partes, & modi cum non sint substantiæ etũt accidentia. Hac præmissa distinctione constituunt accidens quod significat naturam integram non solum esse synonymum ad nouem

catego. verum etiam esse verum genus ad illas: idē vero accidens prout est diuisum contra substantiam non esse synonymum, sed esse analogum, non secus de accidente, quā de substantia philosophantes prout illa significat vel naturam integrā & completam, vel quidquid diuidi tur contra accidens in hac opinione exist unt nonnulli huius ætatis philosophi.

Veriorem tamen opinionem amplectuntur alij absolute docentes accidens non esse synonymum, sed analogum ad has categorias. Hanc sequūtur Caieta. cap. 7. libelli de ente, & essentia in solutio. 3. argu. in ea q. in qua quærit an inhærentia sit de essentia accidentis, Ferrarien. 1. cont. Gent. cap. 32. Soncinas 4. metaphy. q. 4. ad 2. Viguerius cap. 2. institutionum paragrapho 2. verbo. 2. Petrus à Fonseca 4. metaphy cap. 2. quæst. 2. in solutio. vlti. aliq. multi cum eis.

Nos autem vt quæstionem propositam explicemus has subiicimus 1. Cone. conclusiones. Prima est. Accidens vt est diuisum contra substantiam non est aliquid synonymum ad nouem categorias accidentium. Con- 1. Arg. firmatur his argumentis. Primum. Illa prædicantur synonyme quæ prædicantur eodem nomine, & eadem ratione: sed accidens non prædicatur eadem ratione de nouem categoriis: ergo non prædicabitur synonyme. Confirmatur assumptio quantitas ea ratione qua est accidēs aliquid includit, quod non includit qualitas, & qualitas aliquid, quod non quantitas, nam differentia vel modus internus per quem separatur quantitas à qualitate, cum non sit substantia erit accidens, qui tamen ita competit quātitati, vt nullo modo possit conuenire qualitati, ergo accidens non prædicatur ea dem ratione de categoriis accidentium. Secundum. Omnis vox simplex quæ nata est dici de multis synonyme vel est genus, vel differentia, vel species, aut alia ex quinque prædicabilibus, sicut docuimus sectione vltima de rebus vniuersis q. 1. & D. Th. docet 1. cont. Gent. cap. 32. ratio. 3. sed accidens est vox communis, & simplex, quę nata est dici synonyme de multis iuxta Sotum: ergo vel erit genus, vel species, vel alia ex quinque vocibus vniuersis: at neque potest esse accidens commune, neque proprium, hę namque duæ voces prędicantur accidentario, accidēs vero prędicatur inquid, & secundum essentiam de nouem categoriis: neque potest etiam differentia esse, quia non prædicatur de illis in quale: neque potest esse species, cum prædicetur de multis specie differentibus, de nouem nimirū categoriis: ergo erit genus: Sed hoc est falsum vt ostendemus in sequenti conclusione, & est aduersus Sotū in eodem loco asserentem, accidens non esse genus, quamuis sit synonymum: ergo accidens non erit quidpiam synonymum ad nouē catego. 2. Arg.

Secunda conclusio. Idem accidēs non est genus ad nouē categorias. 2. Conc. Confirmatur imprimis quia omne genus est natura synonyma: at accidens non est natura synonyma, vt fuit probatum: ergo &c. Deinde ex eo ens non est genus quia est inclusum in conceptu vltimarum differentiarum, auctore Arist. 3. metaph. cap 3. atqui accidens etiam est inclusum in conceptu vltimarum differentiarum, quia differentiæ accidentium sunt vera accidentia: ergo accidens non erit genus ad nouem categorias. Cæterum quia aduersari) possunt respondere, duo hæc argumenta tantum conuincere accidens quod est diuisum contra substantiam non esse genus, quia hoc est inclusum in vltimis differentiis: nihil autem probare de accidente quod significat naturam integram, hoc namque non est inclusum in ipsis differentiis hanc tertiam adhibemus conclu. 1. Arg. 3. conc.

Accidens quod significat naturā integram, & completam neque est natura synonyma neque generica. Non esse synonymam confirmatur primo. Quia quælibet natu- 1. argu. ra synonyma vendicat sibi certam aliquam categoriam in qua cōtinea tur, neque assignari poterit natura aliqua synonyma quæ nō continea tur in certa aliqua & determinata categoria, sed accidens huiusmodi (integrum & completum) in nulla certa categoria accidentium cōtinetur: sese enim per omnes illas diffundit, & diuagatur, igitur non erit natura 2. Arg. synonyma. Secundo. Quia natura synonyma est præcisa a conceptu suorum inferiorum: denotat enim certum, & diffinitum gradum non includentem sua inferiora, vt natura animalis est præcisa à cōceptu hominis, & bruti, denotatque certum gradum, nimirum naturam sentientem, quæ neque hominem, neq. brutum includit: sed natura huius accidentis nō est præcisa à quantitate, qualitate, & aliis (loquimur de conceptu illius perfecto) etenim accidens significat quantitatem, qualitem, & reliquas categorias, vt sunt inter se similes in entitate accidentaria, ergo non erit natura synony.

Præterea, non esse genericam confirmatur. Primo ex his quæ nuper diximus. Quia natura accidentis non est synonyma, at quælibet natura generica debet esse synonyma. Secundo. Genera suprema (vt sunt omnes categoriæ) sunt primo diuersa iuxta Arist. & omnes Philo so. 8. metap. c. 6. sed quæ sunt primo diuersa non possunt conuenire in aliqua natura generica communi, nam si conuenirent differrent etiam in eadem natura per aliquas differē tias: ergo accidens non poterit esse genus ad nouem catego.

Quarta conclusio. Accidens est analogū proportionalitatis ad eas- 4. Conclusio. dem nouem catego. Confirmatur. Quemadmodum quantitas sese habet ad esse in aliquo tanquā in subiecto (quod est esse accidens) ita etiā sese habet qualitas ad esse in aliquo tanquam in subiecto: sed hoc modo se habent analoga proportionalitatis, vt scilicet, quemadmodum hoc se habet ad illud, ita etiam & hoc ad illud sese habeat: vt quemadmodum se habet pes animalis ad animal, ita etiam pes scamni ad scamnum: ergo accidens erit analogum proportionalitatis.

Quinta conclusio. Accidens non 5. Conc. solum est analogum proportionalitatis, verum etiam attributionis ad nouem accidētium categorias, quic quid nonnulli asserant contrarium opinantes. Vnde quemadmodum ens est analogum attributionis, & proportionalitatis simul ad substātiam, & ad accidentia, ita etiam accidens vtroque simul genere analogiæ erit analogum ad nouem categ. Obseruacirca eō clasio. Cæterum adnotandum est duplicē esse analogiam secundum attributionem auctore D. Tho. 1. p. q. 13. art. 5. vnā vnius per attributionem ad aliud, cuiusmodi est analogia sani prout dicitur de vrina sana, & de animali sano, est enim vrina sana ꝓpter attributionem ad sanitatem animalis: alia vero sunt analoga non quia vnū alteri tribuatur, sed quia alia duo vel plura referuntur ad vnum tertium, cuiusmodi est analogia sanitatis ea ratione, qua dicitur de vrina, & medicina, non enim medicina est sana quia refertur ad vri-

nam, neque vrina quia refertur ad medicinam: sed ex eo vocantur hęc vtraque sana, quia referuntur ad vnum tertium, sanitatem scilicet animalis. Cum ergo sit hęc duplex analegia accidens est analogum analogia illa, qua aliqua referuntur ad vnum tertium, nam quantitas, qualitas, & alia accidentia propriam rationem accidentis & peculiarē, quæ est esse in aliquo tanquam in subiecto consequuntur per habitudinem ad substantiam: non tamen sunt analoga attribu. per habitudinem vnius ad alterum, ita vt quantitas sit primum, & per se accidens, qualitas vero, & reliqua accidentia sint accidentia per attributionem ad quantitatem, velut quibusdam videtur vt Vigue. io quorū huiusmodi sententiam falsam esse ex iis poterimus colligere. Primo quia dantur multa accidentia quæ inhærent subiecto, & non media quantitate, cuius generis sunt omnia accidentia spiritalia. Deinde quia in analogis attributionis vnius ad alterum minus præcipuum analogum, per magis præcipuum analogum debet diffiniri, vt sanitas vrinæ diffinienda est per sanitatem animalis: at alia accidentia non diffiniuntur per quantitatem, nam albedo diffinitur color disgregans visum in qua diffinitione nec mentio fit quātitatis. Præterea quia essentia accidentis est inhærentia aptitudinalis, at huiusmodi inhærentia non competit aliis accidentibus propter quantitatem, nam si Deus separaret qualitatem à quātitate, vt albedinem v. g. adhuc illa in sui ratione includeret inhærentiam aptitudinalem ad subiectum, quæ tamen esset à quantitate separata: quare ex iis aperte constabit accidens non esse analogum attributionis eo quod primo prædicetur de quantitate, & deinde de aliis accidentibus mediante illa & per attributionem ad eam: sed esse analogū aliquorū plurium ad vnum tertiū, quia omnia accidentia, vt accidentia sunt referuntur ad substantiā à qua obtinent suam naturam, quem admodum ens est analogum attributionis ad Deum, & ad creaturas, quia creaturæ referuntur ad vnum scilicet ad Deum à quo tanquam à causa obtinent suam naturam & entitatem.

Quæ ratio sit accidēs analo.

Confut. quorū. Opini.

Occurramus tandem argumentis propositis. Ad primum negamus assumptionem, si loquamur de ratione adæquata, & totali, inhærere enim in communi tantum, non est ratio adæquata accidentis, sed inadęquata, & imperfecta, non enim exhaurit totam naturam accidentium singulariū: sed in quantitate inhęrere subiecto, vt mensura illius, est adæquata ratio ipsius: & in qualitate inhęrere subiecto, vt affectio illius est tota, & perfecta ratio accidētis. Vnde cum inhærere subiecto sicut illius mensura ita competat quātitati, vt qualitati nullo modo conueniire queat, neganda erit proinde assumptio, accidens nimirum eadem ratione efferri de nouem categoriis.

Ad 1. argum.

Ad secundum respond. negando propositionem, quia pes analogice dicitur de pede animalis, & pede scāni, & tamen non dicitur de pede animalis, per attributionem ad pedem scamni, vel ęconuerso.

Ad 2.

Ad tertium respon. substantiam quæ est inclusa in vltimis differentiis non esse illam quæ est genus supremum, & natura synonyma, sed illam quæ est diuisa contra accidens. Et ad petitionem disparis rationis inter accidens & substantiam, dicimus rationem esse, quia substantia, vt significat naturam integram continetur intra limites suæ categoriæ nec

Ad 3.

nec est communis ad plura genera suprema, sed tantum continet infra se genera intermedia & species infimas: accidens autē etiam prout denotat naturam integram, qua ratione in differentiis non est inclusum, est ad nouem genera suprema accidentium commune, cum vero genera suprema supra se aliud genus nequeant continere, ea propter accidens non erit genus ad nouem categorias accidentium, etiam vt denotat naturam integram, nec in differentiis est inclusum, bene tamen substantia hac ratione sumpta poterit esse genus supremum.

Ad 4.

Ad quartum respon. imprimis negando antecedens, nam accidentia spiritalia non sunt in subiecto media ipsa quantitate. Respon. deinde negando etiam consequentiam, quānis enim accidentia corporea sint in subiecto media quantitate, non tamen sunt media illa velut causa, & ratione essendi, quia hoc quod est accidentia esse in subiecto prouenit ex eo quia substantia est ens primo & per se, sed inhærent media quantitate velut cōditione sine qua non, quia accidentia corporea non essent in substantia nisi ipsa esset affecta quantitate, at vero quod est cōditio sine qua non, non est id per attributionem ad quod cætera dicantur esse talia.

Disputant etiam nonnulli, num accidentia diffiniantur per additū necne? verum quia hæc quæstio in duobus locis fuit à nobis explicata, nimirum Sectio 1. q. 4. in cap. vltim. antecategoriarum, & quæst. 1. sect. 1. in c. de substantia, illam hoc loco prætermittimus. Hæc igitur de antecategoriis accidentium, in quibus de accidentibus in communi disseruimus, sequitur vt de singulis categoriis sigillatim, & seorsum disputemus.

DE QVANTITA te caput ſecundum.

ARGVMENTVM CAP.

POſt categor. ſubſtantiæ ſequitur illic ocateg. Quantita. quã duabus partibus abſoluit Ariſto. in 1. proponit tres diuiſiones illius, & in ſecundo tres eiuſdem tradit proprietates.

QVantorum autem aliud deiũctum eſt, aliud continuatum, & partim ex partibus conſtant, quæ ſitum quendam inter ſe habent, partim ex ijs quæ non habent. Eſt autem deiunctum, ut numerus, ut oratio. Cõtinuum, ut linea, extremitas, corpus, & præterea locus, & tempus. B. Nã numeri partium terminus communis nullus eſt, quo eius partes coniũgantur. Velut ſi quinque ſint partes decem, nullo communi termino quinque, & quinque coniuncta ſunt, ſed ſeparata, neque tribus & ſeptem ullus communis terminus accommodatur. Nec poſſis omninò in numero cõmunem ullum partium terminum reperire, ſed ſemper ſecretæ ſunt ac ſeparatæ. Ita numerus in eis eſt quæ ſeeretæ ſunt. C. Similis eſt ratio orationis. Nam quantam eſſe orationem ex hoc perſpici poteſt, quòd ſyllaba breui longaq; ponderatur Id quod de uocis oratione intellectum uolo. Partes enim eius nullo communi termino coaptantur, quoniam terminus communis nullus eſt, quo ſyllabæ cohæreãt, uerùm per ſe quæque ſecreta eſt. D. Linea autem continuata eſt. Licet enim communem ſumere terminum, punctum uidelicet, quo eius partes coniungantur; & extremitatis lineã. Nam extremitatis partes ad certum communem terminum omnes pertinent. Item in corpore potes reperire communem terminum, lineam, uel extremitatẽ, qua coniunctæ ſint partes corporis. Atque etiam locus & tempus ſunt generis eiuſdem. Nam & id tempus quod adeſt, quodque præſens eſt, cum præterito & futuro copulatur. Eſt uero & locus ex numero continuorum; locum enim certũ corporis partes occupãt, quæ aliquo communi termino coaptantur. Loci ergo partes quæ ſingulas corporis partes continent, eodem termino quo corporis partes copulantur. Ita in continuatis eſt locus quandoquidem ad certum communẽ terminum eius partes pertinent. E. Præterea alia ex partibus conſtant, quæ habent ſitum inter ſe: alia ex ijs, quæ non habent, ueluti lineæ partes ſitum certum tenent, quoniam unaquæque alicubi ſita eſt: poteſq; ubiquæque ſita ſit in plano explicare, quaq; cum parte reliquarum omnium

nium coaptetur. Itemq; plani partes ſitum certum obtinent. Aequè enim doceri poteſt, ubi ſingulæ ſitæ ſint, et quæ inter ſe sũt aptæ. Eadem eſt rõ ſolidi corporis, & loci partiũ. At uero in numero, quem eius partes inter ſe ſitum habeãt, aut ubi ſitæ ſint, aut quæ inter ſe uinctæ atque aptæ, docere nemo poteſt. Ne temporis quidem; pars enim nulla manet temporis. Quod autem non manet, quì ſitum certum habeatẽ quin potius ordinem certum id obtinere poſſis dicere, quia temporis pars alia prior, alia poſterior eſt. Similiterq; in numero, quod unum prius quam duo, & duo ante quàm tria numerãtur. F. Ita ordinem quendam certum obtinent, ſitum autem eorum nunquam certe poſſis recipere. Eadem eſt ratio orationis. Nulla enim eius pars manet, ſed prolata & miſſa uox, iam nuſquam eſt nec uſpiam capi poteſt. Non igitur ſitus ullus erit eius partium, ſiquidem nulla manet. Alia igitur ex partibus conſtant quæ ipſæ certo quodam ſitu conſtant. Alia ex iis quæ non conſtant. G. Sed propriè quanta nominantur ea ſola quæ diximus, impropriè & ex accidente cætera omnia. Hæc enim ſpectantes & intuentes, cætera quanta appellamus: ueluti multum album aliquid dicimus, quod extremitas magna ſit; actionem longam quòd multum in ea conſumitur temporis ac multus etiã motus. Neque enim quicquam eorũ per ſe quantum dicitur: ut ſiquis doceat quanta ſit actio, eam tempore definiet annuam eſſe dicens, aut ſic quodammodo. Et qui res quàm ſit alba exprimet, extremitatis ratione explicabit. Nam quàm longa eſt extremitas, tam album aliquid eſſe confirmauerit. Ita fit, ut ſola ea quæ enumerata ſunt, propriè quanta dicãtur, reliqua omnia non per ſe, ſed ex accidente. H. Iam quantis nihil contrarium eſt. Nam certis ac definitis perſpicuum eſt nihil aduerſari, ut rei trium aut duorum cubitorum, uel extremitati neque ulli eorum quæ ſunt generis eiuſdem. Nihil enim eſt quod ſit eis quaſi ex aduerſo oppoſitum. Niſi fortè dicat aliquis & multa paucis, & magna paruis eſſe contraria. Atqui non ſunt hæc in quantis, ſed in iis quæ cum aliquo comparantur. Nihil enim per ſe magnum aut paruũ dicitur, ſed quod cum alio comparatur. Vt mõs paruus, milium magnũ: quia hoc maius ſit omnibus iis quæ ſunt eiuſdem generis: ille, quia minor aliis eiuſdem generis. Fit igitur cum altero collatio. Nam ſi per ſe magna aut parua dicerentur, nunquam certe mons paruus, nec milium magnũ uocaretur. Præterea in uico multos eſſe, Athenis paucos, cum ſint multo plures dicimus: & domi multos in theatro paucos, cum ſit multo maior numerus. Iam res duorum & res triũ cubitorum, cæteraq; eiuſdem generis, quantum ſit aliquid ſignificant: magna autem & parua non quantũ ſit ſignificant, ſed potius comparationem. Nã ex altero ſpectatur quod magnum eſt & quod paruum. Perſpicuum eſt igitur, ea in iis eſſe quæ cũ aliquo comparantur. I. Præterea ſi-

ue

Universidad de Deusto
Biblioteca

ue quis hæc ponat in quantis, siue nõ ponat, tamen nihil eis est contrariũ. Quod enim non potest per se intelligi, sed cum aliquo comparatur, qui potest ei quicquam esse contrarium? Praterea si magna paruis cõtraria sunt, in eodem simul contraria erũt, & idem sibiipsi aduersum. Accidit enim, ut res eadem sit simul magna, & parua. Est enim ad hanc parua, eadem magna ad alterã. Eadem igitur res eodem tempore & parua & magna. Ita simul contraria accipit. Nihil autem simul contraria accipit: ut in substantia perspici potest, in qua cum esse contraria posśint tamẽ nulla simul in morbo est, & ualet, nec alba & nigra simul est, nec aliud quicquam est in quo simul contraria esse posśint. Atque etiam eadem res sibi ipsa aduersa erit. Si enim res magna paruæ contraria est, eadem autem simul & magna & parua est certè eadem res sibi erit contraria. At fieri non potest, ut aliquid sibi sit contrarium. Non igitur sunt parua magnis contraria, nec multa paucis: Ex quibus efficitur, ut etiam siquis hæc non dicat in eis esse quæ cum aliquo comparantur, sed in quantis, tamen eis nihil sit contrarium futurum. K. Sed quantorum repugnantia in loco apparet maximè. Summum enim locum infimo contrarium ponunt, mediam regionem infimum locum appellantes, quod inter mediũ, & mundi terminos, longissimum interiectum sit interuallum. Atque etiã ex bis ducta uidetur cæterorum aduersorum definitio. Aduersa enim definiuntur, quæ in eodem genere plurimum distant inter se. L. Nec uero illud magis aut minus in quantis reperitur. Vt bicubitum, neque enim alterum altero magis est bicubitũ. Quod eodem modo iudicandum est de numero, ueluti tria non magis quàm quinq; numeri nomen obtinent, nec quinq; potius quam tria: ne tempus quidem aliud alio magis aut minus temporis appellatur nomine. Quanta igitur nec magis nec minus dicuntur. M. At quantorum maxime proprium est, æqualia & inæqualia nominari: quãta enim quæ diximus, omnia uel æqualia uel inæqualia uocantur, ut corpus æquale uel inæquale dicitur. Itẽq; numerus & tempus æquale, & inæquale. Similiterq; singula quæ dicta sunt, uẽl æqualia, uel inæqualia dicuntur. Cætera uero quæ non sunt in quantis, non admodum æqualia uel inæqualia nominantur. Vt dispositio non admodum dicitur æqua uel non æqua, sed potius similis uel dissimilis: & res alba non ferè æqua uel non æqua: sed similis uel dissimilis. Est igitur hoc quantorum maximè proprium, ut æqualia & inæqualia dicantur.

Commentaria.

EXorditur Arist. à diuisionibus quantitatis prætermissa diffinitione, vel quia genera suprema in quorum numero continetur quantitas non obtinent essentialem diffinitionem vel quia cum disputet de categoriis in dialectica popularí quadam, & communi ratione eam præ

termittendam censuit: vel denique quia iam tradiderat 5. li. meta. c. 13. Duas proponit diuisio ita dicens.

1. Pars capitis. 1. Diuisio.

A *Quantorum autem aliud disiunctũ. &c.* Prima diuisio est. Quantorum aliud est disiunctum, siue discretũ, & aliud coniunctum, siue continuum. Vbi animaduertendum est Arist. vsum fuisse in hac diuisione nomine paronymo pro ipsa forma, eo quod paronymum sit nobis notius ipsa forma, iuxta quod, hunc reddet sensum: quãtitas alia est coniuncta, alia disiuncta. Quantitatis coniunctæ duæ inquit sunt species numerus videlicet, & oratio: coniũctę vero quinque linea, extremitas, corpus, locus, & tempus. Secunda diuisio est. Quantitas alia est cuius partes fixæ sunt ac permanentes, vt corpus, & extremitas, alia vero est cuius partes non sunt permanentes, sed statim labuntur, sicut tempus, nam pars præterita illius iam non est sed euanuit, futura nondũ est, præsens vero statim elabetur. Obseruat autem hunc ordinem Arist. in his speciebus explicandis, vt prius disputet de quantitate disiuncta, quam de coniuncta eo quod sit illa prior natura quantitate coniuncta, nam principiũ quantitatis disiũctæ est vnitas, coniunctæ vero punctum, at vnitas prior natura est & simplicior puncto.

B *Nam numeri partium, &c.* Explicans autẽ species quantitatis disiunctæ nullam tradit diffinitionem earum, nos vero quantitatem disiũctam ita diffinimus. Quantitas disiuncta est cuius partes non copulãtur termino aliquo communi Vocamus autem terminum communem rem indiuiduam quæ est principiũ vnius, & alterius finis. Explicat ergo primam speciem quantitatis disiunctæ quæ est numerus, attamen non confirmat numerum esse quantitatem quia hoc est apertum, & manifestum, neque enim videtur posse collocari numerus in alia categoria, quam in categoria quantitatis. Cæterum adhunc modum possumus confirmare numerum esse quantitatem. Quantitas est illud quo mediãte metimur substantiam, sed mediãte numero metimur substantiam, nam si cupimus scire quot homines sint in hoc gymnasio, mediante numero denario aut alio huiusmodi illos metimur, dicimus enim esse decem homines, vel viginti: ergo numerus erit quantitas. Esse vero ipsũ numerum quantitatem disiunctam hoc argumento demonstrat Aristo. Quantitas disiuncta diffinitur cuius partes non copulantur termino aliquo cõi: sed partes numeri nõ copulãtur termino aliquo cõi, ergo numerus erit quãtitas disiuncta. Assũptio est nota, quia si denariũ diuidamus in duos quinarios, certum est illos non connecti inter se vinculo aliquo, & termino communi.

Quid sit oratio.

C *Similis est ratio orationis, &c.* Secunda species quantitatis disiũctæ est oratio, quam quidem esse quãtitatem sic Arist. ostendit. Illud quod mensuratur syllaba longa, & breui est quantitas: sed oratio mẽsuratur syllaba longa, & breui: ergo oratio erit quantitas. Quę quidem ratio infirma esse videtur, tantũ enim probat orationem esse quantam, nõ autem quantitatem: si tamen illa recte inspiciatur etiam probat orationẽ esse quantitatem, quia mensura orationis est oratio, vnumquodque enim debet metiri per illud quod est eiusdem generis vt docet Aristo. 2. metaphy. c. 1. vnde si oratio mensurat orationem & omnis mensura est quantitas, oratio mensura etiam erit, & sic quantitas, & non tãtum quanta. Vnde quemadmodum linea, est quantitas & est quanta, ita

oratio

oratio quantitas simul, & quanta erit. Confirmat deinde Arist. orationem esse quantitatem disiunctam in hunc modum. Quantitas disiuncta est illa cuius partes non copulãtur termino aliquo communi vt partes huius orationis, Deus non cohærent inter se, nec vniuntur termino aliquo cõmuni, cumseorsum proferantur: ergo oratio non erit quatitas disiuncta. Quid autem nomine orationis intelligamus, postea in quæstionibus explicabimus.

D *Linea autem, &c* Probat lineam extremitatem, corpus, locum, & tempus esse quantitates coniunctas. Illa est quantitas coniũcta cuius partes copulantur termino aliquo communi, sed partes harum specierum terminantur aliquo tetmino communi, nam partes lineę copulantur puncto, partes extremitatis linea, partes corporis extremitate, partes temporis quæ sunt præteritum, & futurum momento, vel instãti, partes loci eisdem quibus copulantur partes corporis nimirum extremitate, nam vel est corpus, vel in corpore, ergo erunt hæ species quantitatis coniunctæ.

2. Diuisio. quantitatis.

E *Præterea alia ex partibus constant &c* Explicata diuisione priori quãtitatis accedit iam Arist. ad explicãdam secundam diuisionem quæ est quantitatis in eam quæ habet situ, & positionem in partibus, & in eã quæ caret huiusmodi situ. Quam diuisionem vt probe intelligamus animaduertendum est, vt aliquid habeat partes situ, & positione distinctas debere illud esse ornatum his tribus proprietatibus. Prima est vt illius partes sint cohærentes, & connexæ aliquo vinculo: secunda est vt illius partes sint fixæ ac permanentes, & non fluidæ: tertia est vt eius partes sint alicubi id est in aliqua parte magnitudinis, ita vt posint indicari in priori, media vel posteriori, dextera vel sinistra. Colligimus igitur has quatuor esse species quantitatis habentis situm in partibus scilicet lineam, extremitatem, corpus, & locum, quia hæ quatuor sunt quæ habent partes cohærentes, permanentes, & quæ habent situm in magnitudine, vt quisque facillimo negocio poterit intueri. Colligimus præterea numerum tẽpus, & orationem esse species quantitatis non habentis situm in partibus, numerum ob deffectum primę proprietatis quia non habet partes cohærentes: tempus ob deffectum secundæ, quia non habet partes permanentes: orationẽ vero ob defectũ omnium illarum, quia non habet partes cohærentes, neque permanẽtes, neque eas quæ alicubi sint.

F *Ita ordinem quendam, &c.* At vero Aristo. inquit quamuis partes harũ trium specierum non habeant situ ac positionem obtinent nihilominus inter se ordinem, nam quędam sunt priores, & aliæ posteriores, vt in numero binarius est prior ternario, & in tempore pars præterita est prior præsenti, & præsens est prior futura: in hoc enim separatur ab ęternitate: & in oratione vna syllaba est prior alia, quia prius profertur vna, quam proferatur altera.

G *Sed propria quanta nominantur, &c.* Tertia diuisio est quantorum quædam sunt per se quanta, alia vero per accidens quanta: quanta per se sunt septem illæ species quantitatis propositæ, quinque coniunctæ & duæ disiunctæ, quanta vero per accidens illę vocantur quę sunt quãta ratione harum specierum, vt albedo quæ dicitur multa vel pauca, est quanta ratione extremitatis, nã illa est multa quæ est in maiori extremitate, illa vero dicitur pauca, quæ est in minori extremitate, & actio

3. Diuisio quantitatis.

actio aliqua vt lectio v.g. dicitur lõga, vel breuis ratione temporis, longa, quia fit tempore longiori, breuis vero quia absoluitur tempore breuiori.

2. pars capitis.

H *Iam quantitati nihil contrarium, &c* In secunda parte cap. proponit Aristo. tres proprietates quantitatis vt iis manuducamur ad intelligendam illius naturam, & essentiam. Earum prima est, quantitati nihil est contrarium, nam neque lineæ, neq. extremitati, vt bicubito vel tricubito, potest aliquid esse contrarium. Aduersus tamen hanc proprietatem obiicit Arist. duo argu. Primum est. Magnum repugnat paruo, & multũ pauco: sed hæc omnia sunt quantitates. ergo quantitati aliquid erit cõtrarium. Huic argumento duas adhibet Arist. solutiones. Primo negat assumptionem, nam hæc non sunt quantitates, sed relationes quędam, nulla enim res absolute, & ad se dicitur magna, vel parua, sed per comparationem, & habitudinem ad alia, dicimus enim montem magnũ, & milium paruum, per habitudinẽ ad diuersa corpora, nam si mons cõparetur cum Olympo dicitur paruus, si vero cum alio minori dicetur magnus, Milium etiam dicitur paruum si comparetur cũ aliis granis eiusdem vel diuersæ frugis, & Athenis dicimus esse paucos homines, si conferamus illos cum hominibus alterius vrbis maioris, & in domo dicimꝰ esse multos homines, si conferamus domum istam cum domo alia habente pauciores. Ex quibus exemplis aperte colligimus magnum, & paruum, multum & paucum, non esse quanta, sed relata cũ non dicantur ad se, sed ad alia.

I. Proprieras. Obiect.

1. Solut.

2. Solu.

I *Præterea siue quis, &c* Respondet secundo loco eidem argumento Arist. negando propositionem scilicet hæc esse contraria, quod quidem, vt vere negatum esse videatur, confirmatur tribus argumẽtis. Primum est. Vera contraria non reperiuntur in relatis, sed in absolutis vt inter albedinem, & ingredinem: sed magnum, & paruum sunt relata: ergo non poterunt illa esse vere contraria. Secũdum est. Contraria nequeunt eidem subiecto simul conuenire nec etiam substantiæ quę simul non potest affiçi optima valetudine, & ęgritudine: atqui videmus magnum, & paruũ, simul conuenire eidem subiecto: ergo nõ poterunt esse cõtraria. Tertium. Idem non potest sibi ipsi aduersari: sed si magnum, & paruũ essent contraria, idem sibi ipsi repugnaret: quia homo respectu diuersorum dicitur magnus, & paruus: ergo magnum, & paruum nulla ratione erunt contraria. Colligit itaque Aristo. quamuis fateamur magnum & paruum esse quanta, negandum nihilominus esse illa esse contraria.

k *Sed quantorum repugnantia in loco, &c.* Secunda obiectio est huiusmodi. Locus est quantitas, sed locus superior repugnat inferiori: ergo quantitati aliquid est contrarium. Huic obiectioni non satisfacit Arist. nos tamen possumus respondere locum posse sumi duobus modis, mathematice, vel naturaliter. Sumitur igitur mathematice vt tantum denotat extremitatem intimam corporis ambientis: sumitur naturaliter quando præter hanc extremitatem denotat facultatem quandam conseruandi corpora quæ sunt in loco. Si de loco primo modo loquamur superior, & inferior locus non contrariantur, quia eadem est ratio vtriusque, scilicet continere locatum, & hac ratione locus superior, & inferior continentur in hac categ. Si autem loquamur de loco naturaliter locus superior contrariatur haud dubie loco inferiori, alia quippe facultas est in loco su-

2. Obiec.

Solutio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

co superiori conseruandi sua corpo ra, & alia in loco inferiori. At locus hac ratione non continetur in hac catego. sed in catego. qualitatis sub secunda illius specie, quæ est naturalis vis, & facultas.

2. Proprietas. L *Nec vero illud magis, aut minus, &c.* Secunda proprietas est propriũ est quantitati non recipere magis aut minus, neque enim vnum tempus est magis tempus quam aliud, aut vnus numerus est magis numerus quam alius, quãuis enim vna linea sit altera longior, vel maior, non dicitur esse magis linea sic enim linea minor est longitudo sinelatitudine, quemadmodum linea maior. Hanc proprietatem conuenire quantitati non confirmat Arist. nos tamen illud ita possumus suadere. Illa tantũ recipiunt magis, & minus quæ permiscentur cum suo contrario iuxta Arist. 5. physico. cap. 2. sed quantitati nihil est contrarium: ergo quantitas non recipit magis, & minus. Verum quia hę duæ proprietates sunt communes quantitati cum substantia, cui etiam illæ conueniunt, assignanda erit quædã alia proprietas.

3. Proprietas. M *At quantorum maxime proprium, &c.* Tertia proprietas est. Maxime proprium est quantitati, vt ab ea res dicantur ęquales, vel inęquales, nam duo homines sunt æquales inter se, quia habent æqualia corpora, & duæ lectiones sunt æquales, quia absoluuntur æqualibus tẽporibus, si tamen vna earum absoluatur breuioti tempore vocabuntur inæquales. Cũ ergo corpus, & tempus sint quãtitates, & sic de alis maxime proprium erit quantitati, vt ab ea res dicantur æquales, vel inæquales.

Scholia in caput de quantitate.

1 Observatio. A 1. Cum sit præceptum ab Arist. in Topicis voces ambiguas esse prius distinguendas, quam diffinirẽdas ne nominis multiplici significatione perturbari possimus: sitq. quãtitatis nomen ambiguũ erunt prius illius significationes proponendæ. Illas tradit D. Tho. 1. 5. q. 42. art 1. ad 1. duas illas proponens. Quarum prima est qua significat perfectionẽ, virtutemq. cuiusq. naturæ, quę quidem significatio late patens est, sese enim diffundit per omnes categorias, nam in omnibus illis reperitur natura perfecta, & omnibus suis numeris absoluta, quæ etiam Deo Opt. max. tribuitur, est enim ille natura perfectissima & ita in psalmis dicitur magnus Dominus non corpore sed perfectione & virtutę naturæ. De hac etiam quantitate intelligendus est D. Augusti. 6. lib. de Trinita. cap. 8. ita dicens in his quę non mole sed virtute magna sunt idem est maius esse, quod est melius esse, ac si apertius ita diceret obtinere magnitudinem in his naturis idem est quod habere naturam meliorẽ, mustoque perfectiorem. Secunda significatio quantitatis est in qua de not at quantitatem molis & magnitudinis, id est, vel lõgitudinem, vel latitudinem, vel profunditatẽ. Quę quidem significatio tantum potest adaptari rebus corporeis non tamẽ spiritualibus, quia spiritales neque longæ sunt, neque latæ, neque profundæ. Cum ergo dentur hæ duę significationes quantitatis, prętermissa priori cum illa non contineatur in certa categoria, agendum erit de quantitate in secunda significatione, vt scilicet, significat quantitatẽ molis, & magnitudinis. In hac autẽ significatione tribus diffinitur diffinitionibus. Prima quæ tradita est ab Arist. 5. lib. metaphy. cap. 13. est huiusmodi *Quantum est illud quod dividi*

1. Significa. quãtita.

2. Eius signifi.

1. Quantita. diffini.

uidi potest in ea quæ insunt, quorum vnũquodque natum natũ est esse hoc aliquid

Huius diffinitionis prima particula, *Quę diuidi potest in ea quæ insunt* reddit hunc sensum, quæ diuidi potest in partes quæ actu sunt in toto vt linea diuiditur in partes lineæ quæ actu sunt in illa. Per quam partem diuisio quãtitatis distinguitur (vt adnotat D. Tho.) à diuisione totius mixti in elementa, quia elmenta non sunt actu in mixto, sed potestate: vel vt adnotat Alexander separatur à diuisione generis in differentias, quæ sola potestate continentur in genere. Secunda particula, quorũ vtrumque si fuerint multæ partes, vel vnumquodque si fuerit vna sola natum est hoc aliquid esse, id est, habere eandem naturam totius si a toto ipso separentur, vt partes lineę separatæ à linea sunt lineæ, & partes extremitatis sunt quoq. extremitates, & partes corporis corpora, per quam partem separatur à diuisione subiecti in accidentia, in qua membra diuidentia non obtinent naturam rei diuisæ. Adnotandum est tamen hanc diffinitionem non conuenire omni quantitati, sed soli quantitati permanenti, non enim conuenit tempori, neque motui, nã partes harum quantitatum non permanent separatæ à toto, sed statim euanescunt: neque etiam conuenit numero, quia binarius v.g non potest diuidi in partes quæ habeant eandem rationem cum suo toto, nã diuiditur in duas partes nimirum vnitates, quarum nulla per se sumpta potest esse numerus. Vnde si cupimus diffinire quantitatem in communi, illam diffiniemus iuxta hanc secundam diffinitionem quæ ambiat omnes species quantitatis, quæ quidem habet se in hunc modum.

2. Diffi. Quantitas est quæ diuidi potest in partes distinctas secundum situm, secundum successionem, & secundum ordinem. Per primam partem complectimur lineam, extremitatẽ, corpus, & locum, hæ namque species habẽt partes extra partes distinctas secundum situm: per secundam complectimur tempus, & orationẽ, quia partes harum specierum sunt distinctæ successione, quædã enim aliis succedunt: per tertiam deniq. comprehẽdimus numerum ipsum, qui obtinet partes distinctas secundum ordinem, hic enim ordo reperitur in partibus numeri, vt binarius sit prior ternario, & extra illum, & ternarius sit prior quaternario.

3. Diffi. Tertia diffinitio quantitatis est Concilij Louanensis diffinientis quantitatem (ea ratione qua Arist. diffiniuit qualitatẽ in propria catego.) nimirũ à qua res quãtę, vel aliquot, quantæ nominatur, vt quãdo à linea dicuntur longæ ab extremitate latæ, à corpore vero profundę: aliquot vero vt à numero, nã interrogationi effectæ per hoc aduerbium quot, respon. numerum rei.

4. Diffi. Quarta diffinitio est. Quantitas est mensura substantiæ, nam cum duplex sit mensura vna extrinseca, & alia intrinseca, linea, extremitas, & corpus sunt mensuræ substãtiæ intrinsecæ, locus vero & tempus sunt mẽsurę extrinsecæ, vt multo vberius deinde dicemus.

Obser. Animaduersione tamen dignum est, inter has diffinitiones quantitatis propositas hunc esse ordinem, vt duæ priores sint essentiales, tertia sit tradita per effectum, & quarta per quandam proprietatem quantitatis.

1. Obser uatio. A 2. Ob quam causam auspicatus fuerit hanc categoriam à diuisione prætermissa diffinitione dubitant interpretes. Caietan. inquit causam esse, quia Arist. non instituit rerum naturas & essentias in hoc loco explii-

plicare, sed tantum quæ quibus locis & sedibus continentur: ac proin de cum diffinitio eo tradatur vt rerum naturam, & essentiam latentem explicet, fuit illa prætermissa. At quia ex diuisione colligitur quænã species sub quibus locis & sedibus collocentur, ob hanc causam, categoriam à diuisione fuit auspicatus. Beatus Alber. Mag. tracta. 3. catego. cap. 1. respon hoc ideo factum esse, quia in hac catego. agitur de quantitate sub ratione mensuræ, & quia quantitatis sub hac ratione non potest esse vna & eadem ratio, etenim si cupimus scire multitudinem, & quæramus quot sint res respon. esse tot, scilicet decem, aut viginti, si vero scire desideramus magnitudinem, & quæramus quanta sit res. respon. esse tantam, nimirum trium, vel quatuor cubitorum: at rationes tot & tanti in ratione mensurę sunt longe diuersæ, ob hanc causam nõ fuit tradita vna aliqua diffinitio omni quantitati conueniens.

Vel respõdere possumus hoc ideo feciſſe Arist. quia cum quantitas sit genus supremum, non poterat aliqua essentiali definitione diffiniri: sed debuit prius Arist. illius proprietates proponere, vt ex ipsis facilius multo posset quilibet diffinitiorem aliquam accidentariam tradere ex his proprietatibus collectam, quod & nos fecimus superiores diffinitiones proponentes.

3. Obserua. A 3. Esse accuratam hanc diuisionem quanti in continuum, & discretum, vel in coniunctum & deiunctum, esseq. recte vtriusque speciem ab Arist. recensitas, in hunc modum possumus confirmare. Primumque esse optime ita diuisam quantitatẽ. Partes alicuius quantitatis, vel inter se connectuntur, & copulantur termino aliquo communi, vel non connectuntur, neq. huiusmodi termino copulantur, si copulentur inter se termino aliquo communi, erit quantitas coniuncta, si vero non copulentur erit quantitas deiuncta, ergo optime erit diuisa quantitas in coniunctam, & deiunctam. Præterea has quinque, lineam, superficiẽ, corpus, tempus, & locum, in numero specierum quantitatis coniunctę esse iure optimo recẽsitas, ex hoc argumento colligere poterimus apertissime. Quantitas est mensura substantiæ, vel ergo metimur illam interne, vel externe, si interne, vel metimur secundũ solam longitudinẽ & est linea, vel secundum latitudinem & est superficies, vel secundũ profunditatem & est corpus: si externe metiamur, vel metimur secundũ aliquam durationem & est tempus, vel ambiendo rem illam et est locus. Adhęc numerum & orationem esse species quantitatis deiunctæ in hunc modum ostendimus. Quantitas deiuncta est, cuius partes non copulantur termino aliquo communi quæ vel sunt permanentes, vel successiuæ, si fuerint permanentes est numerus, si successiue est oratio, optime igitur erunt hæ septem species quantitatis recensitæ, quinque coniunctæ & duæ deiunctæ.

4. Obserua. A 4. Merito poterit aliquis dubitare ob quam causam cum concreta accidentiũ non contineantur per se in categoriis, vt luculẽter in quæstionibus Antecategoriarum Sect. 2. in c. 6. q. 4. ostendimus, diuiserit quantitatem in concreto dicens quãtorum quoddam esse deiunctum, & aliud coniunctum. Huic dubitationi resp. Arist. nomine cõcreti abstractum intellexisse, nã idem est dicere, *Quantorum aliud deiunctum, & aliud coniunctum.* Quod dicere quantitas alia est coniuncta, et alia deiuncta, vt iam in commentarijs admonebamus. Vnde Boeti. grauissimus interpres Aristo. in abstracto ita interpretatur Arist. *Quantitas autem aliud est discretum, aliud continuum, &c.* Ratio autem ob quam id quod diuiditur in hac categoria fuerit diuisum in concreto est, quia proprium est huius categoriæ, vt seipsam possit denominare, sitque vna et eadẽ res et quanta, et quantitas quamuis diuersa ratione, nam si conferatur cum substantia quantitas erit, si vero ad aliam quantitatem referatur quanta dicetur, vt linea si referatur ad substantiam erit quantitas, si vero ad aliam lineam comparetur dicetur quanta. Etenim cum omnis quantitas et sit mensura substantię, et ab alia quantitate mensuretur, vt linea panni mensuratur à linea ligni et corpus mensuratur à corpore, vt in ponderibus intuemur, vt est mensura est quantitas, vt vero mensuratur est quanta. Et quia in habitudine ad substantiam est mensura ob hanc causam si cum substantia conferatur erit quantitas, si vero cũ alia quantitate quãta nũcupabitur.

5. Obserua. G. Aristo 5. lib. metaphy. cap. 13. hanc eandem repetit diuisionẽ quæ dam (inquit) sunt quanta per se, alia per accidens. Per se quanta dicuntur aliqua duobus modis, vel quia sunt species illius, vt linea, corpus, extremitas, &c. vel quia sunt proprietates eiusdẽ, vt multũ, et paucũ, quæ sunt proprietates numeri, longum, & breue lineæ, angustum et latum extremitatis altum & humile, tum etiã graue, et leue corporis. Eadem que ratione quanta per accidens dicũtur aliqua etiam duobus modis, vel quia accidunt quanto per se vt album et musicum dicuntur quanta per accidens, vel quia diuiduntur ad diuisionem alterius, vt tempus et motus appellantur quãta per accidens, quia tempus diuiditur ad diuisionem motus, et motus ad diuisionem magnitudinis. Multa alia poteramus hoc loco obseruare, verum quia illa erunt in quęstionibus proponenda, hoc loco illa prætermittimus.

Disputatio de Quantitate in tres Sectiones præcipuas distributa.

ARGVMEN. CAP.

SEquitur vt post substantiam de quãtitate illico disputemus: Verum quia in hac categoria multa sese offerunt explicanda, vt recta methodo in illis progrędiamur totam disputationem in tres partes distribuemus in prima de natura & proprietatibus illius disputabimus, & num à substantia distinguatur necne: in secũda de specie-

bus quantitatis disiunctæ, & tandem in tertia de aliis quã titatis coniunctæ differemus.

Sect. I. Quæst. I. An prius agendum sit de quantitate quã de aliis catego iis accidentium.

CVm sint multe catego. accidentium certo ordine inter se connexæ, ac concatenatæ, æquum est vt inuestigemus, quænam ex illis illico post substantiam subsequi debeat, num quãtitas, vel qualitas, vel aliqua alia necne: etenim qualitatem esse priorem, ac proinde ab ea exordiendum fuisse hæc argumenta confirmare videntur. Primum
1. Arg. est. Id quod indiuiduum est prius est eo quod diuiduum est: sed quantitas est diuidua, qualitas vero ex sua natura est indiuidua: ergo qualitas erit prior quantitate. Secundum
2. argu. est. Ea quæ sunt vniuersaliora, sunt priora minus vniuersis, sed qualitas est vniuersalior quantitate, cum cõueniat substãtiis corporeis, & incorporeis, quantitas vero solis corporeis substantiis: iam ergo agendum prius erit de qualitate, quam de quã
3. Argu. titate. Tertium. Generatio est prior quantitate, sed generatio est qualitas: ergo qualitas erit prior quantitate, & ita prius agendum erit de illa. Confirmatur assumptio. Generatio est prior substantia: sed substantia est prior quantitate: ergo generatio
4. Arg. erit prior quantitate. Iam. Substantiæ spirituales sunt priores corporeis: ergo accidentia spiritalia erunt quoque priora corporeis: sed quantitas est accidens corporeum, multæ vero qualitates sunt spirituales, ergo qualitas erit prior quantitate.

Architas Tarentinus vt testatur Simplicius in commentariis, & Plo-
1. Opin. tinus vt refert Dexippus 3 lib. q. ca. 2. propter hæc & alia huius generis argumenta reprehendunt Aristo. eo quod ante qualitatẽ egerit prius de quantitate, putant enim qualitatem esse priorem quãtitate, ac proinde de ea prius Arist. disputare debuisse. Cæterum optima methodo prius de quantitate, quam de qualitate egisse nonnullis argumentis ex Simplicio, Ammonio, & Boetio in commenta. Dexippo vbi supra Porphy. in interroga. de quantitate cap. 1. B. Albert. Mag. tracta. 1. de quantitate cap. 1. & aliis interpretibus collectis possumus demonstrare. Primum est. Quia quantitas immediatius consequitur substantiam, quã qualitas, nam eo ipso quo est substãtia, vel est vna, vel multiplex, quæ numerum indicant sub quantitate comprehensum: at non eo ipso quo est substantia est calida, vel frigida, atra vel candida quæ sunt qualitates, tum etiam quia superiori cap. substantia diuisa fuit in primam, & secundam quæ numerum sub quantitate contentum præ se ferre videntur. Secundum est. Omne corpus illico affici debet trina dimen-
2. Arg. sione, nimirum longitudine, latitudine, & profunditate, at non illico afficitur qualitate, non enim illico afficitur candore, vel atrore, vel alia huiusmodi qualitate: nam vt his qualitatibus afficiatur debet prius affici dimensione aliqua, quare quã titas prior erit qualitate ac proinde de ea prius quam de qualitate fuit instituenda disputatio. Adhæc. Quã
3. Arg. titas assinior est substantiæ quam qualitas, nam neque habet contrarium,

rium, neque recipit magis & minus, at qualitas dissimilis est substantiæ, cum & habeat contrarium, & magis ac minus recipiat. Cum igitur prius sit agendum de accidente assiniore substantiæ, quam de illo quod minorem habet affinitatem, proculdubio agendum prius fuit de quantita te, quam de qualitate. Cæterũ quam
Vlti. ar gum. uis omnes hæ rationes sint satis accommodatæ, si tamen institutum Arist. in his catego. perpendamus in re optimo prius de quantitate, quã de qualitate egisse intuebimur apertissime, instituit enim potissime agere de substantia corporea, & materiali, eo quod vicinior illa sit nostris sensibus, ipsisque ad cognoscendũ facilior, aliæ namque separatæ substãtiæ obscuræ sunt, & cognitu difficiles. Vnde agendum erit prius de his accidentibus quę prius ac immediatius insunt substantię materiali, cumque inter illa quantitas prius & immediatius, insit substantiæ materiali quam qualitates corporeæ, agẽdum fuit ipsi prius de quantitate, quam de qualitate. Quantitatem autem consequi prius, & immediatius substantiam, quam qualitatem, ex eo colligere poterimus: quia quantitas consequitur materiam, qualitas vero formam, at accidentia consequentia materiã priora sunt iis quæ consequuntur formam, sicuti & materia ipsa prior est forma. Quamuis itaque qualitates spirituales sint priores quantitate, tamen propter rationem assignatam agendum est prius de quantitate quam de qualitate.

Occurramus demum argumentis
Adt. ar gumen. propositis. Ad primum respon. propositionem esse veram si indiuiduũ est principium, & causa diuidui: quę admodum vnitas est principium numeri, esse autẽ falsam si indiuiduũ non sit causa diuidui, & quia qualitas quãuis indiuidua, non est causa quãtitatis, propterea erit illa prior. Ad secundum respon. propositionẽ esse veram si minus vniuersa secun dum essentiam contineantur sub magis vniuersis: sin minus esse falsam, quemadmodũ animal est prius homine quia homo continetur sub animali, at vero quantitas non continetur sub qualitate, & ita non erit prius agendum de qualitate, quam de quantitate. Ad tertium respondemus imprimis negando propositionem: quia generatio non est qualitas, sed reuocatur ad categoriã substãtiæ, quę generatur. Respon. Dein de quasdã esse qualitates, quæ sunt viæ ad substantiam cuiusmodi est generatio: & alias esse quæ consequuntur substantiam constitutam idq. genus sunt albedo, & nigredo. Est igitur quantitas prior accidentibus, & qualitatibus consequentibus substantiam constitutam, vt albedine v.g. & nigredinẽ, non est autem prior iis qualitatibus quæ sunt viæ ad substantiam constituendam. Ad quartum respon. admittentes multas qualitates spiritales esse priores quantitate, quantitas tamẽ est prior omnibus qualitatibus corporeis, & quia præcipuum Arist. institutum est agere de substantia corporea, & & eius accidentibus, inter quæ principem sibi locum vendicat quantitas, propterea agendum erit prius de quantitate, quam de qualitate, & de relatione, quia fundamentum relationis est quantitas, quamuis quædam relationes fundetur in substantia vt est relatio idemptitatis quibus quamuis sit posterior quantitas, est tamen prior omnibus relatio nibus que fundatur in aliquo accidente corporeo, & ita prius agendũ fuit de quantitate quam de relatione.

Ad 1. Ad 2. Ad 4.

QVAESTIO II. AN DIALECTICVS, & Metaphysicus disputent de quantitate sub eadem ratione.

HAec controuersia ortum habet ex eo quod Arist. 5. Metaphy. capit. 13. disputans de quantitate paulo aliter de ipsa, quam in hoc loco disserere visus fuit: quod non leue est argumentum, illum diuerso consilio in Metaphysica, et in hoc loco de quantitate disputasse. Quatuor igitur sunt dubitationes quæ ex metaphy. colliguntur, aduersus ea quę hoc loco tradita fuerunt. Prima est quia in hac categoria docet tempus esse speciem quantitatis per se, at 5. Metaph. constituit esse quantitatem per accidens. Secunda quia cum 5. lib. metaphy. decernat motum esse quantitatem quamuis per accidens: hoc loco nullam facit de illo mentionem. Tertia est, quia in hac catego. inter species quantitatis per se recē fuit locum: at 5. metap. nevnum profert de loco verbum. Quarta est de oratione, nam in hac catego. illam adducit inter species quantitatis: libro autem 5. Metaph. ne recordatur solùm illius. Propter has dubitationes, vt Arist. conciliare videantur interpretes quidam existimant Arist. alio atque alio instituto, & consilio agere de quantitate in his vtrisque locis, vtpote in Dialectica sub ratione mensuræ, in Metaphysica vero sub ratione diuisionis. Hæc sententia est D. Tho. in commenta. in cap. 13. lib 5. metaphy. Beati Alber. magn. tracta. 8. Dialect. cap. 10 Iauelli 5 lib. metaph. tractatu 2. cap. 8. Soncinatis & fere omnium Latinorum.

4. Dubita. recē. futur.

1. Interpreta.

2. Interpreta.

Alij tamen existimant vno, & eodem consilio atque ratione, Aristo. de quantitate & in Dialectica, & in Metaphysica disputasse, sub vtraq. ratione mensuræ nimirum, & diuisionis vtrobique de quantitate instituens sermonem. Quæ sententia multis ex recentioribus placuit. Ego vero existimo Arist. in Metaph. agere de quantitate sub ratione diuisionis, quia tantum agit de eius natura, quę est diuidi posse remotis: in Dialectica vero agere de eadem sub vtraque ratione & mensuræ, & diuisionis, quamuis præcipue agat de quantitate sub ratione mēsuræ, vt vult D. Tho. minus vero præcipue sub ratione diuisionis. Agere autem etiam sub ratione diuisionis de quantitate in Dialectica cōstare potest tum primo, quia diffinit in Catego. ista quantitatem continuam illam, quæ habet partes copulatas termino communi, deiunctam vero quæ habet partes non copulatas termino aliquo communi: hoc autem nihil aliud est quam diuidi in partes. Tum secundo quia Dialecticus non mutat rerum essentias, cum ergo quantitas vnam obtineat essentiam, quæ est diuidi posse, aget proculdubio Dialecticus hoc in loco de quantitate etiam sub ratione diuisionis. Disputare vero sub ratione mensuræ ex eo confirma. quia probat in hac categoria orationem esse quantitatem, quia mensuratur syllaba longa, & breui. Verum quia ad Dialecticum non spectat agere de rerum essentiis, nisi ea ratione, vt earum beneficio probe teneamus proprietates & cætera quæ pertractantur in arte, propterea Dialecticus potissime disputat de quantitate sub ratione cuiusdam proprietatis quæ est esse mensuram substantiæ, & nō sub ratione diuisionis.

1. obser.

Aequum erit iam propositis difficultatibus satisfacere, animaduerso prius Arist. disputasse in Dialectica, de categoriis communi quadam, & populari ratione, prætermisisseque multa, quæ accurate poterant pertractari. Etenim in categoria substantiæ prętermisit diuisionem illius in materiam, formam, & totum compositum, tam approbatam ab ipso in aliis operibus.

2. Obserua.

Animaduerso deinde Arist. tantum proposuisse in Metaph. species quantitatis per se, quæ primo, & per se diuiduntur, cæteras vero quæ nō diuiduntur primo & per se, sed ratione alterius, non proposuisse inter species quantitatis per se, quia cum agat de quantitate sub ratione diuisionis illas vocat species per se, quæ primo & per se diuiduntur, & illas per accidens quæ diuiduntur ad diuisionem alterius. Quibus annotatis. Breuiter ab his difficultatibus propositis expedit se Auerroes in commenta. in cap. 13. lib. 5. metaphy. dicens Arist. in hac catego. constituisse ex aliorum opinione locū, tempus, & orationem esse species quantitatis, quia (inquit) suo sæculo hæ erant famosæ species quantitatis. Cæterum 5. lib. metaph. propriam proferens sententiam, hæc tria reiicit à numero specierum quātitatis per se. Sequutū aūt esse Arist. in hac categor. aliorum opinionem ex eo constare potest, quia locum docuit esse corpus, & habere eundē terminum cum corpore, quam quidem opinionem 4. physi. cap. 4. confutat multis argu.

2. Solut.

Alij vero cum Simplicio respondeisdem hac ratione. Ad primam, & vltimam (de oratione nimirum ac tempore) dicunt hæc vtraque 5. lib. metaphy. esse prætermissa inter species quantitatis per se, quia hæ non diuiduntur primo, tempus enim diuiditur ad diuisionem motus, & oratio ad diuisionē spiritus emissi, illā n. vocamus oratio, longiorē quæ emittitur maiori spiritu, breuiorem vero quæ spiritu minori emittitur, Metaphysicus autem tantum disputat de quantitatibus quæ primo, & per se diuiduntur. At vero quia Logicus crassa Minerua disputat de quantitate ob hanc causam agit de tempore, & oratione, quæ sunt quædam quantitates ratione aliorum. Ad secundam vero de motu dicunt illum esse connumeratum inter species quantitatis per accidens, quia non diuiditur per se, sed ad diuisionem magnitudinis: esse autem prætermissum in hac catego. eo quod solū in illa sint propositæ species quæ quantitatis dumtaxat, & non alterius cuiuspiam catego. sunt species, at motus non quantitatis solius sed multarum etiam aliarum catego. est species, nam vt fluit ab agente actio, vt recipitur in patiente est passio: & ratione termini aliquando est in catego. quantitatis, vt est motus augmenti & decrementi, aliquando in catego. qualitatis, vt est motus alterationis, & aliquando in categ. vbi, sicut est motus ad locum, & ita non continetur in hac catego. nec inter eius species recensetur. Ad aliam vero dubitationem de loco dicunt illum non diuidi primo & per se, sed ratione extremitatis, & ita fuisse prętermissum ab Arist. in metaph. at vero in hoc loco fuisse connumeratū inter quantitatis species quia disputat de quantitate crassa minerua.

5. Solut

D. Tho. his dubitationibus accurate respond. animaduertens prius Dialecticum disputare de quantitate secundum mensuram, Metaphy. vero sub ratione diuisionis. Vnde primæ, secundæ, & tertiæ dubitationi respon. in metaphy. tempus, & motum dici quanta per accidens, quia diuiduntur ad aliorum diuisionem tempus ad diuisionem motus, & motus ad diuisionem magnitudinis, & orationem esse prætermissam ob eandē rōem, quia non diuiditur

per se, sed ratione aeris verberati. In dialectica autem recensuisse Arist.tempus & orationem inter quãtitates per se,quia tempus obtinet propriam rationem mensuræ distinctam à motu, & oratio itidem quæ est mensura syllabæ longæ & breuis. Ad tertiam vero de loco,eodem modo respondet locum non diuidi per se,sed ratione extremitatis,& ita fuisse prætermissum ab Arist. in Metaphysica: in hoc autem loco cum agat de quantitate sub ratione mensuræ, & locus sit mensura distincta à superficie,quia locus est mensura extrinseca,superficies vero mensura intrinseca ob hanc causam fuit ab Aristo. propositus inter species quantitatis per se.

4.Solu. Quidam recentiores propositas dubitationes hoc modo dissoluunt. Ad primam secundam, & quartã, dicũt motum,& tempus esse proposita inter species quantitatis per accidens, & orationẽ esse prætermissam, quia Arist.in metaphy. tantum disputat de quantitate quæ habet partes permanentes, vt constat ex diffinitione quanti propositæ cuius vltima particula indicat quantum eo loco explicatum debere esse permanens, vt exposuimus in annotationibus explicantes diffinitionem:at vero cum Arist.in hac catego. disputet de omni quantitate tam permanente,quã successiua, recensuit tempus, & orationem inter species quantitatis per se,motum autem prætermisit quia est idem cum tempore. Ad secundã vero dubitationem de loco respondent non fuisse prætermissum 5.lib. metaphy. nam cum locus sit extremitas, nomine extremitatis complexus est etiam locum.

QVAESTIO III. AN DIuidi posse sit essentia quantitatis necne?

HAec quæstio valde agitata & cõtrouersa est inter Philosophos in qua primo confirmandum erit esse mensuram esse propriam rationem quantitatis, deinde posse diuidi non esse rationem eiusdem. Primum igitur argumentum sit ex D. Tho.petitum qui in opusculo de natura loci hanc sententiam apertissime profitetur. Secundum. Arist. hic ex eo probat orationem esse quantã quia mensuratur syllaba longa, & syllaba breui : ergo esse mensuram erit ratio quantitatis. Tertium. Si ratio mensuræ non esset essentia quãtitatis sequeretur locum, & superficiem, non esse species distinctas ipsius, quia non differunt in ratione diuisionis,sed tantũ in ratione mensuræ, quia locus est mensura extrinseca, superficies vero mensura intrinseca: atqui hoc repugnat Aristo. constituenti in hac catego.locum,& superficiem esse distinctas species quantitatis: ergo ratio mensuræ erit essentia quantitatis. 1. Arg.

Deinde ostendamus posse diuidi non esse illius essentiam Primo in hunc modum. Potentia & actus continentur in eadem categoria, vt passim docet Arist. in Metaphysi. sed actu diuidi non est de essentia quantitatis: ergo neque posse diuidi erit de essentia illius. Præterea. Essentia alicuius generis debet ex æquo conuenire omnibus suis speciebus : sed posse diuidi non competit ex æquo quantitati coniunctæ,& disiunctæ, quia disiuncta actu est diuisa,coniũcta vero sola potestate: ergo posse diuidi non erit essentia quantitatis. 1. Arg. 2. Arg.

Adhæc nulla relatio est de essentia absoluti, sed posse diuidi est relatio quædam rei quæ diuiditur ad partes in quas diuiditur: cum ergo quãtitas sit ens absolutum,diuidi posse non erit de essentia illius. 3. Arg.

De quæstio ista (grauis illa quidẽ) est pri-

1. Opin. est prima opinio quorundam asserẽtium nullam essentiam quantitatis posse à nobis assignari,sed esse illam obscuram,& latentem:nam hæc omnia quatuor quæ sunt tributa quantitati ab Arist. nimirum posse diuidi,esse finitam vel infinitã, esse æqualem, & esse mensuram, sunt illius proprietates ita inter se affectæ, vt posse diuidi sit prima proprietas secundi esse finitum, tertia esse æquale, vel inæquale quarta esse mẽsuram substantiæ. Hinc opinionem tenent Antonius Andreas 5.lib.metaphy.q.10. & Scotus in eodem lib. q.9.& cum ipsis reliqui Scotistæ. Se

2. opin. cunda opinio est multorum veterũ Latinorum asserentium esse mensuram substantiæ esse naturam, & essentiam quantitatis. Quam opinionem sequntur ducti auctoritate D. Tho.in opusculo.de natura loci, vbi confutatis aliis opinionibus inquit

3.Opin. hanc esse essentiã quantitatis. Tertia opinio est quam sequitur D.Th. 1.senten.dist.19.q.1.art.1.ad 1.argu. & in commentariis in lib.5.metaph. cap.13.atque multis aliis in locis, & fere omnium Thomistarum vt Soncinatis 5.lib.metaphy. q. 25. Iauelli q 20. & Aquarij q. 11. existimantiũ essentiam quantitatis esse posse diuidi in partes eiusdem rationis cum suo toto,quia hanc naturam tribuit illi Arist. in metaphysica, vbi explicantur omnium rerum naturæ, & essentiæ. Quarta opinio est Soti in

4. Opi. his comentariis, Petri Nigri 2.p.clypei q.15.Tolet q.1. & Durand. in 4. dist.3.q.1. in fine ac multorum recẽtiorum constituentium rationem & essentiam quantitatis esse habere partium dilationem,& extẽsionem, seu hebere partem extra partem, nã hoc est multo prius quam posse diuidi, ex eo enim quantitas diuidi potest in partes quæ in sunt, quia prius habet partes extensas, & dilatatas, vnde non diuidi posse, sed habere partes extensas erit essentia quantitatis.

Nos vero his omnibus propositis, vt veram sententiã explicemus animaduertimus primo cum Suesano q.9.lib 5.metaphy. duplicem esse potentiam ad diuidendum,proximam vnam,& alterã remotam. Proxima est quæ immediate est ratio, vt quantitas diuidi posit in partes eiusdem rationis, remota vero est à qua fluit huiusmodi potentia proxima:quemadmodum duplex est in homine facultas & potentia ad ratiocinandum vna proxima, & hæc est intellectus,qui immediate ratiocinatur : & altera remota quæ est ipsa anima à qua fluit intellectus. Scio hanc distinctionem non placere Aquario propter argumẽtum satis futile,quia inquit idem nequit esse attributum de essentia, & proprietas vel accidens alicuius rei: sed potentia ad diuisionem iuxta nos est accidens quantitatis, ergo non erit de illius essentia. Cui respondẽdum breuiter erit potentiam proximam ad diuisionem esse accidens,& proprietatem:remotam vero esse illius naturam, vnde cum hæ duæ potentiæ sint ab inuicem distinctæ, nõ sequitur eandem rem esse de essentia, & esse accidens. Animaduertimus secundo potentiam remotam ad diuisionem in quantitate nihil aliud esse quam habere partium extensionem & dilatationem,ex eo siquidem potest quantitas diuidi in partes eiusdem rationis, vt linea in partes lineæ,quia sunt illæ prius in toto extensæ,& dilatatæ. Adnotamus tertio esse multa genera diuisionum, sicuti et multa sunt genera totius,nã quædam est diuisio totius naturalis in materiam & formam, alia est totius Metap. in genus & differentiã, alia totius vniuersi in sua inferiora,

1. Obseruat.

Obser.2

obser.3.

alia totius potestate in suas potentias cuiusmodi est diuisio animæ in intellectū, memoriam, & voluntatem: alia est diuisio totius integri vel in partes eiusdem rationis cuiusmodi est diuisio carnis: vel in partes diuersæ rationis sicut diuisio corporis in caput, brachia, & pedes. Cum ergo tot sint genera diuisionis quando in hac quæstione quærimus an diuidi posse sit essentia quantitatis, tantum quærimus de diuisione totius in partes continuas vt totius in partes similares, vel in partes discretas quarum vna sit extra aliam.

1. Conc. His constitutis sit prima conclusio. Esse mensuram non est ratio, & essentia quantitatis. Confirmatur. his argumentis. Primum est. Esse

1. Arg. mensuram conuenit primo vnitati secundum Arist. 10. lib. metaphy. cap. 2. sed vnitas non est quantitas sed principium illius: ergo esse mensuram non erit essentia quantitatis cum conueniat primo alteri à quan-

2. argu. titate. Secundum. Ratio quantitatis debet ex æquo suis speciebus cōpetere: sed ratio mensuræ non competit ex æquo quantitati coniunctę, & disiunctæ, cum prius competat quantitāti disiunctæ (vt numero) ex Arist. loco citato, ergo ratio mensuræ non erit ratio quantitatis. Ter-

3. argu. tium argu. Ratio mensurę reperitur in omnibus generibus vnumquodque enim quod est perfectissimum in aliquo genere est mensura cæterorum quæ in tali genere sunt contenta, vt in genere colorum albedo est mensura, & in genere saporum dulcedo vt docet Arist. 10. metaphysico. cap. 2. sed essentia quantitatis non potest se diffundere ad alias categorias: ergo esse mensuram non erit ratio quantitatis. Iam. Essentia

4. Arg. quātitatis debet cōuenire omni quātitati, sed esse mensuram non competit omni quantitati, nam si daretur linea infinita esset illa vera quātitas, quæ tamen neque posset mensurare, neque mensurari, quia infinitum neque est mensura, neque mensurabile, ergo non erit hæc ratio quantitatis.

Secunda conclusio. Posse diuidi 2. Conc.
si sumatur pro potentia proxima ad diuisionem non est de essentia quātitatis Hanc conclusionem ita confirmamus. Primo. Essentia cuiusque 1. Arg.
rei est illud quod primo illi competit: sed posse diuidi non cōpetit primo quantitati, sed habere partem extra partem, quia ex eo aliquid potest diuidi, vt adnotauimus, quia habet partium extensionem, ergo posse diuidi non erit essentia quantitatis. Secundo. Essentia non potest 2. Arg.
concludi per demonstrationem de re habente illā, cum sit illa ante demonstra. prænoscenda, vt docet Arist. 1. de demon. at Arist. 6. Physic. concludit de quantitate illam posse diuidi: ergo posse diuidi non erit essentia quantitatis. Quod si dicas Aristo. non concludere de quantitate, eo loco posse diuidi, sed posse diuidi in infinitum, & hoc non esse essentiam, sed proprietatem, quia essentia tantum est posse diuidi absolute. Hanc solutionem ita reiicio. Aristo. ex eo probat quantitatem coniunctam, vt lineā posse diuidi, quia componitur ex partibus diuisibilib⁹, vt linea ex eo diuiditur, quia cōponitur ex partibus lineæ: sed hæc ratio probat absolute quantitatem diuidi posse, & non tantum in infinitum: ergo solutio illorum nulla erit. Præterea infinitum diuisione, cum sit infinitum potestate, & secūdum quid non potest vlla ratione mutare naturā & essentiam rei: sed posse diuidi absolute iuxta illos est natura quātitatis: ergo & posse diuidi in infini. Vnde quēadmodum dicunt

eunt Arist. concludere de quantitate posse diuidi in infinitum, debent etiam asserere posse diuidi absolute concludi ab Arist. de quantitate.

3. Conc. Tertia conclusio. Habere partem extra partem, vt habere partes extēsis, & dilatatas est natura & essentia quantitatis. Confirmatur his argu.

1. argu. Primum est. Illud est de essentia cuiusque rei in quod resoluuntur eiusdem proprietates: at proprietates quantitatis resoluūtur in hoc quod est habere partem extra partem, nā prima quantitatis proprietas, quæ etiam iuxta Scotistas est posse diuidi, resoluitur in hoc quod est habere partes extensas, quia ex eo potest aliquid diuidi in partes, quia habet prius illas in toto extensas, quod si prima proprietas resoluitur in hāc rationem, & reliquæ quoque debēt in eandem resolui: ergo habere partium extensionem erit ratio quanti-

2. Argu. tatis. Secundum. Illa est assignanda ratio alicuius superioris, quæ competit ex æquo omnib⁹ inferioribus, quemadmodum esse substantiā corpoream animatam sentientem, est natura animalis, quia hæc competit ex æquo homini, equo, & aliis omnibus animalis inferioribus: sed habere partem extra partem competit ex æquo & secundum essentiam omni quantitati tam deiunctę, quam coniūctę: ergo habere partem extra partem est de essentia, & natura quantitatis. Confirmatur assumptio. Quātitas disiuncta est illa cuius partes non copulantur termino aliquo cōmuni, coniuncta vero cuius partes copulātur termino communi: est ergo commune vtrique quantitati habere partem extra partem in eodem toto, proprium autem habere partes copulatas, vt quantitati coniunctæ, & habere illas non copulatas, vt quantitati disiunctæ, & ita propria ratio quantitatis erit habere partem extra partem. Tertium ar- 3. Arg.
gu. Illud quod primo & per se alicui rei competit est illius natura & essentia, sed habere partē extra partem competit primo & per se quantitati, non autem posse diuidi potentia proxima, nam si aliquid potest diuidi ex eo est quia prius in se obtinet partem extra partem, ergo habere partem extra partem est essentia quantitatis.

Cæterum cum adnotatum sit à nobis idem idem esse habere partē extra partem, quod posse diuidi in partes eiusdem rationis.

Sit quarta conclusio. Posse diui- 4. Conclusio.
di potentia remota & prima est de essentia quantitatis. Confirmatur, quia hæc nihil aliud est quam habere partium extensionem, & dilatationem, vt admonuimus, quæ est illius essentia & natura. Vnde quemadmodum posse vti ratione potentia proxima & immediata, non est de essentia hominis, sed illius proprietas, hæc enim potentia intellectus est, qui non est hominis essentia & natura, sed facultas, & potentia illius: posse tamen vti ratione potentia prima & remota est eiusdem essentia, & natura: ita pariter posse diuidi in partes eiusdem rationis potentia proxima, non est de essentia quantitatis, sed illius proprietas, at vero posse diuidi in partes eiusdem rationis potentia remota, erit essentia quantitatis.

Animaduertendum tamē erit ha- Obbere partem extra partem duobus seruat.
modis euenire posse, primo in eodē toto, ita vt vna pars sit extra alteram, neque enim partes alicuius totius sunt inter se, aut permixtæ, aut confusæ, sed caput est extra pedes, & pedes extra brachia: altero vero modo quando vna pars est extra aliam in eodem loco, ita vt vna sit extra locum alterius, nam caput est in

loco

loco superiori, pedes in inferiori, vna manus est ad dextram, & altera ad sinistrā. Cum itaq. his duobus modis possit esse vna pars extra aliam, quando est à nobis constitutū habere partem extra partem esse de essentia quātitatis, sermo nobis fuit de eo quod est habere partem extra partem in toto, non autem in loco. Nam corpus Christi Domini in sanctissimo Eucharistię sacramento est vere quantum quidquid in hac re dicat Durandus constituens solam substantiam corporis Christi esse in sacramento, & non eius quantitatē, quod tamen non habet partem extra partem in loco, cum totum corpus, & omnes eius partes sint in qualibet particula quantumuis minima sacramenti Eucharistiæ: Attamen habet illud corpus sacrosanctū partem extra partem in eodem toto nā est reuera ibi os infra nares, & pectus infra collū. Vnde concludendū erit habere partem extra partem esse essentiam quantitatis, siue sint vna extra aliam secundum extēsionem, vt in quantitate coniuncta, siue secundum discretionem, vt in deiuncta quantitate.

Ad 1. argumen. Tandem argumenta in oppositū dissoluamus. Ad primum dicimus D. Tho. constituisse esse mensuram esse essentiam quātitatis, quia ex illa potest facile quænam sit quantitatis essentia, tanquam ab effectu manifestari. Vel re melius inspecta in Locis á nobis supra propositis mutauit ille sententiam, statuens

Ad 2. posse diuidi esse ipsius naturā. Ad secundum respon. hoc argumentū non esse à priori, & per causam, sed á posteriori, & per effectum, est enim idem ac si ita argumentaremur, Petrus est capax disciplinæ, ergo est homo, quæ argumentatio non est à priori, & per causam, sed à posteriori, nam ex eo quia proprietas hominis competit Petro colligimus illum esse homine. Pari ergo ratione ex eo quia oratio mensuratur syllaba longa, & breui, colligimus tanquam ex proprietate orationem esse quantam, quia mensura est proprietas quantitatis. Ad tertium respon. locum & superficiem sumi posse duobus modis, nimirum vel in ratione mensuræ, qua ratione tractantur à dialectico, vel in ratione diuisionis vt tractantur à metaphysico. Primo modo sunt species distinctæ quantitatis non quia habēt diuersam naturam, cum sit in illis vna & eadem quæ est habere partē extra partem, sed quia habent diuersam rationem mensuræ quia locus est mensura extrinseca, superficies autem intrinseca & ita constituuntur à logico diuersæ species, quia logicus non disputat de quantitate sub illius natura. sed sub quadam ipsius proprietate, nimirum mensura re: at Metaphy. qui disputat de rebus iuxta earum naturas non constituit locum, & superficiem diuersas species quantitatis vt ostendemus deinde.

Ad. 3.

Ad primum argu. secundi ordinis admitimus propositionem si illa intelligatur in hunc modum: quē admodum actus continetur in aliqua catego. ita potentia ad illum actum continetur in eadem categor. hac autem ratione intellecta huiusmodi propositione, nihil contra nos concludit argumentum, tantum enim colligit quod quemadmodum actus diuisionis continetur in catego. quantitatis, ita & potentia ad diuidendum continetur in eadem catego. Quam eandem propositionem negamus si hoc alio modo illa intelligatur: Quemadmodum actus non est de essentia alicuius, ita neque potētia eiusdem, nam actu moueri nō est de essentia entis mobilis, posse tamen

Ad 1. argumen.

tamen moueri est de essentia illius: vnde quamuis actu diuidi non sit de essentia quantitatis, posse tamē diuidi erit de essentia illius.

Ad 2. Ad secundum respondent Soncinas, & Iauellus quantitatem deiunctam non esse actu diuisam (vt est numerus) si sumatur illa formaliter quamuis sit diuisa materialiter, nā numerus quaternarius vt continetur sub sua forma non est actu diuisus in alias formas, & species, quia forma est vna & indiuisa, quāuis sit diuisus secundum vnitates quę sunt materia numeri. Et ita posse diuidi ex æquo competit vtrique quantitati coniunctæ, & deiunctæ.

Ad 3. Ad tertium respon. relationem categor. non esse de essentia absoluti, vt paternitas non est de essentia hominis, relationem tamen transcēdentem cuiusmodi est hæc relatio rei, posse esse de essentia entis absoluti.

QVAESTIO IIII. AN ESSE *mensuram, & diuidi posse sint proprietates quantitatis.*

COnstitutum est in superiori q. nec esse mēsurā, nec diuidi posse esse essentiam quantitatis, consequensiam videtur examinemus sit ne duo hæc proprietates saltim ipsius necne? Et quidem neutrum illorum debere proprietatem quantitatis constitui hæc argumenta suadent.

1. Arg. Primum. Minima caro est vere quanta, quia est affecta quantitate scilicet corpore: sed minima caro nequit diuidi, repugnat enim minimo posse diuidi: ergo diuidi posse non est proprietas quantitatis.

2. Arg Secundum. Totum naturale diuiditur in materiam, & formam, & totum metaphysicū in genus, & differentiam, atqui hæ diuisiones non conueniunt rebus ratione quantitatis, vt ex se apertum satis ac manifestum est: ergo diuidi posse non erit proprietas quantitatis.

3. Argu. Tertium. Diuidi posse competit primo substantiæ, quam quantitati: ergo non est prima illius proprietas. Confirmatur antecedens. Quando aliquod attributum cōpetit causæ & effectui prius competit causæ quam effectui, sed diuidi posse competit substantiæ, & quantitati, & substantia est causa quantitatis: ergo prius competet substantię quam quantitati.

1. Obseruatio. In huius quæstionis explicationem animaduertimus primo mensuram diffiniri ab Arist. 10. lib. metaphy. cap. 2. illud ratione cuius quātitatem rei certo scimus, sicut vlna est mensura panni, nam media illa cognoscimus quātitatem panni. Debet autē mensura esse res indiuidua in illo genere, vnde auctore eodem Arist. vnitas, quæ est ex sua natura indiuidua est prima mensura rerum omnium. Debet præterea mensura esse huius rationis vt nihil necilli addi, nec eidē adimi vllo modo queat: quia si aliquid vel adderetur vel adimeretur non posset reddere nos certos de quantitate rei quæ mensuratur. Animaduertimus deinde ex

2. Obserua. D. Tho. in opusculo Dialecticæ tract. 3. cap. 1. duplicem esse mensuram, vnam actiuam, & alteram passiuam actiua est ratione cuius cognoscimus quantitatem rei, passiua vero dicitur quantitas illa quæ cognoscitur, quemadmodum vlna panni vocatur mensura actiua, quantitas vero panni dicitur mensura passiua. Animaduertimus tertio duplicem esse mensuram vnam intrinsecam, & alteram extrinsecam, mensura intrinseca est quæ inhæret subiecto metito: extrinseca vero est quæ inhę

3. Obseruatio. ret in

Universidad de Deusto
Biblioteca

retum alieno subiecto, quemadmodum quantitas quæ est in aqua, est illius mensura intrinseca: at vero superficies amphoræ quæ metitur aquam extrinsece, quæ in amphora continetur, est mensura extrinseca: quia non est in aqua quæ mensuratur sed in amphora. Animaduertimus denique, neque substantiam, neque alia accidentia esse diuisibilia per se, sed ratione quantitatis, quod de accidentibus vt albedine v.g. est apertum, diuiditur enim illa ad diuisionem corporis in quo reperitur: de substantia etiam est manifestum, nam illa ex sua natura indiuidua est, obtinetque aliunde diuisionem, scilicet à quãtitate, quod intelligendum est de diuisione in partes eiusdem rationis, nam fide diuisione in partes diuersæ rationis fit nobis sermo, vt de diuisione in partes essentiales, substantia est per se diuisibilis, & non per quantitatẽ.

4. Obserua.

3. Conc. His adnotatis sit prima concl. Esse mensuram actiue non est proprietas quantitatis. Confirmatur primo quia proprietas quarto modo (de qua intelligenda est conclusio) competit soli subiecto sibi proprio: at esse mensuram actiue non competit primo quantitati, sed vnitati, quæ est principium illius, quemadmodũ docet Aristo. 10. lib. metaph. cap. 2. esse igitur mensuram actiue non erit proprietas quantitatis. Deinde quia proprietas competit omni contento sub subiecto: at esse mensurã actiue non competit omni quantitati, nam si esset linea infinita, esset illa vera quantitas, quæ tamen non obtinerent rationem mensuræ, quia infinitum neque est mensura, neq. mensurabile: igitur esse mensuram actiue non erit proprietas quantitatis.

2. Conc. Secunda conclusio. Esse mensurã passiue, Vel posse primo & per se mẽsurari, est proprietas quarto modo quantitatis finitæ. Hæc conclusio est apertissima, nam esse mensuram tribuitur ipsi ab Arist. 10. metaph. cap. 2. tanquam ei cui primo, & per se competit esse mensuram, quod cum nequeat intelligi de mensura actiue, vt constat satis aperte ex superiori conclusione, intelligendum erit de mensura passiue. Dictum est autem esse mensuram, esse proprietatem quantitatis finitæ, quia si de infinita quantitate agamus, sicuti de linea v. g. infinita, non est vllo modo illius proprietas vel actiue, vel passiue esse mensuram, nam infinitum, vt diximus neque est mensura, neq. mensurabile. Vnde & quãdo in prima conclusione docemus esse mensuram actiue non esse proprietatem quãtitatis quarto modo, non negamus quantitatem esse primo mensuram substantiæ, sed esse mensuram, non esse illi proprium quarto modo, cum hoc conueniat primo vnitati, & deinde ipsi, quamuis tanquam manifestum prætermittamus esse mensuram, esse proprium quantitati (si definita semper loquamur) secundo modo, quia cõpetit omni non tamen soli.

Obserua.

Tertia conclusio. Posse diuidi potentia proxima est proprietas quarto modo quantitatis. Confirmatur. Illa est proprietas quarto modo, quæ competit omni & soli, & semper, & reciprocatur cum ea re cuius est proprietas: sed posse diuidi cõpetit omni quantitati, & soli, nam dictum est & demonstratum à nobis substantiam, & alia accidentia diuidi ad diuisionem quantitatis, quinetiam & semper, ac reciprocatur cum quantitate, quia omnis quãtitas potest diuidi, & omne quod primo & per se potest diuidi est quãtitas: ergo diuidi posse est proprietas quantitatis. Est autem hæc quantitatis proprietas

3. Conc.

tas prima ex illis quatuor in superioribus assignatis nimirũ diuidi posse, quam secundo subsequetur finitum, vel infinitum tertio æquale & inæquale, & quarto esse mensuram substantiæ.

Ad 1. argum. Satisfaciamus postremo argumẽtis in principio effectis. Ad primum dicimus minimam carnem posse sumi vel mathematice, vel naturaliter, mathematice sumitur ea ratione qua cõsideratur iuxta suam quãtitatem: sumitur vero naturaliter, quando consideratur penes materiam, & formam, & vt caro est. Igitur si sumatur minima caro mathematice diuidi potest in infinitum, si vero vt caro est, & naturaliter vsurpetur nequit ita minima caro diuidi. Vnde semper cõpetit quantitati etiam existenti in aliqua re minima diuidi posse.

Ad 2. Ad secundum respon. admittentes totum argumentum, neque nos dicimus esse proprietatem quantitatis posse diuidi quauis diuisione, sed ea tantum quæ est in partes extensionis, aut eiusdem rationis cum toto, vt qua linea diuiditur in partes lineæ, & alię huiusmodi, diuisiones autem propositæ non sunt in partes extensionis, vel eiusdem rationis.

Ad. 3. Ad tertium negamus antecedẽs, ad probationem dicimus propositionem esse veram, si causa iuxta tale attributum est causa illius effectus, quemadmodum igni (quia iuxta hoc attributum quod est esse calidum, est causa caloris qui est in ligno) prius competit esse calidum, quam ligno. Atquamuis substantia sit causa quantitatis absolute, iuxta attributum tamẽ diuisibilitatis nõ est causa illius: imo ẽconuerso quãtitas est causa substantiæ, vnde hęc proprietas non primo competet substantiæ, sed quantitati.

Sed percõtabitur fortasse aliquis num si Deus per absolutam potentiam auferret ab aliqua substantia omnem quantitatem flueret illa ad punctum maneretq. indiuisibilis, necne? Fere omnes constituunt fore proculdubio si hoc Deus faceret, vt substantia resolueretur in punctũ. Reuera tamen falluntur, quia punctum ibi solum est vbi est quãtitas cõiũcta, definitur enim illud quod habet situm in continuo, at amota quantitate à Petro, nulla est continuitas in eius natura, & ita nõ fluet ac redigetur in punctũ. Maneret ergo, meo iudicio, huiusmodi natura indiuidua secundum quantitatem, esset q. illa in loco diffinitiuo, quia ita esset ibi, vt alibi nõ esset, non autem circunscriptiue cum nullam haberet quãtitatem. Verum de hac re postea in quæstione quadam huius categoriæ erit diffusior oratio iterum repetenda.

Percon ta.

Respõ.

QVAEST. V. AN QVANTITAS reipsa distinguatur a substantia necne?

INter eas quæstiones quæ fuerũt olim multisclamoribus inter Philosophos agitatæ, hæc vna est sitne quantitas reipsa distincta à substantia necne? quibusdam mordicus asserentibus non esse distinctam: aliis vero ẽcontra sentiẽtibus esse distinctam. Proponemus igitur imprimis argum. illorum qui contendũt probare nõ esse reipsa distinctam, nam formaliter differre omnes admittũt. Primum est. Substantia ex sua natura habet partem extra partem, ergo cum habere partem extra partẽ sit essentia quantitatis, substantia, & quantitas vnum atque idem erunt. Confirmatur antecedens. Quemadmo

2. Arg.

modum ſubſtantia eſt prior quanti tate, ita & partes ſubſtantiæ ſunt priores quantitate: ſed in ſubſtantia vna pars eſt extra aliam, ergo ſub ſtantia ex ſua natura habet partem extra partem.

2. Arg. Secundum. Subſtantia ex ſua natura habet partem extra partem, ergo non differt reipſa a quantitate. Confirmatur antecedēs. Sit aliquis homo (v g. Petrus) in aliquo loco, ponamuſque Deum auferre ab eo quantitatem, rogo tunc temporis Petrus erit in loco, vel non erit? Si eſt in loco, cum omne quod eſt in loco debeat habere partem extra partem in illo, Petrus habebit partem extra partem ſine quantitate. Si vero nō ſit in loco in quo antea ponebamus eſſe, ſic argumentor. Quidquid non eſt in loco in quo antea erat non po teſt non eſse in illo, niſi quia mouetur ex illo ad alium locum: ſed omne quod mouetur ſecundum Ariſt. 6. Phyſi. eſt diuiſibile, & habet partem extra partem: cum igitur eſſentia quantitatis ſit habere partem extra partem, quæ (vt probatum eſt] competit ſubſtantiæ ex ſua natura, ſubſtantia non diſtinguetur reipſa à quantitate.

3. argu. Tertium. Quælibet res poteſt intelligi abſque eo quod eſt idem ſibi ipſi. ſed ſubſtantia corporea non poteſt intelligi ſine corpore quod eſt quantitas, ergo quantitas eſt idem cum ſubſtantia.

4. Arg. Adhæc quæ ſimul oriuntur, & intereunt, ſunt vnum & idem: ſed ſubſtantia & quantitas ſimul oriuntur, & intereunt, vt eſt notum: ergo ſubſtantia & quantitas vnum & idem erunt.

5. Argu. Tandem. Maxime proprium eſt ſubſtantię recipere contraria: at quātitas recipit contraria, vt albedinem & nigredinem: ergo quantitas erit ſubſtantia.

1. Opin. Opinio fuit veterum Stoicorum (ſi credimus Alexandro Aphrodiſæo in comment. 3. lib. metaph.) exiſtimantium quātitatem non diſtingui reipſa à ſubſtantia, ſed eſse vnā & eandem rem cum illa. Quam opinionem iam fere obliuioni traditā ſuſcitarunt poſtmodum Ochamus in ſua dialectica cap. 44 & 45 4. lib. ſentent. q. 4. in tractatu de ſacramento Euchariſtiæ cap. 29. Gabriel ſuper Canonem Miſsæ lect. 43. Gregorius, Marſilius, & omnes quotquot Nominalium nomine gloriantur.

2. Opin. Secunda tamen opinio eſt omniū aliorum Philoſophorum conſtituētium quantitatem eſse reipſa diſtinctam à ſubſtātia, quam opinionem ſequuntur D. Tho. 3. p. q. 77. arti. 2. 4. lib. ſenten. diſt. 12. q. 1. art. 1. q. 3. in commenta. in cap. 2. lib. 1. phyſico. & latiſsime in commenta lib. 5. metaphy. tex. 17. Scotus 4. lib. ſentē. diſt. 12. q. 2. Capreolus in 2. diſt. 8. q. 1. conclu. 1. Soncinas 5. metaphyſi. q. 19. Aquarius 3. lib. metaphy. q. 8. Benedictus Pereyra lib. 10. ſuæ Philoſophiæ cap. 1. & 2. M. Soto q. 2. huius categorię. quam ſententiam tanquā veriorem amplectentes in illius explicationem ſtatuimus iſtam vnicā concluſionem.

Quantitas reipſa diſtinguitur à ſubſtantia. Confirmatur his argu. Primum eſt petitum ex auctoritatibus Ariſt. nam 1. lib. phyſico cap. 2. diſputans aduerſus Parmenydem, & Meliſum arbitrātes omnia quæcū que ſunt eſſe vnum ita argumentatur. Si omnia eſſent vnum, aut illud eſſet ſubſtantia, aut eſſet accidens, non ſubſtantia, quia neque eſſet finita, neque infinita, quia hæc tantum conueniunt quantitati: neque accidens, quia accidens non poteſt eſſe ſine ſubſtantia. Quod ſi dicas illud vnum quod omnia ſunt continere ſubſtantiam, & quantitatem, ita argumentatur Ariſt. Subſtā tia & quantitas non ſunt vnum, ſed duo: ergo illud vnum non poteſt eſſe ſubſtantia, & quantitas. Ex quo loco aperte ſatis colligitur ſubſtantiam & quātitatem reipſa diſtingui & eſſe duo. Et 7. lib. metap. cap. 3. inquit longitudinem, latitudinem, & profunditatem nō eſſe ſubſtantias, ſed quantitates, quia quantitas inquit non eſt ſubſtantia, ſed maxime differt ab ea. Secundum. Eſſe per ſe,

7. argu.

2. Arg. & nō eſſe per ſe reipſa differūt, quia ſunt termini cōtradicentes, ſed ſubſtantia eſt ens per ſe, quantitas vero non eſt perſe, ſed in alio, ergo ſubſtantia, & quantitas reipſa diſtinguētur. Tertium. Quæ ſunt primo diuerſa reipſa differunt, ſed quantitas & ſubſtantia ſunt primo diuerſa, ergo reipſa differēt. Adhęc. Quæ ita ſunt affecta inter ſe, vt mutato vno ſecūdum eſſentiam, alterum maneat immotum, reipſa differunt: ſed mutata quantitate ſecundum eſſentiam remanet ſubſtantia immota, quemadmodū in accretione remanente ſubſtātia eadem numero, mutatur quātitas, ſit enim maior de minori, ergo ſubſtantia & quantitas diſtinguentur reipſa. Denique cōfirmatur. Magis differunt ſubſtantia, & quantitas, quam duę albedines, vel duo homines, quia duo homines continentur in eadem categ. ſicut & duæ etiā albedines in vna aliqua categ. ſunt contentæ, ſubſtantia vero & quantitas, conſtituunt diuerſas categ. ſed duo homines & duæ albedines reipſa differunt, ergo ſubſtantia & quantitas etiam reipſa differēt. His argu. non ſolum theologice, ſed naturaliter etiam, & phyſice quantitatem à ſubſtantia reipſa differre colligitur, quidquid in hac re dicat Pereyra locō citato conſtituens opinionem Nominalium philoſophice loquēdo eſſe probabilem, quamuis ſi Theologi cè loquamur poſsit ægrè & cum difficultate ſuſtineri.

3. argu.

4. Arg.

5. Argu.

Diluamus iam argumenta propoſita. Ad primum reſpon ſubſtantiā ſumi poſſe vel abſolute, vt eſt ens perſe exiſtens, vel vt habet partem extra partem. Primo modo ſubſtantia prior eſt quantitate, ſecundo vero modo poſterior eſt illa: at primo modo negandum eſt ſubſtātiam habere partem extra partem, cum tantum hoc illi competat prout ſumitur ſecundo modo. Quemadmodū homo abſolute loquendo prior eſt (iuxta horum ſaltim opinionem) albedine: at vero ſi ſumatur albedo, vt eſt color diſgregās viſum, homo tunc temporis affectus albedine eſt poſterior ipſa, quia non poteſt diſgregare viſum ſine albedine, quemadmodum effectus formalis non poteſt eſſe ſine ea re cuius eſt effectus formalis. Ad 1. argum.

Ad 2. negamus antecedens. Adcō firm. dicimus quod ſi Deus auferret quantitatem à Petro, non eſſet ille in eodem loco circunſcriptiue, nō quidem propter aliquem morū, ſed quia careret quantitate quæ eſt ratio formalis exiſtendi in loco circūſcriptiue, vnde & ex conſequenti ſi ab eodem Petro amoueretur quantitas, neque haberet ille partem extra partem, neque moueretur, neque eſſet in loco circunſcriptiue. Ad 2.

Ad 3. dicimus duplex eſſe corpus vnum catego. ſubſtantiæ, & alterū categ quantitatis, corpus categoriæ quantitatis eſt trina dimenſio, corpus vero categ. ſubſtantiæ, eſt ſubſtantia cui debetur habere trinā dimenſionē. Subſtantia igitur corporea non poteſt intelligi ſine corpore quod eſt de categ. ſubſtan. bene tñ intelligi poteſt ſine corpore, quod eſt de categ. quantitat. Vnde liquet non eſſe ſubſtantiam idem reipſa cum quantitate. Ad 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad 4. Ad quartum admittimus imprimis propositionem de iis quę simul tempore & natura oriuntur, & intereunt, cuiusmodi sunt Petrus, & homo: eandem tandem negamus de iis quæ simul tempore oriuntur, non autem simul natura. Vnde cum substantia, & quantitas, licet simul tẽpore producantur, non tamẽ simul natura oriantur (est enim substantia prior natura quantitate) non erunt illa vnum & idem. Respond. deinde propositionẽ esse veram de iis quæ continentur in eadem catego. sicuti homo & animal, nam ex iis quæ simul oriuntur, sunt vnum & idem: esse tamen falsam de iis quæ continentur in diuersis categoriis: vnde cum quantitas contineatur in alia categoria distincta à catego. substantiæ, quantitas, & substantia non erunt idem reipsa.

Ad quintum respon. proprium est substantiæ recipere contrarium, vt quod, at quantitas nõ recipit cõtraria, vt quod, sed vt quo mediante. Nisi conferatur illi à Deo per miraculum modus substantiæ, vt fit in sacrosancto Eucharistiæ sacramento, nam tunctemporis quantitas cum gerat vices substantiæ, recipiet contraria, vt quod. Ad 5.

Sectio II. in cap. de Quantitate de ipsius quantitatis speciebus.

ARGVMENTVM.

IN superiori Sectione ea proposuimus quæ ad naturam & proprietates quantitatis attinere videbantur: consequens est, vt sigillatim, & seorsum de illius speciebus nimirum de quantitate coniuncta, & deiuncta disputemus. Hactamen lege, vt prius agamus de quantitate deiuncta quam de coniuncta, vt vestigia Aristo. in hoc imitemur, qui prius de deiuncta quam de coniuncta quantitate in capite disputauit. Exordiemur à numero, & deinde ad orationem accedemus: Verum quia quæ communia sunt, prius proponi debent, prius inquiremus sitne quantitas genus ad coniunctam, & deiunctam, ad habentem situm, & illum non habentem necne?

Sectio.

Sectio. II. Quæst. I. An quantitas sit genus ad coniunctã, & deinnctam, ad habentem situm in partibus & non habentem.

Quantitatem non esse genus ad quatuor ista quæ recensuimus hæc persuadent argumenta. Primũ est. Vna species non prædicatur de altera denominatiue, quia sunt contrariæ, & vnum contrarium non dicitur de altero: sed quantitas deiuncta prædicatur de coniuncta, nam de lineis prædicatur numerus, dicimus enim decem lineas: ergo quantitas non erit genus ad coniunctam & deiunctam. Secundum. Nullum genus prædicatur denominatiue de suis speciebus, sed synonyme: at quãtitas denominatiue prædicatur de coniuncta & deiuncta: ergo quantitas non erit genus. Confirmatur assumptio, quia dicimus denominatiue lineam esse quantam, & numerũ esse quantum. Tertium. Vna species non cõponitur ex altera, quia sunt contrariæ: sed quantitas deiuncta componitur ex coniunctis, nam ex diuisione continui fit numerus, vt si lignum quod est continuum diuidatur in decem partes, fit numerus denarius: ergo quantitas non est genus ad coniunctam, & deiunctam. Iam. Nullum genus prædicatur secundum prius, & posterius de suis speciebus: sed quantitas prædicatur prius de coniuncta, quam de deiuncta: ergo quãtitas non erit genus ad coniunctam & disiunctam Confirmatur assumptio. Quantitas deiuncta vt numerus, fit ex diuisione cõtinui, ergo quantitas prius prædicatur de quantitate coniuncta, quam de disiuncta.

In hac quęstione Simplicius eam tenet opinionem vt existimet, quantitatem esse verum genus ad eam que habet situm, & nõ habet situm, ad coniunctam, & disiunctam. Communis tamen opinio est aliorũ Philosophorum verisime existimantium quantitatem non esse genus ad eam quæ habet situm, & non habet situm, verum nihilominus esse genus ad quantitatem coniunctam, & disiunctam. Hanc tanquam veriorem his assertionibus explicamus.

Prima est. Quantitas vt suo ambitu continet non solum quantitates integras verum etiam differentias, & modos suæ categoriæ, non est genus ad coniunctam, & deiunctam. Confirmatur. Ens secundum Arist. ex eo non est genus quia prædicatur de vltimis differentiis: sed vltimæ specierum quantitatis differentiæ sunt quantitates, quemadmodũ vltimæ differentiæ substantiæ sunt substantiæ: ergo quantitas hoc modo sumpta non erit genus, ad quantitatem coniunctam, & deiunctam, sed erit analogum proportionalitatis.

Secunda cõclusio. Quantitas sumpta paulo contractius, vt tantum denotat naturam integram, & compositam, est verum genus ad quantitatem coniunctam, & deiunctam. Cõfirmatur duobus argu. Primum. Illud quod predicatur de multis specie differentibus in quid est genus, sed quantitas prædicatur de coniuncta, & deiuncta, quæ differunt specie, & in quid, nam roganti quid est quantitas coniuncta recte respondemus esse quantitatem: ergo quanti-

1. Arg.

2. Arg.

3. Arg.

4. Arg.

1. opin.

2. opin.

1. Conc.

2. Conc.

1. argu.

tas erit verum genus ad quantitatē
2. argu. coniunctam, & deiunctam. Deinde.
Si quantitas non esset verum genus sequeretur dari in hac categoria duo genera suprema, nam quantitas coniuncta, esset vnum genus supremū, & quantitas deiuncta alterum: ergo quantitas erit verum genus ad coniunctam & deiunctam. Confirmatur propositio. Illa sunt genera suprema que supra se non habent aliud genus: ergo cum quantitas coniuncta, & disiuncta sint genera, si quantitas quæ est vtrique commun is non est verum genus sequeretur quantitatem coniunctam & deiunctam esse genera suprema.

3. Argu. Tertia assertio. Quantitas non est genus ad quantitatem habentem situm & non habentem situm in partibus. Confirmatur. Habere situm, & non habere illum sunt quædam accidentia quantitatis: ergo quantitas non erit genus ad has quantitates. Confirmatur cōsequentia quia animal non est genus ad album, & nigrum, quia duo hæc sunt accidentia animalis: ergo cum habere sitū, & illo carere sint accidentia quantitatis, non erit quantitas genus si referatur ad illa.

Ad 1. argumen. Iam ad argumenta. Ad primum dicimus falsam esse propositionem quia quinque voces vniuersæ sunt species vniuersi, & tamen secunda vox quæ est species prædicatur de aliis denominatiue, nam dicimus genus esse speciem vniuersi, præsertimque in speciebus huius categoriæ, vnam de alia prædicari contingit denominatiue, eo quod vna potest aliam mensurare, & ea quæ mensurat prædicatur denominatiue de ea quæ mensuratur, & ita cum numerus possit esse linearum mensura, poterit prædicari denominatiue de illis. Ad secundum respon. eodē modo esse peculiare in hac categoria vt genus prædicetur denominatiue propter rationem assignatam, eo quod species quantitatis sunt mensuræ, & mensurabiles, & ea ratione qua sunt mensurę prædicatur quantitas de eis secundum essentiā, ea vero ratione qua sunt mensurabiles prædicatur de illis denominatiue. Quamuis quidam respondeant quantitatem quæ prædicatur denominatiue non esse illam quæ est genus supremum, sed illam tantum quæ potest alteram mensurare. Ad tertium respon. vnam speciem secūdum formam non componere alteram bene tamen componere secundum materiam, quemadmodum enthymemma secundum formam nō componit syllogismum, bene tamē componit secundum materiā, quia propositiones quæ sunt materia enthymemmatis, sunt deinde materia syllogismi. Eodem modo qantitas coniuncta secundum formam non componit deiunctam sed tantum secundum materiam, quia partes quę antea erant materia quantitatis coniunctæ, sunt deinde materia & partes numeri, & quantitatis deiunctæ. Ad quartum dicimus falsam esse assumptionem, & ad probationem, dicimus numerum non fieri per se ex diuisione continui, nam numerus hominum, & numerus cœlorum nō fit ex diuisione alicuius continui, sed accidere numero fieri ex diuisione continui, & ita non prędicabitur prius quantitas de quantitate coniuncta quam de deiuncta. Vel respō. quantitatem deiunctam secundum materiam fieri ex quantitate coniūcta, non autem secundum formam, at vero vt aliquid nō sit genus quia prædicatur per prius, & posterius debet prędicari de vno prius quam de altero secundum formam, non autē secundum materiam, quemadmodum enunciatio quæ est verum genus,

Ad 2.

Ad 3.

Ad 4.

1. Solut.

2. Solu.

nus ad ientem, & negantem prius prædicatur secundum materiam de aiente, quam de negante, non autē secundum formam.

Consec. Primū. Ex his colligimus duo cōsectaria. Primum est. Diuisionem quantitatis in coniunctam, & deiunctam esse generis in species, ratio est quia in hac diuisione res diuisa est genus, membra vero diuidentia, vt coniūctum, & deiunctum, sunt illius species. Secundum est. Diuisionem quātitatis in eam quę habet situm, & in eam quæ non habet situm, esse diuisionem subiecti in accidentia inseparabilia, eo quod res diuisa est subiectum, membra vero diuidentia sunt illius accidentia inseparabilia.

Secun.

Obiect. Quod si quis dicat, punctum non esse quantitatem, & tamen habere situm in continuo, & ita non esse proprium quantitatis vt quædam sit quæ habeat situm in cōtinuo.

Solutio. Respon. quantitatem primo, & per se habere situm in continuo, at vero punctum secundario, & ratione quantitatis huiusmodi situm habere, eo quod sit principium illius.

QVAESTIO II. AN NVmerus sit species quantitatis.

1. argu. PArs negans his argumentis suadetur. Primum est. Secundum Aris. 4. physico. cap. vlti. sublata anima tollitur numerus: ergo numerus dependet ab anima: erit ergo ens rationis, nam illud est ens rationis quod consequitur rem vt est in anima: at in hac categoria sola entia rei collocantur, ergo numerus non erit species quantitatis. Secundum. Ens rei non potest fundari in ente rationis: sed numerus fundatur in ente rationis, vt numerus quinque vocum prædicabilium: ergo numerus non erit ens rei. Tertium argumen. Nulla species atoma realis, potest esse cōmunis enti reali, & rationis: sed numerus vt binarius est species atoma, & communis enti rei, & rationis, nam quemadmodum datur binarius entium rei, ita quoque & entium rationis: ergo numerus non erit ens rei. Adhęc. In entibus rei nō est progrediendum in infinitum, sed in numero progredimur in infinitum: ergo numerus non est ens rei. Confirmatur assumptio. Sumamus duos binarios, quorum vnus sit hominum, & alius leonū, hi duo binarij, per alium binarium sunt binarij, constituunt enim vnum binarium & ille binarius alium, & sic in finitum: ergo numerus non est ens rei. Præterea. Nullum accidens rei fundatur in subiectis situ, & loco distinctis: sed numerus fundatur in subiectis loco situ, & positione maxime distinctis, quemadmodum hic numerus ternarius trium hominum fundatur in tribus hominibus loco distinctis: ergo numerus non erit ens rei. Rursus. Obiectum Arithmeticæ est ens rei, sed obiectū Arithmeticæ est numerus abstractus, ergo numerus abstractus erit ens rei, & ita non abstrahet ab ente rei: & rationis vt & docebimus. Iterū. Illud est ens per accidens, quod cōponitur ex multis entibus in actu sed numerus componitur ex multis entib' in actu, vt numerus quaternarius quatuor hominum componitur ex quatuor hominibus, qui sunt entia in actu: ergo numerus erit ens per accidens ac proinde non erit in hac categoria. Denique. Illud quod est vnum per aggregationem est ens per accidens, sicuti aceruus lapidū: sed nummerus est aggregatio multarū vnitatum, ergo numerus erit ens per accidens: quare non erit species quātitatis.

2. Arg.

3. Arg.

4 argu.

5. Arg.

6. Arg.

7. Arg

8. Argu.

1. Opin. De hac quæstione tres sunt inter se discrepantes opiniones. Prima est Aureoli vt refert Gregorius 1. sent. dist. 24 q. 2. art. 1. existimantis numerum secundum formam esse ens rationis. Secunda opinio est Gregorij in eadem q. art. 2. arbitrantis numerum esse ens per accidens. Tertia opinio est communis fere omnium Philosophorum existimantium numerum esse ens rei, & per se, & ita esse speciem quantitatis. Quam sententiam sequitur D. Tho. 8. lib. metaph. lecti 3. Capreolus 1. sententia. dist. 24. q. 1. conclu 5. Soncinas 10 metaphy q 7. & 8. Iauellus q 9. 8. metaph. Petrus Niger in 2 p. clypei q. 2.

2. opin.

3. Opin.

1. Obseruat. His opinionib⁹ propositis vt quæstionem explicemus adnotandum erit primo numerum diffiniri collectionem multarum vnitatum, quē admodum numerus decem hominum est collectio decem illarum vnitatum. Est autē duplex numerus vnus categoriæ quantitatis, & alius transcendens, quæ diuisio ortū habet ex duplici genere vnitatum, ex quibus conflatur numerus: nā quædam est vnitas transcendens, & alia est vnitas secundum quantitatem. Transcendens est indiuisio rei secūdum essentiam & entitatem, vt vnitas naturæ Petri, vel huius leonis est vnitas transcendens, vnitas vero quantitatiua est indiuisibilitas rei secundum quantitatem, vt vnitas corporis Petri, vel Antonij est vnitas secundum quantitatem. Cum ergo sit hæc duplex vnitas, duplex erit numerus, transcendens vnus qui componitur ex vnitatibus transcendentibus: quantitatiuus aliusqui cōponitur ex vnitatibus secundum quantitatem. Animaduertēdum est deinde triplicem esse numerum numerantem qui est anima, quo numeramus vt duo, tria, & quatuor: & numeratum vt quatuor homines, & quinq equi. Præterea numerus quo numeramus duplex est vnus abstractus, auulsus, & denudatus à rebus numeratis, vt est numerus binarius vel ternarius, absolute sūptus, alius vero est numerus coniunctus, concretus, & applicatus rebus quæ numerantur, vt quando dicimus quinque equos, & decem homines: nam numerus quinarius est applicatus equis, & denarius hominibus.

2. Obseruat.

Sit iam prima conclu. Numerus non est ens per accidens, sed est ens per se. Confirmatur aduersus Gregorium his argumentis. Primo. Quæ componuntur ex genere, & differentia sunt entia per se: sed numerus cōponitur ex genere, & differentia: ergo numerus erit ens per se. Confirmatur assumptio, quia quaternarius componitur ex quantitate deiuncta tanquam ex genere, & ex compositione quatuor vnitatum tanquam ex differentia. Deinde genera, & species sunt entia per se: sed numerus est genus ad binarium, & ternariū, suntque binarius, & ternarius illius species: ergo numerus erit ens per se. Denique de ente per accidens non possunt concludi proprietates, quia non est vnum vnitate essentiæ, à qua sola fluunt proprietates: sed in Arithmetica concluduntur variæ proprietates de numero: ergo numerus non erit ens per accidens.

1. Conclusio.

1. Arg.

2. Arg.

3. argu.

Secunda conclusio. Numerus est ens rei, & non rationis. Confirmatur aduersus Aureolum his argumentis. Primo. Obiectum Arithmeticæ est ens rei: sed numerus est illi⁹ obiectū, ergo numerus erit ens rei. Deinde. Vbi est paronymum denominatum debet quoque esse forma denominans: sed dantur à parte rei res numeratæ quæ sunt paronymè numeri: dicimus enim à parte rei esse decem homines, ergo à parte rei debet dari forma numeri denominans,

2. Conc.

1. Arg.

2. Argu.

nans, & ita numerus non erit ens rationis. Vltimò Obiectum sensus est ens rei, & nō rationis, quia est prius omni actione intellectus, quæ sola est causa entis rationis: at numerus est obiectum commune sensus, vt profitetur Aristo. 2. lib. de anima, c. 6. ergo numer⁹ erit ens rei. Reliquū tñ videtur, vt explicemus qua ratione intelligi debeat proposita conclusio, & qua ratione numerus constitui debeat species quantitatis. Quā rem vt explicemus adnotādum est numerum auulsum, neque esse ens rei, neq. rationis, sed abstrahere ab vtroque, nam si ille accommodetur enti rationis, est ens rationis, si vero applicetur enti rei, est ens rei, cuius ratio est: quia numerus est collectio vnitatum, vnde si illæ fuerint vnitates rationis, numerus erit ens rationis, si vero fuerint vnitates rei, numerus erit ens rei. Animaduertē dnm est deinde numerū, qui est species quantitatis esse numerum applicatum rebus discretis, affectis tamen quantitate coniuncta, quemadmodum docet D. Thom. 1. par. q 30. artic. 3. & 1. senten. distin. 24. q. 1. articu. 3. Dicimus igitur imprimis numerum qui est species quantitatis debere esse applicatum rebus discretis, vt sunt decem lapides, & viginti arbores, per quam partem separatur à ratione numeri qui constituit hanc speciem numerus applicatus rebus affectis quantitate cōiuncta, non tamen discreta, nam hic numerus non est quantitas disiuncta, sed coniuncta, quemadmodum & res ipsa cui applicatur, vt numerus denarius decem vlnarum alicuius pāni, non est quantitas deiuncta, sed coniuncta, quemadmodum pānum cui applicatur est continuum, neq. est ens rei, sed rationis, quia decem vlnæ non sunt in panno distinctæ à parte rei, sed tantum distinguuntur per intellectum considerantem decem vlnas in panno. Per alteram vero partem separatur numerus constituens hanc speciem à numero applicato rebus non affectis quantitate coniuncta, vnde cum Angeli non habeant quantitatem coniunctam, numerus Angelorum non continebitur in hac categoria, nam est numerus transcendens. Et numerus etiam ternarius personarum diuinarum, excludetur quoque ab hac categoria tum quia est infinitus, tum etiam quia in sanctissima Trinitate nulla est quantitas coniuncta. Ex quibus erit concludendum numerum absolute sumptū non esse ens rei, neque rationis, sed abstrahere ab vtroque, & numerum applicatū entibus rationis esse ens rationis, & applicatum entibus rei, esse ens rei: & tandem solum numerum applicatum entibus rei discretis constituere hanc primam speciem quantitatis deiunctæ, si tamen res illæ fuerint affectæ quantitate coniuncta.

1. Obserua.

Obser. 2

Aequum est iam occurramus argumentis propositis. Ad primum respon. imprimis in numero tria reperiri essentiam, proprietatem, quæ est esse mensuram, & actu mensurare rem aliquam, nam hoc postremū distinguitur à secundo quia de ratione mensuræ non est actu mensurare rem aliquam, sed habere potentiam ad mensurandum. Dependet igitur numerus ab anima non secūdum essentiam, neque secundū proprietatem, sed secundum actum mē surandi, quia actu mensurare decē, vel duodecim, est functio ipsius animæ. Respon. deinde Arist. in eo capite fuisse loquutum de numero applicato quantitati coniunctæ, scilicet motui primi cœli, agebat enim tunc temporis de tempore quod est numerus partium motus primi cœli: at iam docuimus nume. um applicatum

Ad 1. argumeu.

catum rei coniunctæ, & non discretæ esse ens rationis, vt est numerus decem vlnarum in panno: nos vero tantum dicimus numerum applicatum rebus discretis affectis quantitate coniuncta, esse ens rei. Ad secundum respon. numerum, qui est ens rei nõ fundari in ente rationis, sed illum qui est ens rationis, iam enim diximus numerũ ex sua natura neque esse ens rei, neq. rationis, sed applicatum entibus rei discretis esse ens rei, & applicatum entibus rationis esse ens rationis. Ad tertium eodem modo satisfacimus numerũ communem enti rei, & rationis nõ esse ens rei, sed abstrahere ab vtroq. illumque solum esse ens rei, qui applicatur enti rei, & illum ens rationis, qui applicatur entibus rationis, vnde binarius communis enti rei, & rationis abstrahit ab vtroque. Ad quartum respon. non esse progrediẽdum in infinitum in iis binariis, nã secundus binarius per quẽ duo priores sunt binarij nõ est binarius quãtitatiuus, sed transcendens, consurgit ex. ex existentia, & entitate prioris binarij. Ad quintum respon. quædam esse accidentia omnino simplicia, quæ habent suam entitatem ab vnico subiecto, vt albedo, vel dulcedo: & alia esse composita ex multorum collectione, vt est numerus qui componitur ex multis reb' collectis: propositio ergo falsa est de accidentibus compositis, est autem vera de accidentibus simplicibus. Ad sextum dicimus cum D. Tho. 1. lib. sentent. dist. 24. q. 1. ar. 3. falsam esse assumptionem, quia numerus, qui est obiectum Arithmeticæ tantum est ille qui potest applicari enti rei discreto, & affecto quantitate coniũcta. Ad septimum dicimus falsam esse assumptionem. Ad probationẽ dicimus vnitates quinque hominũ vt sunt partes numeri quinarij non esse entia actu, sed potestate, quia sunt materia numeri, & postrema vnitas est forma, ex quibus vtrisque tanquam ex actu, & potestate coalescit ipse numerus. Ad vltimum & octauum respon. falsam esse assumptionem, quia vnitas numeri non est vnitas aggregationis, sed compositionis per se, ex actu & potentia, nam in vnitate aggregationis non habet locum potentiæ vna pars, & altera locum actus: sed omnes partes sunt entia actu: at vero in compositione numeri quædam pars habet locum potentiæ, & materiæ, & vltima vnitas habet locum actus, & formæ.

Ad 2.

Ad. 3.

Ad 4.

Ad 5.

Ad. 6.

Ad 7.

Ad vlt.

QVAESTIO III. AN NVMERus sit species infima uel subalterna.

SVnt qui partem negantem huius quæstionis huiusmodi argumentis confirmare nitantur. Primum. Arist. 3. metaphy. cap. 3. docet in numeris & figuris non esse genus quia per prius & posterius prædicãtur, ergo numerus non erit genus. Deinde species infimæ sunt certę & determinatæ à quibus non est progrediendum in infinitum, vt docet Porphyr. cap. de specie: sed numeri non sunt certi & finiti, potest enim augeri numerus in infinitũ addita vnitate, ergo numerus non erit genus. Præterea. Quemadmodum se habent in magnitudine magnum & paruũ, ita & in multitudine sese habent multum & paucum: sed magnũ & paruum non constituũt diuersas species, vt linea magna & parua nõ differunt specie, ergo neq. multum & paucũ different specie: sed numeri tantum differunt penes multum & paucum, ergo numeri non differrent specie. Adhæc. Nullum genus prędicatur prius & posterius de suis specie

1. Arg.

2. argu.

3. Argu.

4. Arg

speciebus: at numerus prædicatur per prius & posterius de suis speciebus, vt pri' dicitur de binario, quã de ternario, & de ternario prius quã de quaternario, & sic de aliis, ergo numerus non erit genus. Denique. In speciebus alicuius generis sublata vna nõ tollitur alia, quemadmodum sublato equo non tollitur leo: sed sublato binario aufertur ternarius, ergo binarius & ternarius non sunt species numeri.

5. Argu.

Constituimus in q. sup. numerũ esse speciẽ quantitatis, conseq. videtur vt perpedam' sitne infima, vel interiecta species quanti. necne: Quidam n. existimant numerũ esse speciem infimam quãtitatis, binariũq. ac ternarium non differre specie, ac forma, sed sola materia, quia binarius cõponitur ex duabus vnitatib' tanquã ex materia, & quaternarius ex quatuor. Alij tñ (quorũ opinio est multo verior) censent numerũ esse speciem subalternam quantitatis, et illius species infimas esse binarium, ternarium, & alios numeros. Quam eandem sententiã, & nos tanquam veriorem amplectentes, in eius confirmationem, ita argumẽtamur. Primo. Magis differũt ternarius, et quaternarius, quã duo ternarij, sed duo ternarij differunt numero; ergo ternarius, et quaternarius different specie, vnde numerus genus erit ad binarium et ternarium. Deinde. Species est quæ prædicatur de multis numero differẽtibus in quid, sed binarius prædicatur de hoc binario, et de illo qui differũt numero, idẽq. iudicium est de ternario, & aliis numeris, ergo binarius ternarius, alijq; huiusmodi numeri erũt species infimæ, vnde superierit confirma. numerũ esse genus. Præter. Quæ differũt essentia differũt specie: sed binarius et ternarius differunt essentia, nam Arist. 3. lib. metap. c. 3. cõparat essentiam numeris, quia vt in numeris addita vel detracta vnitate mutatur species numeri, ita et in essentia addito vel detracto attributo essentiali mutatur essentia, et ita binarius, et alij numeri different specie, quod si specie differunt, numerus igitur genus erit ad binarium et ternarium: quia prædicatur de multis specie differentibus.

1. Opin.

2. opin.

2. argu.

2. Arg.

3. argu.

Ea tandem quæ in contrariũ adduximus argu. dissoluamus. Ad 1. igitur dicimus Arist. loquutum esse iuxta opin. Plato. et aliorum Philoso. constituentium numerum, et figuram nõ esse genus, quia per prius et posterius efferũtur. Ad 2. resp. species numerorum actu esse finitas, potestate tñ esse infinitas, nam si cuilibet numero addatur vnitas, iam fit alia species numeri, et quia possunt addi vnitates in infinitum, proinde species numeri augeri possunt in infinitum. Porph. vero docens species infimas finitas esse, loquutus est, de infinito actu, non potestate, sunt enim finitæ actu, et infinitæ potestate. Ad 3. negamus propositionẽ, cuius ratio est, quia in quantitate coniuncta additio vnius particulæ non mutat rei naturam, et essentiam, si enim lineæ duodecim palmorũ additur vnus palmus, semper est illa eiusdem essentiæ: at vero quantitas deiuncta mutat naturam, et essentiam, per additionem vnitatis, nam si ternario addatur vnitas fit quaternarius, et ita non se habent eodem, sed dispari modo, multum et paucũ in numeris, magnumque ac paruũ in quantitate coniuncta. Ad 4. resp. prius et posterius sumi posse vel secundum ordinem, vel secundũ causam: si sumamus prius et posterius secundum ordinem, ratio prioris, et posterioris non aufert naturam, et essentiam genericam, nam enunciatio est verum genus ad aientem, et

Ad. ar gumen.

Ad 3.

Ad 4.

negantem, in quibus tamē aiens est prior secūdum ordinem negante: si aūt loquamur de priori et posteriori secūdum causam, aufert quidem illa à qualibet natura communi rationem genericæ naturæ, quemadmodum quia substantia prior est accidente secūdum causam. ens quod est commune vtrique nō est genus. Vnde cum numerus binarius tantū sit prior ternario secundum ordinē, non tamen secūdum causam, proin de numerus quinad illos est communis, obtinebit veram rationem generis. Respon. secundo binarium, ternarium, reliquosque huiusmodi numeros sumi posse vel vt conferuntur inter se, vel vt diuidunt idem genus: primo modo binarius est etiam prior ternario, secundo vero modo non est prior, nam omnes numeri diuidunt ex æquo numerū in communi, qui est genus ad illos.

Ad 5. Ad quintum respon. ad assumptionem binarium sumi posse aut secundum materiam, aut secundum formam, si sumantur secundum formā, illo sublato non aufertur ternarius: si vero sumatur secundum materiam ablato ea, etiam & ternarius aufertur, quia binarius est materia ternarij, hinc tamen non colligitur numerum non esse genus.

QVAESTIO. IIII. AN NVmerus differat reipsa à rebus numeratis.

ET quidem nō distingui à rebus numeratis hæc non leuis ponderis argumenta demonstrare videntur. Primum. Si Deus à tribus hominibus remoueret quantitatem, adhuc illi essent tres: igitur numerus ternarius nequaquam distinguetur reipsa à tribus hominibus Confirmatur cōlequentia, quia illud quod competit rei sublato quocunque extrinseco est idem sibi ipsi: sed sublata quantitate (quæ est extrinseca) adhuc illi homines sunt tres: ergo numerus non distinguetur reipsa ab illis. Deinde. Tot, & quot, sunt differ. numeri, sed in tribus leonibus sublata quantitate qualibet, dicimus esse tot & quot, s. tres, vel quatuor: numerus ergo nō distinguetur à rebus numeratis. Iterum. Effectus formalis non differt reipsa ab ipsa forma vt docent omnes Metaphysici, sed res numeratæ sunt effectus quidam formales numeri, qui est forma rerum quæ numerantur: ergo numerus non distinguetur reipsa à rebus numeratis. Iam. Nulla forma reipsa differens à subiecto, reperitur in pluribus subiectis: sed numerus reperitur in pluribus subiectis: ergo non potest esse forma reipsa distincta à rebus numeratis.

1. Argu. 2. Arg. 3. Arg. 4. Arg.

In hac quæstione est prima opinio Gregorij in 1. dist. 24. q. 2. ar. 2. existimantis numerū esse eandem rē cum rebus numeratis, solaque ratione distingui ab illis, quam sententiā sequuntur Nominales. Secunda opinio est Capre. in 1. dist. 24 q. 1. cōcl. 1. Soncinatis 10. lib. metaphy. q. 11. Iauelli 8. lib. q. 9. Petri Nigri 2. clypei q. 19. & aliorum multorum existimantium numerum reipsa distingui à rebus numeratis. Tertia opinio est multorum recentiorum distinguentium rem numeratam: nam quædam est quæ primo & per se numeratur, alia vero est quæ secundo loco numeratur, sumamus v. g. numerum ternariū trium hominum, tres quantitates illorum sunt illa quæ primo & per se numerātur, substantiæ vero illorum sunt quæ secūdo loco numerantur. Dicunt igitur numerum non distingui reipsa à rebus quæ primo & per se numerantur, distingui tamen reipsa à rebus quæ

1. Opin. 2. Opi. 3. Opi.

quæ se undo loco numerantur. Cæterum cum dictum sit duplicem esse numerum, vnum transcendentē, & alterum categoriæ quātitatis hac prætermissa distinctione, has subiicimus assertiones.

1. Conc. Prima sit. Numerus transcendens non distinguitur reipsa à rebus numeratis. Confir. Quod competit rei sublato quocunq. extrinseco, & nō essentiali, est ipsi vnum & idem: sed sublato à numero ternario (triū hominum, v. g.) quocūque extrinseco, & non essentiali adhuc illi homines sunt tres secundum essentiam, ergo numerus transcendens erit idē cum rebus numeratis. Præterea. Numerus est collectio multarum vnitatum, sed vnitates transcendentes non distinguuntur ab entitate & essentia cuiusque rei, ergo neque numerus conflatus ex huiusmodi vnitatibus, differt reipsa à rebus numeratis.

2. Conc. 1. Arg. Secunda conclusio. Numerus categoriæ quantitatis reipsa differt à rebus numeratis. Confirmatur primo. Vnitas secundum quantitatem differt à substantia: quia est accidēs, & omne accidens reipsa differt à substantia: sed numerus categoriæ quātitatis nihil aliud est quam collectio vnitatum quātitatiuarum: ergo numerus reipsa differt à substantia: at qui substantia est res numerata, ergo numerus reipsa differt à re numerata. Secundum. Si numerus non distingueretur reipsa à re numerata sequeretur numeros æquales, vt duos ternarios esse diuersarum specierū, & numeros inæquales (vt vnū quaternarium, & alterum quinarium) esse eiusdem speciei: atqui hæc omnia sunt absurda, ergo numerus distinguetur reipsa à reb° numeratis. Confirmatur propositio. Imprimis sequeretur numeros pares essediuersarum specierum, sumamus enim duos ternarios vnum hominum, & alterum equorum, tunc ita argumētor. Tres homines, & tres equi specie differunt, ergo si numerus ternarius hominum non differt ab hominibus, & numerus ternarius equorum non differt ab equis, sequeretur duos numeros pares esse diuersarum specierum. Deinde sequeretur duos numeros diuersæ rationis esse eiusdem speciei: nam si sumātur ex vna parte quatuor homines, & ex alia quinque, cum homines sint eiusdem speciei, si numerus quaternarius non differt reipsa à quatuor hominibus, & quinarius à quinque, sequeretur numerum quaternarium, & quinarium esse eiusdem speciei. Quod si quis dicat argumenta hæc confirmare quidem aduersus Gregorium, numerum distingui reipsa à substantia quæ est loco secundo numerabilis, non tamen distingui reipsa ab vnitatibus quantitatiuis quæ primo numerātur, quemadmodum constituunt auctores tertiæ opinionis. Respondemus verum quidem esse hæc argumenta tantum labefactare opinionem Gregorij, aliorum tamen opinionē ita possumus confutare. Numerus quantitatiuus non mensuratur per alium numerum quantitatiuum, sed per alium distinctum numerum, transcendentem nimirum, nam si mensuraretur per numerum quantitatiuum, esset progressus in infinitum: sed numerus secundum quantitatem nihil aliud est quam collectio quantitatiuarum vnitatum, ergo vnitates secundum quantitatem non sunt numeratæ, sed sunt ipse numerus, & ita non recte constituunt illi vnitates quātitatiuas esse illud quod primo numeratur numero quantitatiuo.

2. Arg. 3. Arg.

Ad 1. arg. Argumenta in principio proposita erunt sic dissoluenda. Ad primū respondemus in ea hypothesi, si Deus

Deus amoueret quantitatem ab illis hominibus remanere illos tres, non
Ad 2. secundum quantitatem, sed secundum numerum transcendentem, hunc autem iam docuimus non distingui à rebus numeratis.

Ad secūdum dicimus tot, & quot non tantum esse numeros secundū quantitatem, sed etiam esse numeros transcendētes, & ita sublata quā
Ad 3. titate à leonibus illi essent tot, vel quot, tantum per numerum transcendentem.

Ad tertium negamus assumptionem, quia res numeratæ non sunt effectus numeri, nam effectus illius est rem esse numeratam, qui effectus non differt à numero, quemadmodum res alba non est effectus albedinis, sed rem esse albam, qui non di-
Ad 4. stinguitur ab ipsa albedine. Ad quartum concedimus propositionem de forma simplici, quę non est vna per collectionem, vt est albedo, vel calor, eandem autem negamus de forma coniuncta, quæ est vna per collectionem multorum, & quia numerus non est forma simplex, sed coniuncta, cum sit collectio multarum vnitatum, quamuis reipsa differat à rebus numeratis, poterit esse in pluribus subiectis.

QVAESTIO V. AN VLTIMA VNITAS SIT FORMA NUMERI.

NOmine formæ in hac quæstione intelligimus cum omnibus Philosophis illud quod dat esse rei, constituitque rem sub certa, & determinata specie. Vnde quādo quærimus an vltima vnitas sit forma numeri, quærere instituimus, an vltima vnitas constituat numerum in esse nu-
1. Arg. meri, conferatque illi esse, ac entitatem. Et quidem vltimam vnitatem non esse formam numeri, nec conferre illi entitatem suam, hæc demonstrant argumenta. Primum. Si vltima vnitas esset forma numeri, igitur vel esset forma ea ratione qua est vnitas, vel ea ratione qua est vltima: atqui ex his nihil dici potest igitur vltima vnitas non erit forma numeri Confirmatur assumptio. In primis vltima vnitas ea ratione qua est vnitas, nequit esse numeri forma, aliæ namque priores sunt etiam vnitates quæ tamen non sunt formæ. Neque potest præterea esse forma ipsius, ea ratione qua est vltima, quia vltimum est est relatio quædā ad primum, & relatio nō potest esse forma rei absolutæ, qualis est ipse numerus: ergo vltima vnitas non erit forma numeri. Secundum. Forma debet esse in materia sui totius, 2. Arg.
quemadmodum anima est incorpore, quod est materia hominis: at vltima vnitas (in quaternario v. g.) non est in tribus prioribus vnitatibus quæ sunt materia quaternarij: ergo vltima vnitas non erit numeri forma. Præterea. Illa est forma numeri qua posita ponitur nume. 3. Arg.
& qua amota ipse remouetur: sed in numero quaternario amota prima vnitate amouetur numerus, & constituta prima ponitur, ergo non tantum vltima, verum etiam prima erit forma numeri. Adhæc. Nulla res 4. Arg.
potest esse simul materia, & forma respectu eiusdem: sed vltima vnitas est materia numeri, quemadmodū & aliæ priores vnitates: ergo vltima vnitas non erit forma numeri. Iam. Nulla forma dependet ex libero hominum arbitrio: sed in numeris esse 5. Argu.
primum, & vltimum depent ex libero hominum arbitrio: ergo vltima vnitas non erit forma numeri. Confirmatur assumptio. Sumptis tribus hominibus quorum vltimus sit Antonius, ego possum numerā-

do auspicari ab Antonio, & ita qui antea erat vltimus iam sit primus, & qui erat secūdus fiet vltimus: iā igitur primum & vltimum dependet ex libero hominum arbitrio in
6. Arg. numeris. Vlterius. Si Deus crearet quatuor homines simul, in illis esset numerus quaternarius: atqui nulla ex illis vnitatibus obtineret rationē primæ, vel vltimæ, quia quatuor illi homines simul sunt conditi: ergo
7. Arg. vltima vnitas non erit forma numeri. Tandem. Vna, & eadem forma nequit esse forma diuersarum specierum, vt est apertum: sed vna & eadē vltima vnitas, est vltima diuersorū numerorum qui differunt specie: ergo vltima vnitas non erit forma numeri. Confirmatur assumptio. In quaternario quarta vnitas est vltima vnitas, si vero ab illa auferatur prima vnitas, fit ternarius remanente eadem vltima vnitate in ternario quæ antea erat in quaternario vltima iam ergo eadem vltima vnitas erit vltima diuersorum numerorū.

1. opin. De hac quæstione (quæ non leuiter cōtrouersa est inter Philosophos) est prima opinio D. Tho. 8. lib. metaphy. ca. 3. lectio. 7. Capreoli in 1. dist. 24. q. 1. conclu. 5. Iauelli 8. metaphy. q. 10. Bartholomei Spina defensione 20. in metaphy. & aliorum Thomistarum cōstituentium in quolibet
2. Opin. numero vltimam eius vnitatem esse formam illius, vt in quaternario quartam vnitatem esse formam & in ternario tertiam & sic de aliis. Secunda opinio est aliorum existimantium vnitatem vltimam non esse formam numeri, sed potius eius materiam, quemadmodum neque aliæ vnitates sunt forma, sed materia numeri: numeri vero formā aiunt esse structuram, & compositionem vnitatum. Hanc sententiam tenet Antonius Andræas in commenta. in cap. 3. 8. lib. metaphy. Aureolus apud Capreolum loco citato aliique nonnulli Philosophi. Tertia opinio est Soncinatis 10. lib. metaphy. q. 9. distinguentis numerum in auulsum, & coniunctum, in auulso docet vltimam vnitatem esse eius formam, vt in ternario tertiam vnitatem, & in quaternario quartā, quia in huiusmodi numero vltima vnitas est terminus, & actus aliarum, at vero in numero applicato profitetur contrarium nimirum vltimam vnitatem non esse ipsius formam, vt in numero ternario trium hominum tertius homo non est forma illius numeri, eo quod non habet ordinem aliquē essentialem ratione alicuius prioritatis vel temporis, vel naturæ ad alios duos homines: sed formam esse structuram illam, & compositionem vnitatum. 3. opin.

His opinionibus propositis animaduertendum est duplicem esse formam, totius vnam, alteram partis. Forma partis dicitur illa quæ vna cum materia constituit totum, vt in homine anima est forma partis, quia vna cum corpore constituit hominem: forma vero totius est illa, quæ resultat ex vnione formę cū materia, vt in eodem homine humanitas est forma totius, quia resultat illa vt totum aliquod ex vnione animæ cum corpore. Adnotandum est deinde numerum non esse quamlibet collectionem vnitatum, sed eā quæ est ordinata, vt Arist. apertissime in capite profitetur: in aceruo si quidem lapidum datur collectio vtatum, in qua nullus est numerus. Vnde cum in omni ordine à parte rei sit aliquid prius, & aliquid posterius, in numero etiā erit à parte rei aliqua vnitas prior, & aliqua posterior: quare cū id quod est posterius habeat locum formæ, & actus, vltima vnitas in numero habebit locū formæ, & actus. Præterea sciendum erit

1. Obseruatio.

2. Obserua.

3. Obse.

Universidad de Deusto
Biblioteca

erit vltimam vnitatem posse sumi tribus modis, vel vt res quædã est, vel vt est vltima formaliter, qua ratione denotat habitudinem ad primam vel denique vt est vltima fundamentaliter, nimirum vt est fundamentum illius relationis, quę est ad primam.

1. Conc. Sit iam prima assertio. In numeris forma totius est illud quod resultat ex compositione, & vnitatum structura, vt in ternario ternitas, & in quaternario quaternitas, & sic de aliis. Hanc profitetur Auicenna 3. metaphysi. cap. 5. confirmaturque, quia illa est forma totius, quę ex partium vnitate resultat: at ex vnione plurium vnitatum inter se, resultat hæc compositio, & structura numeri, vt ex vnione ternarij, compositio trium vnitatum, & ex compositione quaternarij, compositio quatuor vnitatũ: ergo hæc erit forma totius. Iam. Forma totius dicitur illa quæ exprimitur nomine abstracto, vt in homine forma totius est humanitas, & in leone, leoneitas: at hæc forma in numero est certa vnitatum eius cõpositio & structura, sicut in quaternario quaternitas, quæ est cõpositio quatuor vnitatum, exprimitur enim illa (vt patet) nomine abstracto: ergo hæc erit forma totius.

2. Con. Secunda conclusio. Vltima vnitas non est forma partis numeri, vt sumitur materialiter et vt res quædã est, neque vt exprimit relationẽ formalem ad primam & ad alias vnitates. Confirmatur primo nõ esse formam vt res quędam est, quia hac ratione est materia numeri, non enim magis componitur numerus tã quam ex materia, ex primis vnitatibus, quam ex postrema. Deinde non esse altero modo formam constat, quia numerus est res absoluta, at vltima vnitas ita sumpta est relatio quædam, & habitudo ad priores vnitates.

Tertia conclusio: Vltima vnitas vt vltima fundamentaliter, est forma numeri, vt in quaternario quarta vnitas, & sic de aliis, confirmatur his argumentis. Primum est. Forma partis vocatur illa quæ constituit vnamquamque rem in sua essentia, & natura: sed quilibet numerus constituitur in suo esse determinato, ac certo per vltimam vnitatem, vt docet Arist. 8. metaphy. cap. 3. dicẽs in numeris addita, vel detracta vnitate, mutari essentiam numeri, vt quaternarius detracta quarta vnitate mutatur quidem internarium, additaque eidem vna alia vnitate etiã mutatur in quinarium: ergo vltima vnitas est forma numeri. Secundum. Illud quo sublato, & etiam secundum essentiam amouetur, & quo constituto constituitur etiam res aliqua in suo esse est proculdubio forma talis rei: sed in quolibet numero amota vltima vnitate amouetur numerus, eademque ê contra constituta constituitur, vt si à quaternario amoueatur quarta vnitas, etiam & ipse amouetur, & cum primum illa constituitur, etiam & ipse remanet constitutus: ergo vltima vnitas erit forma numeri. Tertium. Illud per quod species alicuius generis separantur secundũ essẽtiam inter se, debet merito forma vniuscuiusq. illarum existimari: sed species numeri separantur ab inuicem secundum essentiam per vltimam vnitatem: vt quaternarius v. g. distinguitur à quinario per quartam vnitatẽ: ergo &c. Præterea. Omens per se cõponi debet ex duabus partibus, quarum vna sit actu, & altera potestate secundum Arist. 8. metaphy. cap. vltimo: sed numerus est ens per se: ergo debet cõstare ex duabus partibus, quarum vna sit actu, & altera potestate. Sed priores vnitates

3. Conc.

1. Arg.

2. Arg.

3. Argu.

tates nequeunt habere rationem actus, quia actus habet rationem posterioris: ergo vltima vnitas obtinebit rationem actus: at forma & actus sunt vnum, & idem, ergo vltima vnitas obtinebit rationem formæ, non solum in numero abstracto verum etiam in numero applicato, nã hæc argumenta de vtroque numero probant vltimam vnitatem esse eius formam, & naturam.

Ad 1. argumen. Iam argumenta erunt dissoluenda. Ad primum respon. vltimam vnitatem esse formam, non vt est vnitas, neque vt est vltima formaliter, sed tantum vt est vltima fundamẽtaliter, prout in 3. conclu. diximus, at esse vltimum fundamentaliter aliquid absolutum est, sicut esse simile formaliter quidpiam relatum est, esse tamen simile fundamentaliter est quid absolutum. Ad 2. Ad secundum respon. Capreo. duplicem esse formã intrinsecam, & extrinsecam, præterea intrinsecam aliam esse naturalẽ, & aliam arte cõstitutam. Intrinseca est quæ actuat materiam, & componit totum, vt anima actuat materiã, & componit totum: extrinseca vero dicitur quæ terminat & constituit rem in certa natura, quemadmodũ color est forma extrinseca visus, quia terminat actionem videndi, & confert naturam visui. Propositio ergo vera est de forma intrinseca & naturali, est autẽ falsa de forma extrinseca: at vltima vnitas est forma extrinseca, terminat enim alias vnitates, & constituit rem sub certa specie, & ita nõ erit in tota materia numeri. Ad. 3. Ad tertium dicimus propositioni addendam esse hanc particulã, & est terminus constituitque numerum sub certa specie: ita vt sensus sit illa est forma numeri qua posita ponitur numerus, & qua amota amouetur, estque terminus, ac cõstituit numerum sub certa specie; at priores vnitates quamuis amoueant numerum amotæ, vel constituant constitutæ, non tamen terminãt ipsum & constituunt sub certa natura, & ita nõ erit forma illius. Quemadmodum in homine amoto corde amouetur etiã & ipse homo non tñ est forma illius, quia non constituit hominem sub certa natura, hoc enim præstat anima quæ est forma animalis. Ad quartum dicimus eandem rem eodem modo sumptam non esse formam, & materiam respectu eiusdẽ, alio tamen, & alio modo sumptam, esse materiam, & formam, & ita ipsa vltima vnitas ea quidem ratione qua est vltima fundamentaliter, est eius dem forma. Ad quintum negamus assumptionem, ad confirmationem vero dicimus à parte rei dari in quolibet numero primum, & vltimum, ante operationem intellectus numerantis, quod si intellectus auspicatur numerando ab vltimo, non propterea vltimum à parte rei erit primum, sed semper erit vltimum, quia noster intellectus non habet facultatẽ tribuendi numeris rationem prioris, & posterioris. Ad sextũ dicimus à parte rei in illis hominibus creatis dari primum, & vltimũ, quãuis nos ignoremus quisnam eorum sit primus, & vltimus, nam Deus Opt. max. omnia condidit in numero, põdere, & mensura. Etenim cum numerus sit ens per se, & non sit veluti aceruus aliquis, debet obtinere partes certo ordine inter se constitutas, secundum rationẽ prioris, & posterioris, quemadmodum etiam docet Arist. in hac catego. Ad septimum respon. eandem vnitatem sumptam eadẽ ratione non posse esse vltimam in duobus, diuersa tamen ratione bene posse, & ita quamuis idem idemptice, & secundum

Ad 4.

Ad 5.

Ad 6.

Ad 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum rem(vt illa vnitas quæ erat in quaternario vltima, fiat deinde in ternario vltima)attñ non fit idē vltimū eadē ratione,ita n. eratilla vltima vnitas in quater.vt terminaret tres vnitates priores:ita vero exiſtit in ternario vltima, vt duas ſolum terminet vnitates, terminare autem duas, vel tres vnitates diuerſæ ſunt rationes.

QVAESTIO. VI. IN QVA *proponitur cenſura quarundam dubitationum quæ de numero ſe nobis offerunt explicandæ.*

NE plus iuſto in his quæſtionibus de numero detineamur cogimur nonnullas quæſtiones breuiter explicare propoſitis tantum illarum cenſuris,noſtraque ſubiecta opinione. Prima earum eſt ſit ne qui libet numerus vnus numero, ſecunda fiatne vnus numerus ex alio, tertia in quo ſubiecto ſit numerus, & quarta an numerus quantitatiuus reperiatur in ſubſtantiis ſeparatis.

Nōnul. q. propropo.

In explicationem primæ q.hęc ſit prima concl. Quilibet numerus ſingularis(nam de hoc loquimur vniuerſus namque vel eſt vnus ſpecie, vel vnus genere,non vero numero) eſt vnus numero, vnitate tranſcendenti,vt hic ternarius (v. g. trium hominum)eſt vnus numero vnitate tranſcendenti. Confirmatur quia ens,& vnum,conuertuntur:at quilibet numerus ſingularis eſt ens, igitur & vnus vnitate tranſcendenti.

In expli.1 t. conclu.

2.Conc. Secunda concluſio, Nullus numerus eſt vnus, vnitate quantitatiua. Confirm. Quę ſunt vnum ſecūdum quantitatem ſunt affecta quantitate coniuncta, vt ſupra diximus: ſed nullus numerus eſt affectus quantitate coniuncta,cum ſit quantitas deiuncta, & ex conſequenti nequeat affici quantitate coniūcta:ergo nullus numerus erit vnus vnitate ſecūdum quantitatem. Quod ſi obiicias aduerſus primam aſſertionem. Illud quod eſt vnum eſt indiuiduū: ſed quilibet numerus eſt diuiſus in plures vnitates: ergo nullus numerus eſt vnus vnitate ſecundum numerum. Reſpon. Illud quod eſt vnū ea ratione qua eſt vnum, eſſe indiuiſum,alia tamen ratione poſſe eſſe diuiſum,& ita quod eſt vnum genere eſt multiplex ſpecie, & quod eſt vnum ſpecie eſt multiplex numero. Numerus itaque ea ratione qua eſt vnus,ſiue qua eſt ternarius,non poteſt diuidi in alios ternarios, quam uis diuidatur in tres vnitates.

Obiect.

Solutio

Cenſura ſecundę quę ſtionis.

In expli. 2. 1.Conc. SEcundæ quæſtioni ſatisfacimus duabus ſubiectis aſſertionibus. Prima eſt. Vnus numerus non componit alium ſecundum formam. Cōfirmatur. Vna ſpecies non componit aliam eiuſdem generis,quia ſunt inter ſeſe contrariæ: ſed omnes numeri, vt binarius,ternarius,quaternarius ſunt ſpecies numeri: ergo nō poterit vnus numerus componere alium ſecundum formam.

2.Conc. Secunda aſſertio. Vnus numerus componit alium ſecundum materiam, vt binarius componit ternarium:& quaternarius octonarium, & ſic de aliis. Confirmatur. Vnitates ſunt materia numeri: ſed vnitates vnius numeri poſſunt eſſe vnitates alterius numeri, vt vnitates quaternarij poſſunt eſſe vnitates octonarij:ergo vnus numerus ſecundum materiam poteſt componi ex alio.

Obiect. Quod ſi quis dicat Ariſt. 5. metaphy.ca. 14. docere bis tria non eſſe ſex,ſed ſemel ſex cōponere ſex, vnde videtur fieri conſequens non cōponi numerum vnum ex alio numero.

Solutio. Reſpondemus bis tria ſecundū formam non componere ſenarium, ſed ſolum ſecundum materiam, & hoc modo intelligi (noſtro iudicio) debet Ariſt. nimirum de ternario ſecundum formam, ille enim vt ſic, non conſtituit ſenarium, vt in prima concluſione docebamus.

Cenſura tertiæ quæſtionis.

In expli ca.3. vnica aſſer. QVæſtionem tertiam explicamus tientes numerum obtinere vnitatem numericam à ſubiecto in quo reperitur, nam eſt accidens, & omnia accidentia obtinent vnitatem numericam à ſubiecto in quo ſunt.

Obſer. Verum animaduertendum eſt duplex eſſe ſubiectum numeri vnum adæquatum, vel totale, & alterum partiale, ſeu inadæquatum, ſubiectum numeri adæquatum, ſunt omnes res numeratæ per illum, vt in quaternario hominum ſubiectum adæquatum ſunt quatuor homines ſubiectum autem inadęquatum,eſt vna, vel altera res numerata, vt in eodem quaternario duo homines, vel tres,ſunt ſubiectum inadæquatum, vel partiale numeri.

Obiect. Quod ſi quis dicat nullum accidens numero poteſt eſſe in pluribus ſubiectis: ſed numerus eſt accidens, quod eſt vnum numero, vt docuimus:ergo non poterit eſſe in pluribus ſubiectis, vt quaternarius in quatuor hominibus.

Solutio Reſpond. eſſe duo genera accidentium quædam enim ſunt ſimplicia,vt albedo & nigredo, & alia ſunt compoſita ex pluribus,vt eſt numerus qui conflatur ex pluribus vnitatibus. Propoſitio ergo vera eſt de accidentibus ſimplicibus, quia vna numero albedo tantum eſt in vno ſubiecto numero,eſt autem falſa de accidentibus coniunctis vt eſt numerus,nam cum huius generis accidentia componantur ex multis debent etiam eſſe in multis ſubiectis,tanquam in vno ſubiecto adæquato,& totali.

Cenſura quartæ quæſtionis.

In expli ca. 4.q. AQueſtione quarta demum nos expedientes aſſerimus,numerum categoriæ quantitatis non reperiri in ſubſtātiis ſeparatis, vt in angelis, quod in hunc modum oſtendimus. Numerus huius categorię tantum reperitur in rebus diſcretis affectis quantitate cōiuncta, vt iam ſupra docuimus: ſed ſubſtantiæ ſeparatæ non afficiuntur, quantitate coniuncta, vt corpore,quemadmodum docet Ariſt.8.Phyſic.cap. vlti. ergo numerus huius catego. non reperietur in ſubſtantiis ſeparatis. Neque nos latet Gregorium in 1. diſt. 24. q. 2. ar. 3. exiſtimare in ſubſtantiis ſeparatis reperiri numerum huius categoriæ,cuius ſententia ex ſuperiori argu. à nobis effecto, remanet nifallimur ſatis confutata. Nec argumentum quo ille vtitur iilius eſt momēti,quodhuiuſmodi eſt. Par & impar ſunt proprietates numeri contenti in hac catego. at in angelis datur numerus par, & impar, nam tres angeli ſūt numeri imparis, quatuor vero numeri paris:ergo numerus huius catego. reperietur in angelis. Reſpon. enim negando propoſitionem, non enim par, & impar, ſunt proprietates numeri huius catego, ſed numeri abſolute ſumpti, qui eſt communis ad numerum tranſcendentem,& numerum quātitati-

uum, & ita cum angeli numerentur numero transcendenti, erunt pares, & impares, secundum numerum.

QVAEST. VII. AN ORATIO sit species quantitatis.

PArs negans his argumentis suadetur. Primum est. Arist. 5. meta phy. cap. 13. omisit orationem enumerans species quantitatis, ergo oratio non erit constituenda inter species quantitatis. Secundum Principium cuiuslibet quantitatis vel est punctum, vel vnitas, punctum coniunctæ, vnitas vero deiunctæ: sed principium orationis, neque est punctum, neque vnitas: non punctum, quia oratio non est quantitas coniuncta, neque vnitas, quia non est ipsa numerus, cuius solius est vnitas principiū, ergo oratio nullo modo erit species quantitatis. Tertiū. Quantitas deiuncta est illa cuius partes separantur subiecto: sed partes orationis, quæ sunt syllabæ non separantur subiecto, cum sint in vno & eodem subiecto numero, scilicet in aere emisso ab ore animalis: ergo oratio non erit quantitas deiuncta. Præterea. Quidquid fundatur in quātitate coniuncta obtinet vnitatem quantitatis coniunctæ: sed oratio fundatur in aere qui est quārus quātitate coniuncta, ergo oratio erit quātitas coniuncta.

1. argu.
2. Arg.
3. Arg.
4. Arg.

In hac quæstione Concilium Louanienſe in Commenta. huius catego. constituit orationem non esse speciem quantitatis, sed qualitatis, Aristotelemque docentem hoc loco orationem esse speciem quantitatis loquutum fuisse ex opinione alioru̇m; nam 5 lib. metaphy. vbi disputat de categoriis ex propria opinione, non apposuit inter species quantitatis orationem.

2. Opin.

Secunda opinio est quam indicare videtur Caietanus in his commētariis orationem esse quidem speciē quantitatis, non tamen esse distinctam à tempore discreto: nam præter tempus continuum constituendum est aliud tempus discretum apud D. Th. & Aug. à quo nō distinguitur oratio, vt ostēdemus deinde.

3. Opi.

Tertia opinio est fere omnium recentiorum constituentium orationem esse speciem quantitatis per se omnino distinctam à tempore & ab aliis speciebus illius. Hāc sequutus est D. Th. opus. 48. c. 2. de quanti. Soto, Tole. Venet. Villalp. & multi alij.

1. Obseruat.

Cæterum vt hanc quæstionem explicemus animaduertimus imprimis esse triplicem orationem vnam intra mentem retentam, aliam ore prolatam, & vltimam scriptam. Vnde cum quærimus in hac quæstione, an oratio sit species quantitatis, non agimus de oratione mentis, quemadmodum etiam docet Arist. in hac catego, neque de oratione scripta, cum enim hæc solum significet figuram caracterum, continetur in quarta specie qualitatis. Solum igitur quærimus de oratione quæ ore profertur, an illa sit species quantitatis, necne?

2. Obseruat.

Adnotamus secundo in oratione prolata varia reperiri, imprimis spiritum emissum ex ore animalis: deinde verberationem illius media lingua, & aliis instrumentis naturalibus, ex qua verberatione sequitur multiplex distinctio syllabarum, nā ex qualibet verberatione fit vna syllaba, vt quando ego profero hanc vocem dominus, in prolatione sunt tres verberationes. & ita etiam sunt tres syllabæ: reperitur etiam significatio vocis: & tandem numerus durationum syllabarum, nam quælibet syllaba quando profertur consumit

mit moram, & aliquam durationē, & ita possunt omnes durationes syllabarum sub certo numero comprehendi, scilicet ternario, quaternario seu alio huiusmodi. Ex quibus omnibus tria priora non complent rationem orationis, spiritus namque emissus est materia illius, verberatio vero est actio: significatio aūt est relatio rationis: vnde id quod vltimo loco est à nobis propositum erit quod constituet essentiam orationis. Erit itaque oratio nihil aliud quam numerus durationum syllabarum prolatarum: vt in hac oratione Deus in qua sunt duæ syllabæ breues, numerus binarius duarum durationum illarum syllabarum est oratio. Quia vero tempus discretū iuxta Philosophos nihil aliud est, quam numerus durationum actionum discretarum, vt volitionum, vel intellectionum, propria ratio orationis eadem erit, nec differet vllo modo à tempore discreto, sed idē tempus vt applicatur actionibus discretis quales sunt intellectiones, & volitiones dicetur tempus, & vt applicatur syllabis discretis in spiritu emisso ex ore animalis, dicetur oratio.

1. Conc.

His animaduersis sit prima conclusio. Oratio est quantitas per se, & discreta. Confirmatur esse quantitatem per se, quia habet partem extra partem, vt syllabam extra syllabam, natura autem quantitatis est habere partem extra partem. Esse autem discretam cōfirmamus, quia partes illius non copulantur termino communi, nam syllabæ cuiuslibet dictionis, & orationis, non sunt coniunctæ, sed distinctæ, et ab inuicem separatæ.

2. Conc.

Secunda conclusio. Oratio non distinguitur à tempore discreto, sed est vnum, et idem cum illo. Confirmatur. Tempus discretum est mensura durationis actionum discretarum, vt intellectionum, vel volitionum: sed oratio est mensura durationum syllabarum discretarum, ergo oratio non differt à tempore discreto. Præterea. In rebus successiuis et fluidis longum, et breue sunt proprietates temporis, nam illam vocamus actionem longam, quæ exercetur longo tempore, et illam breuem quæ absoluitur breui tempore: at in oratione quæ est ens successiuum, et fluidum, datur longum et breue, nam quædam syllabæ illius sunt longæ, et aliæ breues, ergo oratio non differet à tempore ipso discreto.

3. Conc.

Tertia conclusio. Oratio componitur ex rebus indiuiduis quemadmodum etiam numerus, nam componitur ex multis durationib' quarum quælibet est vna & indiuisa, quemadmodum numerus componitur ex pluribus vnitatibus, quarū quælibet est indiuisa. Confirmatur in hunc modum. Omnis qnantitas deiuncta componitur ex indiuisibilibus, quia omnis illa resoluitur in indiuisibilia, & vnumquodque ex ijs componitur in quæ resoluitur: sed oratio est quantitas deiuncta, ergo componetur ex reb' indiuiduis. Deinde proprietas quantitatis coniunctæ nequit accommodari quantitati deiunctæ, quia sunt hæ quantitates specie diuersæ: sed posse diuidi in partes diuisibiles, seu in semper diuisibilia est proprietas quantitatis coniunctæ, quemadmodum latissime docet Arist. 6. physico. ergo non poterit vllo modo conuenire orationi (cum sit quantitas deiuncta) posse diuidi in semper diuisibilia, & ita componetur oratio ex indiuisibilibus.

Supersunt denique argumenta diluenda. Ad primū iam satisfecimus supra sectio. 1. in hoc c. q. 2. Ad secundum respon. principium oratio

Ad 1. argumen. Ad 2.

nis esse vnitatem, non quamlibet, sed illa quæ est applicata durationi syllabarū, nā in hac oratione Deus, duratio prima, primæ syllabæ est vna, & illā bis repetita constituit orationem, vt Deus, sunt enim in illa duæ vnitates durationis orationis. Ad tertium dico aerem emissū ab ore animalis posse sumi duobus modis, primo vt est vnus, & continuus, & hac ratione non est subiectum orationis: secundo vero modo ea ratione qua habet partes discretas, scilicet diuersas verberationes, & percussiones quæ non sunt continuæ, sed deiunctæ, nam quando ego in spiritu produco hanc vocem Roma & pfero duas verberationes, & duas syllabas, fundo rationem orationis in illis. Vnde negandum erit partes orationis esse in voce emissa prout est vnum subiectū, sed esse in illa ea ratione qua potest illa diuidi in diuersa subiecta, & distinctas verberationes.

Ad 3.

Vd 4. Ad quartum respon. negādo propositionem, numerus namque quātitatiuus fundatur in rebus affectis quantitate coniuncta, qui tamen nō est quantitas coniuncta, sed deiuncta. Illud itaque quod fundatur in quantitate coniūcta ea ratione qua est coniuncta est vnum vnitate quātatis coniunctæ. At illud quod innititur quantitati coniunctæ, ea ratione qua induit quantitatem deiunctam potest esse quātitas disiuncta, vt docuimus de numero, & ita cum oratio fundetur in spiritu emisso ea ratione qua induit naturā quantitatis deiunctæ, erit oratio quātitas deiuncta. Non est tñ prætermittendū sub oratione contineri omnia genera carminum, pedum, & concentuū musicorum, nam in omnibus illis continetur discretio harum mutarum & durationum. Consulite de hac quæstione Petrum Nigrum in 2 par. clypei qu. 26. & 27. qui etiam nostram sententiam tuetur, orationem scilicet non distingui à tempore discreta.

Sect. III. De Quantitate in qua de speciebus quantitatis coniunctæ disputatur.

(✠)

ARGVMENTVM.

VLtimo sequitur, vt de speciebus quantitatis coniunctæ nimirum linea, superficie, corpore, loco, & tempore disputemus, quod vt recte præstare possimus, erit illa quæstio prius explicanda, qua ratione terminus communis in hac quantitate contineatur, num actu, vel sola potestate. Quærimus ergo.

Sect.

Sectio. III. in capit. 2. Categor. Aristot. de Quantitate.

Quæst. I. An terminus communis sit actu in magnitudine.

DIsputaturi de speciebus quantitatis coniunctæ (quam diximus esse, cuius partes copulātur termino aliquo communi) æquum erit vt antequam de singulis illius formis disputemus, vt de termino communi nonnulla prius proponamus. Quærimus igitur, an terminus communis sit actu in quantitate coniuncta, necne? Est enim cōmunis opinio Dialecticorum constituentium terminum communem non esse actu, sed potestate in magnitudine. Sunt tamen quidam posteriores Philosophi qui arbitrantur terminum communem esse actu in magnitudine & non sola potestate.

Obseru. Cæterum vt nostram sententiā exponamus animaduertendum est terminum communem posse sumi duob⁹ modis, primo ea ratione qua est terminus communis, & secundo ea ratione qua est ens, potest enim hæc distinctio variis rebus accommodari, vt partibus alicuius totius quæ sumi possūt, vel in ratione partis, vel in ratione entis.

1. Concluſio. Sit iam prima concluſio. Terminus communis ea ratione, qua est terminus, est actu in magnitudine. Intelligimus autem per terminum ea ratione qua est terminus, rem indiuiduam ea ratione qua est principium vnius partis, & finis alterius, connectentem vtramque partem inter sese. Vnde terminum communē ea ratione qua est terminus, esse actu in magnitudine nihil aliud erit, quam in magnitudine dari actu rē aliquam indiuiduam, quæ sit principium vnius partis, & finis alterius & connectat ambas partes inter se. Confirmatur his argumentis. Primum est. Terminus communis est principium vnius, & finis alterius: sed in magnitudine ante diuisionē datur aliquid indiuiduum quod sit principium vnius, & finis alterius, nam facta diuisione, apertum est in qualibet parte magnitudinis diuisa non esse aliquod principium vnius, & finis alterius, ergo in magnitudine datur actu terminus communis. 1. Arg.

Secundum. Instans est terminus cō munis temporis connectens partem futuram cum præterita: sed instans est actu in tempore, imo de tempore secundum Aristo. nihil aliud habemus quam instās, ergo terminus actu erit in magnitudine. 2. Arg.

Tertium. Partes magnitudinis sunt actu inter se connexæ, & copulatæ: ergo debēt habere actu terminum copulantem & connectentem, & ita terminus cō munis actu erit in magnitudine. 3. Arg.

Secunda concluſio. Terminus cō munis ea ratione qua est terminus, non est actu ens, sed potestate. Confirmatur. Idem iudicium proferendum est de termino cōmuni, quod profertur de partibus magnitudinis, quarum dicitur esse terminus: sed partes magnitudinis vt sunt in magnitudine non sunt entia actu, sed potestate, nam iudicio Philosophorū in continuo, partes non sunt entia actu, sed potestate, sunt siquidem in illo indiuisæ, retinentq. totius continui vnitatem, sed fiūt entia actu, quando diuidūtur ab illo, ergo terminus communis non erit actu ens, sed potestate. Secundum. 2. Conclusio. 1. Arg. 2. Arg.

si terminus cõmunis actu esset ens in magnitudine, cum dentur in eadem infiniti termini communes (dãtur enim in magnitudine infinitæ partes copulatæ) darentur actu infinita entia: atqui repugnat omnibus Philosophis constituẽtibus non dari infinitum in actu: ergo terminus communis non erit ens actu, sed potestate. Dicimus autem esse potestate ens, quia si fiat diuisio magnitudinis, vt lineæ v. g. in qualibet parte est actu punctum quod sola potestate erat in linea ante diuisionem.

Obiect. Quod si quis dicat. Omnis terminus est ens: sed terminus communis est actu terminus: ergo terminus communis erit actu ens Respon. terminum communem in ratione termini esse actu terminum, in ratione tamen entis esse ens potestate: quemad. etiã partes continui in rõe partis sunt actu partes, in rõe tamen entis sunt potestate entia, quę fiunt actu entia per diuisionem continui.

Solutio Argumenta vero quibus auctores citati confirmant suas opiniones sunt à nobis proposita in confirmationibus conclusionum, nam cum nos mediam opinionem sequamur vtriusque opinionis argumenta de sumpsimus ad illam duabus subiectis assertionibus explicatam confirmandam.

QVAESTIO II. ANLINEA, extremitas, corpus, & locus sint species quantitatis necne?

NOnnulla se offerunt argumenta tam aduersus numerũ, & distinctionem ab inuicem harum specierũ quam etiam aduersus diffinitionem

1. Argu. nonnullarum earum. Primum est. Vna species non fit ex alia, sed extremitas fit ex lineis, & corpus ex extremitatibus: ergo linea, extremitas & corpus non erunt species diuersæ.

2. Arg. Secundum. Linea à parte rei habet latitudinem, nam quælibet linea depicta est lata: ergo non recte dictum est lineam esse longitudinem sine latitudine. Tertium. Linea curua, &

3. Arg. inflexa differũt diffinitionibus, nã recta diffinitur cuius partes exequo iacent inter duo puncta: curua vero cuius partes non ex æquo iacent inter duo puncta: sed quæ differunt diffinitionibus differunt specie, ergo linea curua, & recta specie differunt. Præterea Linea recta & curua

4. Arg. prædicantur de multis numero differentibus, de hac scilicet, vel de linea illa recta, & curua, ergo erunt species lineæ. Vltimo. Nulla res

5. Arg. potest esse in diuersis categoriis secundum essentiam: sed corpus continetur in catego. substantiæ, ergo non erit species categoriæ quantitatis.

Quidquid autem sit de his argumentis, nos propositam quæstionẽ his assertionibus constitutis explicamus. Prima est. Linea est species in-

1. Cons. fima quantitatis, quæ ita est species vt nullo modo possit esse genus. Confirmatur. Si linea esset species interiecta & genus, maxime ad lineam rectam, & curuam, sed linea recta, & curua non differunt specie, ergo linea non erit genus. Confirmatur assumptio. Rectum, & curuum sunt quædam qualitates contentæ sub figura: sed quæ differunt qualitatibus nõ differũt specie, ergo linea recta, & curua non differunt specie.

Secunda conclu. Extremitas est

2. Con. verum genus ad extremitatem extrinsecam, & intrinsecam, nam intrinseca constituit secundam speciẽ quãtitatis nimirum superficiem, extrinseca vero alteram speciem quæ est locus. Hanc conclusionem vt cõfirmemus adnotandum est extremi

obser. tatem in communi denotare solam lõgitudem, & latitudinem, hæc autem est distributa deinde in longitudinem et latitudinẽ intrinsecã quæ constituit secundam speciẽ, atq. in longitud. et latitud. extrinsecam per quam constituitur altera species locus nempe. Vnde extremitas in communi dicetur secundum essentiam de extremitate, & de loco quæ duo

Argum. differunt specie. Quo constituto ita argumentor. Illud quod prędicatur de multis specie differentibus est genus: sed extremitas prædicatur in quid de extremitate intrinseca, & de extrem. extrinf. (loco s. et superfic.) quæ differunt specie: ergo extremitas erit genus, & species subalterna quãtitatis. Vnde colligimus locum, & superficiem quæ est secunda species quantitatis esse diuersas species extremitatis in communi tum primo quia habent diuersam rationẽ habendi partem extra partem, quia superficies habet partem extra partem ad intra, & in eodem toto: locus vero habet partem extra partem ad extra scilicet respectu corporis contenti in ipso: tum 2. quia locus est mensura extrinseca corporis locati, extremitas vero est mensura intrinseca. Verum de hac conclusio infra quæst. 4. huius sectionis iterum erit habenda oratio.

3. Cons. Tertia conclusio. Corpus est vera, & legitima species quãtitatis. Cæterum vt hanc conclusionem intelligamus obseruandum est duplex esse corpus vnum quod significat trinam dimensionem, scilicet longitudinem, latitudinem, & profunditatem, & alterum quod significat substantiam subiectam huic trinæ dimensioni. Corpus igitur quod est species huius categoriæ est trina dimensio, nam illud quod significat substantiam subiectam huic trinæ dimensioni, non continetur in hac

catego. sed in catego. substantiæ. Cõfirmatur autem corpus esse legitimã speciem quantitatis ex eo, quia habet partem extra partem, & potest diuidi in tres dimensiones quę duo soli quantitati possunt conuenire: in his enim illius naturam esse constitutam iam supra Sectio. 1. quæs. 3. docuimus.

Ad. argumen. Iam ad argumenta quæ in initio proposuimus Ad primam concedimus propositionem de speciebus secundum formam: negamus autem eandem de speciebus secundum materiam, & ita extremitas fit ex lineis & corpus ex extremitatibus secundum materiam, hinc tamen non fit omnes has tres species quantitatis esse vnam, & eandem. Ad secundũ Ad 2. dicimus duplicem esse lineam vnã mathematicam, & alteram naturalem. Mathematica est sola longitudo sine latitudine, qua ratione consideratur à Mathematico: naturalis vero est linea subiecta qualitatibus sensilibus, vt albedini, vel nigredini. Hæc igitur à parte rei vnita est quidem cum latitudine, sed non in de fit latitudinem esse de illius essentia, quamuis enim homo sit à parte rei vnitus cum albedine, non ex eo fit cõsequens albedinem esse de essẽtia illius. Ad tertium concedimus Ad 3. assumptionẽ si intelligatur de diffinitionibus essentialibus: quod si nõ de essentialibus sed de aliis diffinitionibus illa intelligatur eãdem negamus: hæ autem diffinitiones lineę rectæ, & curuę non sunt essentiales, sed accidẽtariæ, traditæ per propriotatem, quare nec differenter inter se Ad 4. specie. Ad quartum negamus consequentiam quia non prædicatur in quid sed accidentario: quemadmodum quamuis homo albus prædicetur de hoc vel illo homine albo, nõ tamen est species quia non effertur in quid sed accidentario. Ad quintũ Ad 5.

respon. corpus quod est species catego. substantiæ esse aliud à corpore, quod est species in catego. quantitatis: illud enim significat substantiã subiectam trinæ dimensioni: hoc vero significat ipsam trinam dimensionem. Legendus est Flandrensis 5. metaphy. q. 14. art. 8.

QVAESTIO III. AN LINEA, EXTREMITAS, & CORPUS SINT ENTIA POSITIVA & REIPSA DISTINCTA.

HAs esse species quantitatis constat ex superiori q. superest inuestigandum sintne inter se reipsa distinctæ, & entia positiua, & nũ in magnitudine actu reperiantur necne? Et certe punctum, atq. hæc tria esse entia priuatiua, inter se minime reipsa distincta, hæc argumenta confirmant. Primũ. Aristo. in libello de animalium motu docet indiuidua, vt sunt Poli mundi, non esse substãtias à parte rei, ergo cum punctum sit quidpiam indiuiduum, non erit à parte rei, sed tantum habebit esse per intellectum, eritq. ens rationis. 2. argu. Secundum. Diffinitio puncti traditur per priuationem, diffinitur enim indiuiduum habens situm in continuo, indiuiduũ autẽ est priuatio diuidui, at nulla priuatio est ens rei, ergo punctum non erit ens rei. 3. Argu. Tertium. Omne accidens reipsa distinctum ab altero vẽdicat sibi subiectum aliquod adæquatum: sed pũctum nullum subiectum adæquatũ sibi vendicat, ergo non erit accidẽs distinctum ab ipsa linea. Confirmatur assumptio. Si punctum vendicaret sibi certum aliquod subiectum adæquatum vel esset substantia, vel linea: at non potest esse substantia, neque linea, quia vtrumque horum est diuisibile, punctum vero est indiuisibile, ergo punctum non differet reipsa à linea. Præterea. Linea, & extremitas, sunt etiam termini, & principia magnitudinum: sed linea, & extremitas vendicãt sibi certum, et adęquatum subiectum, ergo quãuis punctum sit terminus et principium vendicabit sibi certum, et adę quatum subiectum. Adhæc. Nullũ ens absolutum, distinctũ reipsa ab altero potest acquiri per diuisionẽ, et amitti per vnionem, quæ sũt quidam motus ad locum: sed punctum, linea, et extremitas oriuntur per diuisionem, et pereunt per vnionem, vt si aquam existẽtem in aliquo vase diuidamus in duas portiones, in qualibet illarũ est de nouo orta extremitas, quod si vniantur iterum illæ aquæ portiones, pereunt extremitates antea ortæ, ergo punctum, linea, et extremitas non distinguentur reipsa. Iam. Omne ens absolutum reipsa distinctum ab altero potest esse sine illo per potentiam diuinam, sed linea non potest esse sine punctis, neq. extremitas sine linea, neque corpus sine extremitate, ergo hæc non distinguentur reipsa.

4. Arg.

5. Arg.

6. Arg.

De hac quæstione est prima opinio Ocham in sua Dialectica cap. de quantitate, et in tractatu de Sacramento Eucharistiæ cap. 1. et 2. Grego. in 2. dist. 2. q. 2. arti. 1. et aliorum Nominalium constituentium punctum, lineam, et extremitatem, qua termini sunt, vel principia magnitudinum, non esse entia positiua, sed priuatiua, punctumque à linea, et lineam ab extremitate, atque extremitatem denique à corpore minime distingui, atque differre, sed vnã potius ac eandem rem esse hæc omnia. Cui opinioni adhæsit Benedictus Pererius in sua Philosophia libr. 10. c. 6.

1. Opin.

Secunda opinio est grauissimorum Philosophorum constituentium

2. opin.

tium contrariã opinionem, scilicet, punctum, lineam, et extremitatem esse entia positiua, & reipsa ab inuicẽ distincta, in qua extitere Capreolus 2. lib. senten. dist. 2. q. 1. Sonci. 5. metaph. q. 20. Petrus Niger 2 par. clypei q. etiã 20. M. Sotus in hac catego. q. 2. Mathias Aquar. 3. metaph. q. 7. Burlęus 1. lib. physi. cap. 2. innumerique alij Philosophi.

Verum vt et nos hanc q. explicemus, animaduertimus primum, pũctum esse rem omnino indiuisam, lineam esse rem indiuisam secundum latitudinem, et diuisam penes longitudinem: extremitatem esse rem indiuisam iuxta profunditatem esseq: diuisam quoad longitudinem, et latitudinem. Obseruamus deinde in linea dari duo genera punctorum, nam quædam sunt claudentia lineã vel (vt dicunt) extrinseca, omnis nãque linea iacet inter duo puncta, et alia esse connectentia partes lineę inter se, quæ vocantur puncta intrinseca, nam in continuo debent esse omnes illius partes copulatę aliquo termino communi qui sit intra partes illius: eodemq. modo in extremitate sunt duæ lineæ quædam claudentes extremitatẽ, et aliæ connectentes partes illius: pariq. demũ ratione, in corpore sunt duo genera extremitatum quædam quibus illud clauditur, et aliæ quibus illius partes ad inuicem coniunguntur.

1. Obserua.

2. obseruatio.

Sit iam (his animaduersis) 1 conclu. Si loquamur de punctis claudẽtibus, et de lineis, et extremitatibus eiusdem generis, punctum, linea, et extremitas sunt actu in magnitudine. Confir. Omnis magnitudo est actu finita: at oẽ quod est actu finitũ debet habere terminos actu finitos: ergo cum termini finiti sint vel pũctum, vel extremitas, vel linea, erũt illa tria actu in magni. Est quidem certa hæc conclu. de his trib⁹ modo exposito sumptis, esset nihilomin⁹ controuersa de puncto, linea, et extre. prout connectũt partes magni. ad inuicem, num oĩa illa sub hac ratione sint in magnitudine, actu, vel potestate quod idem nonnulli discutiunt sub hoc titulo, an terminus cõis sit actu, l. potestate in ea re cuius est termin. in quo sensu iam remanet illa q. 1. huius sect. luculenter satis explicata.

1. Con.

Secunda conclusio. Punctum, linea, & extremitas sunt entia positiua, & non priuatiua. Confirmatur imprimis, quia priuatio sumpta formaliter est ens rationis, habens tantum esse per intellectum: at punctũ, linea, & extremitas, sunt à parte rei, præter omnem actionẽ intellectus. Præterea nulla quantitas coniũcta est priuatiua, imo neque illud etiã quod habet situm in continuo: sed linea tum etiam extremitas, & sunt quantitates coniunctę, punctum autem habet situm in magnitudine, quæ est quantitas coniuncta, ex Aristo. lib. 5. Metaphy. cap 6. ergo hæc erunt entia positiua Animaduertendum est tamen non dici ab Aristo, punctum habere situm in cõtinuo, eo quod vel habeat partẽ extra partem in eodem toto, vel in eodem loco, sed ex eo, quia vel claudit lineã, vel connectit partes illius, & omne quod claudit, vel connectit aliquã magnitudinem, necesse est, vt habeat situm, & positionem in ea.

2. Con.

Obser.

Tertia conclusio. Punctum reipsa differt à linea, & linea ab extremitate, & extremitas à corpore. Confirmatur imprimis conclusio ista de puncto. Omne indiuiduum reipsa differt ab omni diuiduo, alioquin enim sequeretur indiuiduũ, & diuiduum esse idem: at pũctum est indiuiduum, linea vero est diuidua secundum longitudinem, ergo punctum reipsa differet à linea. Confir-

3. Con.

matur præterea extremitatem reipsa distingui à corpore, & lineam ab
2.Argu. extremitate duplici alio medio. Primum est. Illa differunt reipsa, quorum vnum includit aliquam entitatem, vel rationem quam alterum non includit: at extremitas includit aliquam entitatem & rationem, quã non includit linea, & corpus, aliquã quam non includit extremitas, ergo linea ab extremitate, & extremitas à corpore reipsa distinguentur. Confirmatur assumptio. Extremitas includit latitudinem, quam non includit linea, vt admonuimus, corpus etiam ambit sub se profunditatem, quam non includit extremitas at latitudo, & profunditas sunt quędam entitates & rationes, ergo aliquam rationem includit extremitas quam non includit linea, & aliquã
3. Arg. corpus, quam non includit extremitas. Secundum. Terminus alicuius magnitudinis reipsa differt ab illa, alioquin enim sequeretur idem terminare seipsum, quod fieri nulla ratione potest: sed linea est terminus extremitatis, & extremitas corporis, ergo hæc tria inter se reipsa distinguentur. Cæterum animaduertendum est argumenta hæc non solum concludere de iis quatenus concludunt magnitudinem, verum etiam quatenus connectunt illius partes, si eorum vis ac robur paulo attẽtius inspiciatur.

Ad 1. ar gumen. Occurrendum est iam argumentis propositis. Ad primum respond. Aristo tantum docuisse indiuidua non esse substantias, non autem non esse entia à parte rei, vnde quãuis punctum non sit substantia erit
Ad 1. ens à parte rei. Ad secundum dicimus dari quædã entia positiua quæ per negationem aliorum diffiniuntur, sicut Deus Opt. Max. & materia prima: vnde quamuis punctum definiatur per priuationem & negationem erit nihilominus ens rei, & positiuum. Ad tertium respon. propo- Ad 3.
sitionem esse veram de accidente integro, & completo, quod neque est principium, neque terminus alicuius, cuiusmodi est albedo, vel nigredo: at vero punctum non est accidẽs integrum, sed principium, & terminus lineæ, & ita non vendicabit sibi certum aliquod subiectum adæquatum, sed erit in eodem subiecto in quo est linea. Ad quartum dici- Ad 4.
mus diuersam esse rationem de puncto, & de linea, quia punctum ita est principium, & terminus quantitatis vt nullo modo possit esse quãtitas: at linea, & extremitas, quantumuis sint principia, & termini magnitudinum, sunt tamen in se veræ quantitates, & ita poterunt vendicare sibi certum aliquod, & adæquatũ subiectum, non autem itaerit de puncto. Ad quintum negamus propositionem in continuis, eo quod in il- Ad 5.
lis ex propria ratione oriuntur per diuisionem nouæ extremitates, & per vnionem corrumpuntur, & quia extremitas, linea, & punctum sunt termini quantitatis coniunctæ, aut quantitas coniuncta ob hanc causam variata quantitate (quemadmodum reuera fit in diuisione, & vnione) debent variari, & oriri diuersi termini. Ad sextum negamus etiã pro- Ad 6.
positionem, nam materia, & forma sunt entia absoluta, ac reipsa inter se diuersa, atque distincta, cum tamen materia prima etiam per diuinam potentiam absque forma nullo modo esse possit, propter necessariam connectionẽ quæ inter ipsam, & formam intercedit. Eodemq. prorsus modo, quamuis punctum, linea, & extremitas reipsa differant, ob necessariam nihilominus ipsorum inter se habitudinem & connectionẽ, neque extremitas poterit absque linea esse, neq. linea punctis carere.

QVAE

QVAESTIO IIII. AN LOcus sit vera species quantitatis coniunctæ.

NONE est leuis disceptatio inter Philosophos de loco tempore, & motu sitne species quantitatis coniunctæ necne? ac proinde erunt tres quæstiones de hac re à nobis explicãdæ, vna de loco alia de tempore, & tertia de motu. Et certe locum nõ esse speciem quantitatis his argumẽ
1. argu. tis fieri poterit manifestum. Primũ. Quia Arist. 5. lib. metaph. cap. 14. de speciebus quantitatis differens non meminit huius speciei, sed omnino locum inter species quantitatis recẽ sere prętermisit. Secundum. Si locus
2. Arg. esset quantitas, ergo cum á quantitate res formaliter sint quantæ, à loco etiam essent res formaliter quantæ: at hoc est falsum, quia locus non efficit, sed supponit rem formaliter quantam, tantumque efficit illam formaliter locatam: non igitur erit
3. Argu. quantitas. Tertium. Si locus esset species quantitatis, esset hauddubie vna species, & cum iuxta Arist. sit superficies, esset vna superficies secundum speciem: hoc autem falsum est, nam datur locus aliquis (non tãtum vnus secundum speciem, verũ etiam & secundum numerum) qui non est vna superficies, vt constat de loco nauis, quæ partim est in aere, & partim in aqua, ergo non erit locus species quantitatis.

4. Arg. Præterea. Motus, & terminus motus in eadem categoria cõtinentur, ergo in ea catego. continebitur locus, qui est terminus motus ad locum in qua ipse motus continetur: sed motus ad locum non continetur in catego quantitatis, sed in
5. Argu. catego. Vbi, ergo neque locus continebitur in catego. Vbi, Iam. Immobilitas non est de ratione alicuius quantitatis: sed illa est de ratione loci, vt docet Arist. 4. physico. cap. 4. ergo locus non erit species quantitatis.

Hæc certe argumenta adeo firma visa fuerunt quibusdam Philoso- 1. opin.
phis, vt asseruerint locum non esse enumerandũ inter species quantitatis, sed reiiciendum esse ab hac catego. & collocandum in catego. in qua motus ad locum comprehenditur, in categoria nimirum Vbi. Hanc opinionem amplectitur Scotus q. 21. & 22. Prædicam. Antonius Andręas eius discipulus 5. metaphy. q. 10. in solutio. 5. argu. Burlęus in commen. huius cap. & Louanien. Fonseca 5. metaphy. cap. 13. q. 7. sect. 2. & multi alij ex recentioribus qui horum 2. Opin.
vestigia imitantur. At contra sentiunt veteres omnes Philosophi cũ Arist. profitentes locum esse veram, & legitimã speciem quantitatis. Ita Porphy Simpli. Ammo. Dexip. in cõmenta. huius loci D. Tho. 5. lib. metaphy. cap. 13. & in opuscu. de natura loci, B. Albert. Mag. tracta. 3. catego. c. 10. Flandrensis 5. lib, metap. q. 14. ar. 9. M. Sotus, Toletus, Villalpan. Veracruce & alij quos ne citando molestiam pariam prætermitto.

Hanc igitur sententiam vt explicemus prætermissis his quæ de loco 4. lib. physico. ab Arist. tradita fuerunt & quæ in hoc loco commode explicari nequeunt in explicationẽ
1. Conc. sit prima concl. Locus est vera & legitima species quantitatis. Confir-
1. Arg. matur primo auctorita. Arist. in hac catego. vbi locum inter alias species quantitatis recenset. Secundo. Cui
2. Arg. conueniunt proprietates alicuius subiecti, debet quoque & illius natura conuenire: sed proprietates quantitatis conueniunt loco, vt esse mensuram, esse æquale, & inæquale, nã locus metitur rem locatam, & si fuerit communis, est inæqualis, si vero pro-

Proprius est æqualis ergo & essentia quantitatis etiam eidem adaptabitur. Præterea. Locus est extremitas, 3. Argu. ita enim ab Arist. diffinitur 4. physico.cap.4. extremitas intima corporis ambientis: sed iudicio eiusdem Arist. extremitas est vera, & legitima species quantitatis: ergo & locus erit species illius. Iam. Esse mensurã substantiæ soli quantitati, aut principio illius, nimirum vnitati conuenit, vt profitetur Arist.10.metaphy. 4 argu. cap.2. sed locus est vera & legitima mẽsura substantiæ, nam omne quod ambit mensura est eius quod ambitur, locus autem ambit locatum: erit igitur ille vera & legitima quãtitas.

2.Conc. Secunda conclusio. Locus est species quantitatis coniunctæ. Hanc profitetur Arist. in cap. & confirmatur quia locus est extremitas, at extremitas quantitas est cõiuncta. Tũ etiam quia partes illius connectuntur termino communi, nam vel est corpus, aut spatium quoddam natũ recipere in se corpora locata vt volebant veteres & Galenus, Philoponus, Vallesius, & alij recentiores, vt 4.physico.cap.4. explicabimus: vel est extremitas intima corporis ambientis, vt placuit Aris. & Peripateticis. Si fuerit corpus, partes eius topulabuntur extremitate, quemadmodum Arist. in cap. profitetur, inquiens, locum habere eundem terminum communem quem habet corpus: si vero fuerit extremitas partes eius connectentur linea, quemadmodum & extremitates aliæ linea connectuntur erit igitur locus quantitas coniuncta.

3.Conc. Tertia conclusio. Locus apud dialecticum est species distincta à superficie. Dixi quidem apud dialecticum ipsum, quia apud Metaphysicum non sunt species diuersę, cum habeant eãdem rationem diuisionis secundum longitudinem, & latitudinem. Sciendum tamen est, obseru. extremitatem in communi tantum denotare longitudinem, & latitudinem, quæ duobus modis diuidi potest in intrinsecam, & extrinsecam. Intrinseca est quæ inhæret subiecto lato, & lõgo: extrinseca vero est quę non inhæret subiecto lato, & longo, sed alteri ab eo diuerso. Cum itaq. sint duæ species extremitatis, secunda species quantitatis coniunctæ, quæ est extremitas, intelligenda est de extremitate intrinseca, altera vero quæ est locus de extrinseca. Con firmatur iam. Esse mensuram intrinsecam, & extrinsecam, specie differunt, in ratione mensuræ: sed locus est mensura extrinseca, superficies vero intrinseca, ergo locus, & superficies, in ratione mensuræ specie proculdubio different. Assumptio perspicua est, confirmatur propositio. Quantitas coniuncta, & deiuncta, specie differunt: sed ex eo aliqua spectant ad quantitatem coniunctam, & deiunctam, quia spectãt ad mensuram extrinsecam, & intrinsecam, vt numerus binarius applicatus panno, qui est mensura illius intrinseca, vel per inhærentiam, est quantitas coniuncta (vt secti.2. agẽtes de numero sæpe docuimus) numerus vero abstractus qui est mensura extrinseca, est quantitas deiuncta: ergo mensura extrinseca, & extrinseca constituent species alicuius generis differentes. Confir. conclu.

Sed contra hanc conclusionem quidam ita argumentantur. Primo si ratio mensuræ sufficiens esset ad distinguendas species quantitatis, fieret vt omne illud quod est mensura esset inter species quantitatis recensendũ: atqui hoc falsum est, quia vnitas habet primo rationem mensuræ, quę tamen non est quantitas Secũdo quia extrinsecum, & intrinsecum non efficiunt species diuersas, Argumenta quorundam. 1. argu. 2. argu.

sas, sunt enim quædam accidentia communia: ergo mensura extrinseca, & intrinseca non distinguentur specie: neque igitur locus, & superficies in ratione mensuræ specie differ 3. argu. rent. Præterea. Si superficies intrinseca, & extrinseca (nimirum locus, & extremitas) in ratione mensuræ constituerẽt diuersas species fieret etiã esse duas species temporis constituẽdas in ratione mensuræ, scilicet extrinsecum, & extrinsecum, nam tempus est mensura intrinseca motus primi cœli, extrinseca vero omniũ aliorum motuum: at Arist. nihil tale vnquam docuit constituere nempe tempus duas species in ratione mensuræ: neque igitur superficies in ratione mensuræ constituet duas species vnam quæ est mensura intrinseca, & aliam quę sit mensura extrinseca.

Soluit. His tamen obiectionibus ita satisfacimus. Ad primam respon. cum 1. Arg. Flandrensi vbi supra duplicem esse mensuram vnam per adæquationẽ, vt vlna ligni, est mensura vlnæ panni, nam sunt duæ vlnæ pares, & æquales inter se: & alteram per multiplicationẽ, quæ scilicet sæpius multiplicata, & repetita, rem aliquam metitur, qua secunda ratione vnitas dicitur mensura substantiæ, quia sæpius repetita, quota illa sit nobis manifestat. Itaque esse mensuram primo modo per adæquationem cõuenit quantitati, per multiplicationem vero nequaquam, ac proinde quamuis vnitas sit mensura nõ propterea erit species aliqua quantitatis. Ad 2. Ad secundam respon. extrinsecũ & intrinsecum absolute non mutare rei naturam, at in ratione mensuræ mutare quidem illam: etenim (vt diximus) numerus applicatus panno est mensura illius intrinseca, numerus vero auulsus est mensura eiusdem extrinseca, cum tamẽ hi numeri specie differant, nam numerus applicatus est quantitas coniuncta, auulsus vero deiuncta. vt iam in superioribus admonuimus. Ad tertiã Ad 3. respon. imprimis libenter admittentes esse etiam duplex tempus in ratione mensuræ constituendum, vnum intrinsecum & alterum extrinsecum, intrinsecum quod metiatur motum primi cœli, & extrinsecum quod metiatur alios motus. Quod si Arist. in hac catego. non constituit hoc duplex tempus, ex eo est, quia in his catego. Dialecticis communi quadam, & populari ratione de generibus rerum disputauit nonnulla prætermittens quę in catego. locum habent, nam in catego. substantiæ prætermisit diuisionem illam substantiæ in materiam, formam, & totum compositum sæpius à se in Metaphy. repetitam. Quare quãuis omiserit hanc diuisionem temporis in extrinsecum, & intrinsecum in ratione mensuræ nõ erit proinde hæc diuisio reiicienda. Ex qua solutione colligimus tempus non esse speciem infimam, sed subalternam, diuiditur enim (in ratione mensuræ) in duas species, scilicet in intrinsecum, & extrinsecum. Præterea quod asserimus de tempore, asserendum etiã erit de linea extrinseca, & intrinseca, nimirum in ratione mensurę specie distingui, esseque duas lineas cõstituendas, ac lineam in communi esse speciem subalternam, & non infimam, quæ deinde in intrinsecam, & extrinsecam tanquam in suas formas est diuidenda. Iterum respon. Solutio. non dari tempus aliquod quod sit mensura intrinseca, sed omne tempus esse mẽsuram dumtaxat extrinsecam, quia tempus tãtum metitur, alios motus extra motum primi cœli, ratione quorum est quid extrinsecum, cum in diuersis subiectis contineãtur: motum autem primi cœli nullo

Universidad de Deusto
Biblioteca

nullo modo metitur, quia motus ille non est ab aliquo mensurabilis secundum se, sed est omnium aliorũ motuum prima, & generalior mensura, vtpote simplicior, velocior, & vniformior: at quod est primum in vnoquoque genere, non est mensurabile, sed reliquorum mensura vt auctor est Arist. 2. metaphy. cap. 1. Vocatur autem tempus ab Aristo 4. physico numerus motus primi cæli, non quod metiatur illum motũ, vel quod sit motus ille, passiue metitus à tempore, sed quod partes illius motus numeratę sint ipsummet tempus, quod alios motus mẽsurat, vt abunde satis eo loco de tempore disputantes ostendemus.

Ad argumen. præ. ip. Adt. argumen.

Supereſt tandem vt argum. quæ in initio proposuimus dissoluamus. Ad primum iam diximus sect. 1. q. 2. quare Arist. in Metaphy. prætermiserit numerare tempus inter species quantitatis cõiunctæ, quæ non sunt iterum repetenda sed ad memoriam reuocanda. Ad secundum respond. duobus modis posse aliquid vocari formaliter quantum, vno modo extrinseca, & alio intrinseca denominatione: intrinseca tãtum potest subiectum denominari quantum à quãtitate sibi inhærente, qua ratione à loco non dicitur subiectum quantum: extrinseca vero potest dici aliquid formaliter quantum à quantitate alteri subiecto inhærente: & hac ratione à loco dicuntur res quantæ, nimirum mensuratę secundũ longitudinem, & latitudinem, tanta enim est res locata secundum has dimensiones, & tantus locus quanta res locata. Negandum igitur est à loco nõ non dici res quantas, nam quamuis nõ dicantur ab illo intrinseca, dicũtur tamen extrinseca denominat. locatę. Ad 3. respon. locum sumi posse vel materialiter, vel formaliter, material. sumitur pro extremitate, formaliter vero pro continentia rei locatæ, materialiter aliquando locus non est vnus secundum speciem, vt constat in exemplo proposito in agu de loco nauigij), cuius vna pars intra aquam, & alia in aere consistit, formaliter vero semper est vnus secundum speciem, nam eadem est ratio secundum speciem continendi in duabus superficiebus natura distinctis, quæ est in superficie vnius ac eiusdem speciei, ita enim ambit, & ita est æqualis, ac immobilis respectu centri mundi, polorum, & punctorum verticalium, locus qui ex duabus superficiebus coalescit, ac locus qui est tantum ex vna superficie conflatus. Itaque vt locus sit vnus, & idem secundum speciẽ, sufficit vt superficies (quæ est materia) sit vna secundum ordinem, & contiguitatem, vt est superficies aquæ, & aeris quę continent nauigiũ, nã hæ duæ superficies ordine & contiguitate sunt vnum. Ex parte vero formæ necesse est, vt sit vna & eadem ratio continendi; & quia in his duabus superficiebus est eadem ratio continendi, propterea erit vnus, & idem locus secundum formam, ac proinde vnus simpliciter, quia natura rei à forma peti debet. Ad quartũ respon. duplicem esse terminum intrinsecum & extrinsecum, intrinsecus dicitur qui est in subiecto quod mouetur, alteri secus vero, qui in diuerso subiecto reperitur: motus itaque & terminus intrinsecus qui per illum adquiritur sunt idem, & in eadem categoria continentur, idem autem & terminus extrinsecus neque sunt idem, neque in eadem categoria comprehensa: at terminus intrinsecus qui per motum ad locum comparatur non est locus sed esse in loco, locus enim terminus est extrinsecus, ac proinde quamuis motus ad locum in categoria vbi collocetur, non propterea locus in illa collocabitur, sed tantum esse in loco. Ad vltimum dicimus illud esse infirmum, & nullius roboris: nam quamuis immobilitas non sit de ratione alicuius quantitatis, poterit tamen esse de ratione loci: quemadmodum quamuis longum & breue, nõ sint de ratione extremitatis, aut corporis, sunt de ratione lineæ: quædã siquidem sunt propria alicuius speciei quantitatis, quæ aliis conuenire nulla ratione queunt. Qua autem ratione conueniat immobilitas loco 4. physi. (Deo fauente) explicabimus.

Ad 2. Ad 3. Ad 4.

QVAESTIO V. AN TEMPVS SIT PER SE SPECIES QUANTITATIS NECNE?

PArti negãti fauent maxime hæc argumenta. Primum, Arist. 5. metaphy. cap. 13. docet tempus esse quãtitatem per accidens, non ergo erit quantitas per se. Deinde Cui competit ratio subiecti per accidens debent & proprietates fluentes ab illo per accidens conuenire: sed tempori conuenit ratio qnantitatis quę est posse diuidi per accidens: ergo & esse mensuram, quod est proprietas fluens ab essentia quantitatis, conuenietetiã illi per accidens, atq. ita in rõe mẽsurę nõ erit quãti per se. Præterea. Cui cõpetit per aliud essentia, etiã proprietas ab illa fluens cõpetit per aliud: sed esse mensuram, quod est proprietas quantitatis, non competit tempori propter aliud, sed propter se: ergo natura & essentia quantitatis per se tempori conueniet, & non per aliud ratione nimirum motus vel magnitudinis vt postea dicemus. Iam. Tempus est numerus motus: sed numerus est quantitas deiuncta ergo tempus erit quantitas deiuncta.

1. Argu. 2. Arg. 3. Arg. 4. Arg.

Constitutum reliquimus supra de oratione disputantes duplex esse tempus, vnum quod est numerus partium motus primi cœli secundũ prius, & posterius, alterũ vero quod est numerus rerum fluẽtium, & discretarum velut intellectionum, & volitionum. Devtroque itaque tempore explicandum nobis esse videtur an sit quantitas per se, & deiuncta: nec tamen latissime id hoc loco à nobis fiet, sed potius breuiter, ac succinte, cum magis disputatio ista ad 4. li. physico. attineat vbi de ipso luculentissime disputabimus.

Obser.

Sit igitur prima conclusio. Tempus est quantitas per se, & non per accidens. Hanc conclusionem statui mus aduersus Soncinatem 5. lib. metaphy. q. 24. & nonnullos etiã alios. Confirmamus eam in primis auctoritate Arist. in hac catego. constituẽtis tempus esse speciem quantitatis, & dum in fine cap. distingueret quãtitatem in per se, & per accidens ait, species quantitatis enumeratas, esse quantitates per se, de quarum numero vna est tempus. Deinde quia quãtitas per se est illa quæ ex se habet partem extra partem: at tempus suapte natura habet partem extra partem, vt futuram extra præteritã: tempus igitur erit quantitas per se.

1. Conc.

Secunda conclusio. Tempus applicatum motui primi cœli, est quãtitas coniuncta. Hanc profitemur cum communi opinione aduersus Soncinatem vbi supra, & Ferrarien. 4 Physi. q. 5. qui opinantur illud esse quantitatem discretam sub numero comprehensam. Confirmatur tamen primo Arist testimonio, constituentis in hac catego. tempus ipsũ inter species quantitatis coniunctę. Confirmatur secundo. Quantitas coniuncta ea est cuius partes copulantur aliquo termino communi: at partes temporis quod est numerus motus

2. Conc.

motus primi cœli copulantur termino communi, instanti nimirum, instans namque est quod cõnectit partem præteritam temporis, cum parte futura, ergo tempus erit quãtitas coniuncta.

3. Conc. Tertia conclusio. Tempus applicatum actionibus fluidis, & discretis, vt intellectionibus, & volitionibus est quantitas deiuncta. Confirmatur. Illa est quantitas deiũcta cuius partes non copulantur termino aliquo communi: at partes intellectionis, quę sunt diuersæ intellectiones non copulantur termino aliquo communi, vna enim intellectio discreta, & separata est ab altera, ergo tempus quod est numerus harum operationum erit quantitas deiuncta contenta sub numero applicato reb' discretis fluidis & successiuis. Verum de hoc tẽpore discreto agere nõ est huius instituti, sed in 4. physi. in quo loco abunde satis de illo disputabimus.

Ad 1. argumen. Dissoluamus iam argumenta in principio adducta. Ad primum dicimus primo Arist. in Metaphy. tantum egisse de quantitate permanente, non de fluida, & successiua, illãitaque solam vocat quãtitatem per se, quæ habet partes permanentes, illam vero cuius partes sunt successiuæ, velut tempus, & motus, vocat quantitatem per accidens. Secũdo dicimus cum D. Tho. in commẽta. illius loci Arist. in Dialectica egisse de tempore sub ratione mensuræ, in Metaphy. vero sub ratione diuisionis, & quia tempus habet propriam rationem mensuræ constitutum est in Dialectica inter species quantitatis per se: at vero quia non diuiditur per se, sed ad diuisionem motus constitutum est inter species

Ad 2. quantitatis per accidens. Ad secundum dicimus duobus modis posse aliquid per accidens alicui conuenire, primo accidẽtaria ratione, quẽadmodum dicimus hominem esse album per accidens: secundo per aliud qua ratione dicimus ignem esse calidum per accidens, idest per aliud, nimirum per calorem. Quando igitur essentia alicuius subiecti competit per accidens, id est, accidẽtario alicui, & proprietates fluentes à tali essentia debent etiam accidentario eidem conuenire: quando vero ratio subiecti competit per accidens alicui, id est, per aliud, proprietates dimanantes à tali natura non conuenient illi accidẽtario, sed per se. Et ita diuidi posse, quod est ratio quantitatis competit tempori per accidens, id est, per aliud, scilicet propter motum, & ita esse mensuram non conueniet illi accidentario, sed per se. Ad tertium dicimus Ad 3. posse aliquod attributum alicui conuenire per aliud duobus modis, primo per aliud tanquam per causam efficientem, secundo vero modo tãquam per attributum & rationem essentialem superiorem, vt dicimus hominem esse sentientem per aliud scilicet per animal quod est attributum essentiale, hominis, eiusque genus. Propositio igitur vera est, quãdo ratio à qua fluit proprietas competit subiecto per aliud, tanquam per rationem, & attributum essentiale: falsam autem quando natura conuenit subiecto per aliud tanquã per causam efficientem, nam motus & magnitudo sunt causę efficientes ob quas tempus habet partes extra partes, & diuidi possit, ac proinde esse mensuram primo & per se, & non per aliud illi conueniet, cum conueniat ei ratione alicuius attributi ipsi essentialis. Ad quartum aimus, numerum applicatum rebus discretis, Ad 4. quantitate tamen coniũcta affectis, esse quantitat. discret am: applicarũ nihilominus rei cõtinuæ non esse quan-

quantitatem deiunctam, sed coniũctam, cuiusmodi est numerus decẽ palmorũ in ligno, qui quidem quãtitas est coniuncta, eo quod lignum cui applicatur est affectum quantitate coniuncta. Cum ergo numerus qui continetur in diffinitione temporis, sit applicatus motui primi cœli, qui est quantitas coniuncta, erit etiam & ille quantitas coniuncta.

QVAESTIO. VI. AN MOtus sit quantitas per se.

VLtimo quærẽdum est sitne motus quantitas per se necne: quæ quidem quæstio sicuti et superior, quia multa postulat ex iis quæ de motu 3. Physic. disputari solent erit breuiter hoc loco à nobis explicanda. Et quidem motum esse quantitatẽ per se confirmatur primo, quia

1. Arg. motus habet propriam diuisibilitatem distinctam à diuisibilitate magnitudinis, nam diuisibilitas magnitudinis est in partes cohærentes simul in eodem toto: motus vero in partes successiuas, & quæ simul cohærere nulla ratione possunt, quæ certe diuisibilitates alterius sunt rationis, quare cũ diuisibilitas sit propria ratio quantitatis, motus erit

2. Arg. quantitas per se. Secundo. Habere partem extra partem est de natura & essentia quantitatis: sed in motu datur per se pars extra partem, nam est ens successiuum, de cuius ratione est habere partes sibi inuicẽ succedentes, eritigitur quantitas perse.

3. Arg. Tertio. Esse mensuram est proprietas quantitatis, sed esse mensuram competit motui, ergo erit motus quantitas per se. Confirmatur assũptio, quia motu aliquãdo metimur tempus, nam ex deambulatione aliquando metimur quanta portio tẽ-

4. Arg. poris fuerit elapsa. Iam. Maius & minus proprietates sunt quantitatis: sed motus habet proprium maius, & minus distinctum à maiori et minori magnitudinis, nam existente eadem magnitudine potest motus esse aliquando maior, et aliquando minor, maior vt si mobile quod percurrit talem magnitudinem fuerit tardius, minor vt si aliud mobile quod eandem percurrat fuerit velocius: erit igitur motus quantitas per se. Ad extremum. Partes motus con- 5. Arg. nectuntur aliquo termino communi distinctio à termino communi quo connectuntur partes magnitudinis, nam partes motus connectuntur mutato esse tanquam termino communi, magnitudinis vero partes coniunguntur vel puncto, vel linea, vel aliquo huiusmodi, ergo erit illa quantitas coniuncta, per se, & distincta à magnitudine.

In motu hæc omnia contemplari possũt, esse ab alio, esse in alio, forma fluens, & fluxus ipsius formæ. Sit exemplum in calefactione quæ est quidam motus, in qua hæc quatuor licet animaduertere, nam imprimis est ab alio, nimirum ab igne, est in alio, scilicet in aqua, tertio est calor quidam incohatus, & imperfectus: & tandem est fluxus eiusdem caloris imperfecti ad esse perfectum. Ex quibus certum est motum vt est ab alio, vel vt recipitur in alio non esse quantitatẽ, nam vt est ab alio, est in catego. actionis, vt vero recipitur in altero, in catego. passionis collocatur. Tota igitur disceptatio est de motu vt est forma fluens, vel vt significat fluxũ ipsius formæ, nũ scilicet hac ratione contineatur in hac catego. necne? Et quamuis Antonius Andreas 5. lib. metaphy. quæst. 10. propter argu. proposita admittat motum per se & formaliter esse quãtitatem, quãuis sit effectiue ab alio scilicet à magnitudine, contrariam

Ccc tamen

Universidad de Deusto
Biblioteca

2.Opin. tamen opinionem aperte satis exprl mit Arist.5.lib.metaphy.cap.13. inquiens motum esse quãtitatem per accidens,ratione nimirum magnitudinis, quam eandem profitẽtur omnes eius interpretes D.Tho. Alexander,Auerroes, Suesanus in commẽ. huius cap. & in eodem lib. Soncinas q.24. Flandrensis q.14.art.12. Fonseca q.8.in ca.13. multique alij, quam opinionem tanquam veriorem his assertionibus explicamus, quarum prima sit.

1.Cons. Motus vt significat formam fluẽtem non est quantitas per se, immo neque in aliqua catego. determinata continetur sed reducitur ad eam catego.in qua illa forma perfecta comprehenditur, vt calefactio continetur in catego. qualitatis in qua est calor,accretio in catego. quantitatis in qua est quantitas, & motus ad locũ in categ. Vbi quæ est esse in loco.

1.argu. Confirmatur primo quia motus nõ est prætereas catego, ad quas est motus vt inquit Arist.3.physico.cap.1. Si ergo fuerit motus ad qualitatem erit in catego. qualitatis, & si ad quãtitatem in catego. quantitatis.

2. argu. Secũdo quia motus non differt reipsa à termino illius, nam motus & terminus tantum differunt sicuti perfectum, & imperfectum, in eadem forma: at terminus non continetur in certa aliqua catego. nam aliquando est quantitas, & aliquando qualitas: ergo neque motus in certa catego. continebitur, ac proinde non erit quantitas per se, neque vlla ratione sub limitibus quantitatis comprehendetur.

2. Con. Secunda conclusio. Motus pro fluxu formæ non est quantitas per se, sed per accidens. Animaduertẽdum est ex Soncinate duplicem diuisionem motui conuenire, vnam extrinsecam, & aliam intrinsecam: extrinseca competit illi ratione magnitudinis per quam fit ipse, nam prima pars motus diuiditur ratione primæ partis magnitudinis, & secunda ratione secundæ, & sic de aliis: intrinseca vero competit illi ratione formæ, quæ acquiritur per motum: etenim quia omnis forma quæ potest per ipsum comparari est diuisibilis, ita vt vna pars post aliam comparetur, propterea motus erit etiam diuisibilis. Quando igitur facimus motum quantitatem per accidens, loquimur de illo vt est diuisibilis extrinsece ratione magnitudinis, nã quia ipse diuiditur ad diuisionem magnitudinis erit etiam quantus aliena vi, & accidentaria ratione. Hanc nõ alio argumento quam auctoritate Arist. confirmamus, qui in loco citato ex Metaph. motum profitetur esse quantitatem per accidens quia diuiditur ad diuisionẽ magnitudinis.

3. Cons. Tertia conclusio. Si agamus de motu vt est diuisibilis intrinsece ad diuision. formæ quæ acquiritur per motum ille nullo modo est quãtitas neq. per se, neque per accidens. Confirmatur quia talis diuisibilitas non differt à diuisibilitate formæ quæ acquiritur, at diuisibilitas formę v.g. caloris, aut alterius qualitatis, nõ continetur in catego. quãtitatis, sed in catego. qualitatis, nam est latitudo graduum illius qualitatis, quæ non differt à qualitate. Hoc autem intelligi debet de aliis formis quæ acquirũtur per motum, excepta quantitate, quæ acquiritur per motum accretionis: nam si de hoc motu agamus, erit etiam ille contentus in eadem categ. quantitatis, propter eandem rationem, quia scilicet diuisio partium huius formæ in hac categ. continetur: nam est diuisio partium quantitatis.

Ad 1.argumen. Ad argu. igitur quæ in initio proposuimus. Ad primum respon. negando assumptio. quia motus neq. diuisibilitatem intrinsecam, neque extrinsecam habet à se, nam hanc habet à magnitudine, & illam à forma quæ per illam acquiritur, argu. vero tantum confirmat de diuisibilitate intrinseca motum non habere illam in magnitudine, non tamen colligit hanc diuisibilitatem habere illum à se, cum à forma illam obtineat.

Ad 2. Ad secundum respon. eodem modo habere partem extra partem extrinsece conuenire motui non à se, sed à magnitudine, nam quia in illa datur pars extra partem, propterea quoque in motu qui fit per ipsam, dabitur quoque pars extra partem: habere vero partem extra partem intrinsece competit illi ratione formæ: etenim quia in forma vna pars extra aliam comparatur, propterea motus habet intrinsece vnam partem extra aliam.

Ad 3. Ad tertium respõ. mẽsuram ratione sui proprietatẽ esse quantitatis, non tamen esse mensuram ratione nostri, at motus non est ratione sui mensura temporis, sed è conuerso tempus est mensura motus: sed est mensura ratione nostri, quia aliquando ex motu deuenimus in cognitionẽ temporis.

Ad 4. Ad quartum dicimus malus, & minus, non conuenire motui ratione sui, (quamuis neque ei conueniant ratione magnitudinis) sed conuenire ratione maioris virtutis, quę in mobili, aut in mouente reperitur, & minoris, aut maioris resistentiæ: nam si mouens sit maximæ virtutis, & mobile minus restiterit, in eadem magnitudine motus erit minor, vel breuior: si vero fuerit minimæ virtutis, mobileque magis restiterit per eandem magnitudinem, motus erit maior, vel longior.

Ad vlt. Ad vltimum respon. partes motus etiam connecti inter se ratione partium magnitudinis, quamuis extrinsece: connecti vero intrinsece ratione partium formæ, nam quia partes formæ successiue comparantur, propterea partes motus inter se per mutatum esse copulantur. Verum de hac re latius 5. & 6.lib.physic. sat fuerit hoc loco hæc breuiter attigisse.

Obser. Decreueram quæst. illam nũ substan. habeat partes integrantes beneficio quantitatis hoc loco explicare, verum quia illa abunde satis proponitur à nobis 1.physico. cap. 3. vbi est proprius locus illius, ob hãc causam illius explicationem hic prætermisimus. De qnantita igitur hæc dicta sint satis.

CAPVT TERtium Categoriarum Aristotelis, de Relatis.

ARGVMENTVM CAP.

IN tres partes est caput distributum, in quarum prima proponitur diffinitio à veteribus tradita de relatis: in secunda illorum proprietates explicantur: & tandem in tertia dissoluitur quædam difficultas, simulque vera diffinitio Relatorũ declaratur.

FA autem cum aliquo conferuntur, quæ id quod sunt, aliorum esse dicuntur, aut quoquo modo aliter cum alio conferuntur: ueluti maius quicquid ipsum est, id omne alteri tribuit, aliquo enim maius dicitur; & duplum, id ipsum quod est, ad alterum refertur, quoniam alicuius rei duplum est, itemq; cætera omnia eiusdem generis. B. Sunt etiam hæc in ijs quæ cum aliquo conferuntur, ut habitus, ut dispositio, ut scientia, ut situs. Hæc omnia quidquid sunt, aliorum sunt, aut quomodocunq; aliter cum altero conferũtur, ac nihil præterea. Nam & habitus, alicuius habitus dicitur: & scientia, alicuius scientia; & situs, rei cuiuspiam situs. Eadẽ est cæterorum omnium ratio. Sunt igitur relata ea, quæ id quod sunt alterius esse dicuntur, uel quoquo modo ad alterum referuntur: ut mons ad alterum magnus dicitur, quippe cum ad aliquid mons magnus nominetur. Quod simile est, alicui etiam simile dicitur, cæteraq; omnia generis eiusdem eodem modo cum aliquo conferuntur. Sunt autem species situs accubatio, status, sessio; situs uero in ijs est, quæ cum aliquo conferuntur. Sed iacere, stare, sedere, non sunt ipsa quidem situs: ab ijs autem generibus situs quæ diximus cognominatẽ dicuntur. C. Reperitur etiam in ijs quæ cum aliquo conferuntur aduersorum repugnantia, ut uirtus uitio est contraria, cum utrumque in iis sit quæ cum aliquo comparantur: & ignoration scientia. Nec uero omnibus data sunt sua quædam aduersa. Duplo enim nihil aduersatur, nihil triplo, nec ulli eiusdem generis. D. Illud autem magis & minus in iis reperitur quæ cum aliquo conferuntur. Nam & quod simile ac dissimile est similius, dissimiliusq; dicitur: & quod par & dispar est, aliud alio magis par & dispar, cum utrumq; in numerum eorum ueniat, quæ cum aliquo conferuntur. Quod enim simile est, cuipiam simile: & quod par est, alicui par esse dicitur. Quanquam non omnia quæ cum aliquo comparantur, illud magis & minus admittunt. Neque enim duplum magis, aut minus duplum, quam aliud habetur, nec quicquã eiusdem generis. E. Omnia uero quæ ad aliquid sunt, reciprocantur, uelut seruus, domini seruus: uicissimq; dominus, serui dominus esse dicitur. Et ut duplum simpli, sic uicissim simplum dupli simplum habendum est. Itemq; & maius minore maius, & minus maiore minus dicitur. Eadem est ratio cæterorũ, nisi quod interdum casus dissimilitudo rationem dicendi commutabit. Quanquã enim scientia, scibilis scientia dicatur, tamen scibile scientiæ scibile nõ dicitur, sed scientia scibile, & sensus, sensibilis sensus est, at sensibile sensu sensibile. F. At enim reciprocari non nunquam ista non uidebuntur: quoties non accommodatum ad id quod dicitur, uerbum exprimit is qui rem declarat. Vt si quis pennam auis esse dixerit, non uicissim dicat auem pennæ esse, cùm præsertim primũ quod dedit, non esset uerbũ proprium, cũ scilicet dixit pennam auis esse pennam. Non enim hoc ipso quia auis sit, penna eius propria est, sed quia pennata sit. Siquidem plerisque alijs pennæ attributæ sunt, quæ in numero auium non habentur. Ergo si aptè & accommodatè ad rationem dicendi uerbum exprimatur, continuò reciprocantur. Velut penna pennati penna, uicissimq; pennati penna pennatum. G. Atque etiam hoc loco interdum sane si nullum accommodatum sit rebus nomen impositum, nomina facienda sunt necessariò. Vt si gubernaculũ dicatur nauis esse gubernaculum haud probè fiat. Neque enim hoc ipso quod nauis sit, eius gubernaculum esse dicitur, cùm naues sint, quæ nulla gubernacula habeant. Itaq; non est hoc loco reciprocatio. Nauis enim non solet dici gubernacu li nauis: aptiorq; ratio dicendi fiat, si gubernaculũ gubernati, aut alio quouis modo esse dicatur, neque enim nomẽ positũ est. Et profectò si aptè accommodatum sit, reciprocabitur: gubernatum enim gubernaculo gubernatum est. Similis est ratio cæterorum, ut caput aptius capitati dicitur quàm animalis: quippe cũ non quâ animal est, caput habeat, carent enim capite multa animalia. Sed ita facillime nomina imponentur rebus, quarum nulla sunt propria si à primis eorum etiam, declinatione quadam, deducantur nomina, quibus cum ipsa prima comparantur. Id quod in ijs perspici potest, de quibus modo diximus, ut à penna pennatum, à clauo clauatũ. Quare quæ cum aliquo conferuntur, si aptè & accommodatè exprimantur, reciprocantur omnia. Nam si cum alio quouis conferãtur quam quod propriè ac per se respiciunt, non reciprocãtur. Dico autem ne ea quidem uicissim inter se respondere posse, quæ omnium consensu reciprocantur, etiam si imposita eis sint nomina, si ad aliquid eorum quæ accidunt, non ad id ad quod propriè affecta sunt, accommodabuntur. Veluti seruus si non domini, sed hominis, aut bipedis, aut cuiuspiam eius generis seruus dica-

dicatur, certè nulla futura est inter eos reciprocatio. Neque enim homo esse seruí homo dici potest, propterea quod non est ea apta & propria dicendi ratio. Quod si aptè & accõmodatè ad id ad quod refertur, uerbũ exprimatur, apta ad ipsum illud semper erit dictio, etiã si omnia quæ aduentitia sunt, detrahantur, iis solis remanentibus, cum quibus illa conferuntur. Vt seruus si cum domino conferatur, profectò sublatis detractisque omnibus, quæ domino ascititia & aduentitia sunt: uelut cum bipedem esse, & natum ad scientiam & cognitionem, & hominem, relicto illo solo, cum herum esse, tamen semper ad ipsum referetur. Siquidẽ seruus, domini seruus nominatur. At si parum accommodatum ad id cum quo confertur, nomen reddatur, separatis cæteris omnibus, relicto autem eo uno, cui adiunctum erat, minimè cum eo conferetur. Accommodetur enim exempli gratia, seruus ad hominem, & penna ad anem, seiungaturq; ab homine heri appellatio, iam seruus cum homine non comparabitur, itemq; ab aue separetur pennati ratio, non iam penna ueniet in numerum eorum quæ cum aliquo cõferuntur. Sublato enim pennato, nullius certè penna est futura. Quapropter uerbum accipiendum est cum quo alterum ritè conferatur. Quod si nomen sit impositum, facilis est uerbi accommodatio. Sin nullum sit, profectò faciendum nouum necessario est. Quæ si hoc pacto omnia tribuantur, perspicuum est, quæ cum aliquo conferentur, reciprocatum iri omnia. I. Iam quæ sunt in hoc genere, simul sunt naturæ ordine. Ac in plerisque id uerum est, in alijs non item. Simul enim atque duplum est, & simplum est: & si simplum sit, duplum quoque est: & si dominus sit, seruus sit necesse est: & si seruus sit, & dominus. Similis est ratio cæterorum. Atque etiam tollunt hæc inter se omnia. Neque enim sublato duplo esse simplum ullo pacto potest, aut simplo sublato, duplo loci aliquid relinquitur. Eadem est aliorum ratio, quæ sunt eiusdem generis. K. At non in omnibus iis quæ cum aliquo conferuntur, id uerè dici uidetur, ea simul esse ordine naturæ. Nam res ea quæ scientiæ subiecta est, prior est naturæ ordine scientia, quod fere res postquam iam sunt scientia comprehendamus. In paucis enim, aut in nullis potius scientiam simul esse cum re quæ sub scientiam illam cadit, perspici potest. Præterea sublata re quæ sub scientiam cadit, scientia quoque tollitur. At sublata scientia, id quod cadit sub scientiam non tollitur. Siquidem si nulla sit res subiecta scientiæ, non est scientia, quoniam nullius erit rei scientia. At uero sublata scientia, nihil prohibet rem esse eam quæ sub scientiam cadat. Vt de orbis quadratura (si scientia comprehẽdi possit) necdum scientia est, cùm interim cadere possit sub scientiam. M. Iam uero sublato animante, nullus locus scientiæ relinquitur, cum interim res multæ comprehendi possint scientia. N. Similis etiam ratio eorum est: quæ in sensibus cernimus. Res enim subiecta sensui, sensu antiquior est. Sublata enim re, quæ cadit sub sensum, sensus tollatur necesse est. Sensu uero sublato, non tollitur quod sensu percipi potest. Nam sensus & in corpore sunt, & circa corpora uersantur. Atqui sublata re quæ sensus mouet, etiam corpus, quoniam in iis quæ sensus mouentia sunt habetur, tollitur. Et si nullum sit corpus, nullus futurus est sensus. Re igitur quæ subiecta est sensui, sublata, sensus una tollitur: sensus autem si subtrahantur, sensus mouentia quæ sunt, minimè tollũtur. O. Sublato enim animali, sensus quidem tollitur: corpus autem quod cadat sub sensum, remanet, ut calida, dulcia, amara, cæteraque omnia quæ sensum mouent. Postremò sensus unà cum eo quod uim habet sentiendi existit: quandoquidem una cũ animali sensus oritur. Res autem subiecta sensibus, animali & sensu antiquior est Nam & ignis & aqua, & cætera eius generis ex quibus constant animantes, animalibus & sensibus omnibus antecedunt. Sensu igitur id quod sensus mouet, est antiquius. P. Sed hoc loco quæstio quædam existit, nullanè sit essentia, id quod uidetur, in iis quæ cum aliquo conferuntur, an id fieri possit in nullis secundis substantijs. Nam id quidem uerum est de primis substantijs, quippe cùm nec tota, nec partes primarum substantiarum ad aliquid referantur. Neque enim aliquis homo cuiuspiam homo dicitur, neque hic uel ille bos alicuius certus bos. Similis est ratio partium. Manus enim aliqua non appellatur alicuius certa manus, sed alicuius manus: & caput quoddam nõ cuiuspiam quoddam caput, sed alicuius caput uocatur. Quod idem plerisque secundis essentijs contingit. Vt homo cuiuspiam homo non dicitur, nec bos: bos alicuius nec lignum, alicuius lignum, sed alicuius possessio. Atque id quidem perspicuum est, hæc talia omnia in iis non esse quæ cum aliquo conferuntur. De quibusdam autem secundis essentijs quæstio est. Veluti caput alicuius caput: & manus, cuiuspiam manus dicitur: itemq; cætera generis eiusdem. Videntur igitur hæc in ijs esse quæ cum aliquo conferuntur. Ac si satis explicata perfectaq; tradita eorum est definitio quæ cum aliquo conferũtur, profectò aut magni negotij est substantiam nullam in hoc genere esse dicere, aut certe id fieri non potest. Sin secus, suntq; ea demum in iis quæ cũ aliquo conferũtur. Q. Quorũ uis omnis & natura in eo posita est, ut ab aliquid affecta sint, certe aliquid quod contra hæc ualeat, afferatur. Et quanquam prior definitio in omnia ea ualeat, quæ cum aliquo cõferuntur: tamen non idem est, rem aliquam id ipsum quod est alterius dici, & rem aliquam id modo esse quod cum aliquo comparatur. R. Ex quo perspicuũ est, eum qui definitè sciat aliquid eorũ quæ in hoc genere sũt, etiam illud cum quo confertur, destinate intellecturum: quod etiam hinc intelligi potest. Nam si quis quippiã in iis esse quæ cum aliquo conferuntur

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur sciat, (est autem uis & natura eorum quæ sunt in hoc genere ad aliquid certo quodã modo affecta esse) illud etiam sciat necesse est, quam ad rem id ipsum quoquo pacto sit affectum. Nam si quam ad rem illud affectum sit quoquo modo, prorsus ignorat, ne illud quidem intelligeret, an ad aliquid affectũ sit quoquo modo. Atq. id in rebus singulis perspici potest. Vt si quis hoc uel illud definite sciat duplum esse, is continuo cuius it sit duplũ definite nouerit. Si enim nullius certæ ac definitæ rei duplum esse nouerit, ne illud quidem an sit duplum prorsus intelliget. Itemque si certo sciat, quispiã hoc uel illud esse melius, idem quo illud sit melius statim definite intelligat necesse est. Ob id autem quod deteriore sit præstantius non incerte cognoscet: quia opinio tum existit non scientia. Neque enim adhuc plane ac perfecte scit, deteriore melius esse: quoniam si res ita ferat nihil eo sit deterius. Qua propter illud quidem perspicuum est, si quis definite norit aliquid eorũ quæ cum aliquo conferantur, eum necesse esse illud etiam definite nosse, cum quo conferatur. s. At uero caput manum, & cætera eiusdem generis, quæ sunt in essentijs, ea quidem quidquid sunt, quispiam definite sciat: id uero cum quo conferãtur, non necesse est. Cuius enim hoc caput sit, cuiusque hæc manus, cognito capite, cognitaque manu designate sciri non potest. Non sunt igitur hæc in iis quæ cum aliquo conferuntur. Quod si hæc non sunt in ijs quæ cum aliquo conferuntur, certe uere dicitur, substantiam nullam in numerum eorum uenire quæ cum aliquo conferantur. Quanquam autem difficile est aliquem qui in his non sit multũ diuque uersatus, de his talibus certum aliquid affirmare tamen singulatim debis quæstionẽ ponere, magnæ utilitatis est.

COMMENTARIA.

MVltę rationes potuerũt compellere Aristo. ob quas de relatis, prius quã de quali. differuerit, inter quas illam hoc loco proponere merito possumus, quia in superiori cap. in dubitatione illa de magno, & paruo fuerat effecta mẽtio Relatorum. Ne igitur diutius suspensi tenerentur animi audientium, post quantitatem, mox de Relatis agendum esse iudicauit. Auspicatur autẽ à diffinitione, quam veteres de relatis tradiderunt. Ea sic se habet.

A *Ea autem quæ cum aliquo, &c.* Relata sunt quę, id quod sunt aliorum esse dicuntur, vel quouis modo alia cum aliis conferuntur, vt simplum, & duplum, pater & filius, magister & discipulus dicuntur relata, nam pater, id quod est, alterius est s. filij, & filius patris, & sic de aliis, quæ diffinitio sitne legitima, & num relatis omnibus adaptetur in disputat. explicabimus. 1. Pars capitis.

B *Sunt etiam hæc in iis, &c.* Colligit Arist. ex superiori diffinitione habitum, & dispositionem, scientiam & scitum contineri in hac categoria relationis, eoquodhęc omnia, id quod sunt aliorum esse dicuntur, nã scientia est rei quæ scitur scientia, & habitus rei habentis illũ, & situs rei quæ est in loco situs. Animaduertit tñ Aristo. species situs quæ sunt sessio, statio, & accubatio esse de genere relatorum, & in hac catego. contineri, nam si genus (quod est situs) est relatum, & illius etiam species relationẽ indicabunt: accubare vero, sedere, & stare quæ sunt concreta illorum abstractorum, non esse in hac catego. sed in categ. situm esse. Vnde colligendum erit, in alia catego. esse formas abstractas, & in alia ipsa concreta.

2. Pars capitis. C *Reperitur etiam in iis, &c.* In hac secunda parte cap. tradit Arist. proprietates relatorum, vt his manuducamur ad intelligendam eius naturam. Prima est. Relata habent contraria, siue relatis aliquid est contrariũ, quam quidem proprietatem relatis conuenire, ita confirmat Aristo. Simile, & dissimile sunt relata, vitium præterea & virtus, scientia, & ignorantia: sed vitio contrariatur virtus, & scientiæ ignorantia: ergo relatis aliquid erit contrarium. Animaduertit tamen Arist. hanc proprietatem non conuenire omnibus relatis, sed quibusdam nam duplum, & triplum sunt relata, cum tamen illis nihil contrarietur. 1. Proprietas relatorum.

2. Proprietas. D *Illud autem magis, & minus, &c.* Secunda proprietas. Relata recipiunt magis, & minus, quam proprietatem relatis conuenire sic ostendit. Simile, & dissimile, par, & impar sunt relata: atqui hæc recipiunt magis & minus nam quædam sunt aliis similiora, & alia dissimiliora: ergo iam relata recipiẽt magis, & minus, &c. Animaduertit tamen Arist. hanc proprietatem non conuenire omnibus relatis vt duplo, vel triplo, nam vnum duplum non est magis duplũ quam aliud, & vnum triplum non est magis triplum quam aliud.

3. Proprietas. E *Omnia vero quæ ad aliquid sũt, &c.* Tertia proprietas. Relata reciprocãtur inter sese, ad inuicemque conuertuntur, quemadmodum pater, & filius, nam si est pater est filius, & ẽ contra. Reciprocari autem nihil aliud est quam idem dici de seipso, cum expresione alterius extremi in casu obliquo, vt in eodem exemplo pater qui reciprocatur cum filio dicitur de seipso cum expresione filij, dicimus enim patrem esse filij patrem.

Obseru. F *At enim reciprocari, &c.* Animaduertit autem Arist. aliquando euenire vt extrema relata non reciprocentur inter sese, quia non sumuntur debite, sicut ala, quę est extremũ relationis non refertur aliquando quia extremum eius non sumitur debite, si enim sumamus auem sicut extremum, nõ reciprocabitur quamuis enim omnis auis habeat alas, non tamen omne quod habet alas est auis, vt Scarabei. Quod si debite inquit extrema relationis sumantur, omnia relata reciprocantur ad inuicemque conuertuntur, vt in exemplo proposito si pro extremo alæ sumatur alatum, procul dubio illa reciprocabuntur, omnis namque ala est alicuius alati ala, & ẽ conuerso omne alatum est aliqua ala alatum. Vt vero intelligamus, quando extrema debite sumuntur, tradit Aristo. duas regulas. Primam in his verbis.

1. Regula. G *Atque etiam hoc loco, &c.* Si extrema inquit relata non fuerint debite sumpta eo quod alterum fuerit incognitum debite sumentur si ab extremo cognito deductum fuerit aliquod nomen, extremoque incognito post modum imponatur tunc enim erunt illa extrema maxime accõmodata relationis & debite sumpta. Sit exemplum. Extremũ gubernaculi ignotum est nobis, nauis enim nequit illius esse extremũ quippe cum multæ sint naues sine gubernaculo. Deriuemus igitur à gubernaculo, nomen hoc gubernatum, imponamusque illud extremo gubernaculi nobis incognito. Nunc

quidem iam hæc duo extrema gubernaculum, & gubernatum erunt extrema relationis debite, & vt prius sumpta, gubernaculum namque est gubernati gubernaculum, & gubernatum est à gubernaculo gubernatum. Itidem. Ignoramus extremũ relati huius nobis cogniti (v.g. capitis) illud namque non est animal, multa enim sunt animalia absque capite, vt vermes & conchilia, deriuãdum igitur erit ab hoc extremo cognito quod est caput nomen capitati, impodendûq. erit extremo incognito, sicque illa extrema relationis erunt apta & accommodata, nam omne caput est alicuius capitati caput, & omne capitatum est aliquo capite capitatum.

2. Regula. H *Dico autem ne ea quidem &c.* Secunda regula est. Si sumptis alicuius relationis extremis, & amotis omnibus accidentibus adhuc inter illa extrema supereſt mutua habitudo, & relatio, illa erunt debita extrema relationis: si vero amotis ab illis omnibus accidentibus statim perit habitudo non erunt illa extrema relationis debite sumpta. Quemadmodum dominus, & seruus, sunt extrema relationis debite sumpta, eo quod ablatis ab vtroque omnibus accidẽtibus adhuc supereſt relatio domini), & seruitutis inter illos, si enim ab illis amoueas candorem, vel atrorẽ, esse bipedẽ, vel aliud huiusmodi adhuc vnus illorum est dominus, & alter seruus: At vero homo, & seruus, non sunt debita extrema relationis domini), & seruitutis, si enim ab homine amoueamus omnia illius accidentia inter quæ continetur dominium, homo non erit dominus, sicque euanescet illius habitudo ad seruum.

4. Proprietas. I *Iam quæ sunt in hoc genere, &c.* Quarta proprietas est. Relata sunt simul natura, quam relatis merito adaptari hoc argumento demonstrat. Illa sunt simul natura, quæ se mutuo consequuntur, vnumq nõ est causa alterius ex Post. catego. cap. 9. atqui relata se mutuò consequuntur, vnumque illorum non est alterius causa, sicuti dominus, & seruus se mutuo consequuntur. nam si dominus est, seruus etiam est, & è contra si seruus est, etiam dominus est: nec vnũ præterea alterius causa est, vt dominus serui, aut seruus domini, vt ex se apertum satis manifestũque est ergo, &c.

Nonomnia relata sunt simulnatura. k *At non in omnibus his &c.* Constituit Arist. hanc proprietatem non cõuenire omnibus relatis, nam scientia, & res quæ scitur: & sensus ac res quæ sentitur sunt relata, quæ tamẽ non sunt simul natura, nam res quę scitur prior est scientia, & res quæ sentitur prior sensu: ea autem nequeunt esse simul natura in quibus vnum est prius natura altero. Rem vero quæ scitur priorem esse scientia, confirmatur Arist. tribus argu.

1. Arg. Primum est, quia antequam alicuius rei scientiam cõsequamur, debet res illa esse, illud namque quod non est, nullo modo potest sciri, vt antequam consequamur scientiam siderum, & cœlorum, iam erant sidera, & cœli, ergo, &c. Addit tamen Arist. in nonnullis scientiam esse simul, vel priorem re quæ scitur, quę adhibita fuit propter monstra, & figmenta animi quæ sciuntur hæc nãque posteriora sunt ipsa scientia, cũ ab illa producantur, quamuis reuera illa nulli scientiæ proprie ac vere subiacere queant, scientia namque de æternis est, huiusmodi autem res fragiles sunt, accito pereuntes.

Ita Amm. & Boet.

2. Arg. L *Præterea sublata re, &c* Secundũ argu. Illud quo sublato aufertur alterum, & non è conuerso censeri debet prius natura: at sublata re quæ scitur aufertur scientia, non tamen è conuerso, ergo. &c. Confirmatur assumptio. Imprimis scientia tantũ est verorum: at rei veritas aufertur re illa sublata cuius erat veritas, ex eo namque quod res est, vel non est oratio dicitur vera, vel falsa: sublata igitur re quæ scitur, auferetur scientia illius. Deinde sublata scientia non auferri rem, quæ scitur, ita oltẽdit. De quadratura circuli nulla hactenus inuta, & excogitata est sciẽtia: atqui est illa res apta, & nata sciri: iam igitur, &c. Vt interim prætermittamus paucarum rerum nactos nos esse scientiam, esseque propemodum innumerabiles res, quæ possunt sciri, quarum tamen nullã adepti sumus adhuc scientiam, vnde sublata scientia non aufertur res quæ scitur.

3. Arg. M *Iam vero sublato animãte &c* Tertium argu. Sublato animali aufertur scientia, nam subiecto sublato tollitur etiam, & quodlibet accidens illius: at animali sublato non tollitur res quæ scientia comprehenditur, quãuis enim omnia, quotquot sunt animalia, auferrẽtur, adhuc supereſſent elementa, orbes cœlestes, complurimaque alia quæ aliqua scientia apta sunt comprehendi: nõ itaq. sublata scientia auferetur res illa quæ scitur, cõstat q. inde satis aperterẽ quæ scitur esse priorẽ scientia.

Res sensilis est prior sẽsu. N *Similis est ratio, &c.* Probat deinde Arist. duobus argu. rem sensilem esse priorem natura sensu, & ita quãuis sint illa relata, non tamen esse simul natura. Illa sunt priora natura,

1. argu. quæ possunt esse absque aliis, cum tamen nequeant alia absque ipsis esse: at res sensilis potest esse absque sensu, sensus vero nequit esse absq. re sensili: iam ergo, &c. Confirmatur assumptio Res quę sensu percipitur est corpus sensile: at corpore sensili sublato, etiam & sensus aufertur, quia sensus est in corpore sensili; è contra vero sublato sensu non aufertur res sensilis, quãtumuis enim omnes sensus perirent, adhuc supereſſent elementa, & alia mixta: iam igitur res sensilis est prior sensu.

2. Arg. O *Sublata enim animali, &c* Secundum argu. Sublato animali tollitur sensus, sensus enim in solo animali reperitur, at animali sublato nõ tolleretur res sensilis, adhuc enim reliqua essent elementa, aliq. id genus qualitatibus sensilibus affecta, dulcia, amara, & colorata, igitur res sensilis prior natura erit ipso sensu.

3. Pars cap. P *Sed hoc loco, &c.* In tertia & postrema parte huius cap. proponit Arist. quandam dubitationem de partibus substantiæ, an contineantur illæ in hac categoria: Vbi animaduertit Aristo hanc dubitationem non esse intelligendam de substantia integra, & completa tam prima, quam secunda, certum enim est has substantias non contineri in hac categ. non enim illæ, id quod sunt aliorũ esse dicuntur sed sui, vt homo non est alterius homo sed sui: neque intelligendam esse de partibus substãtiæ singularis, vt de hac manu, & illo pede, non enim hæ partes ea ratione, qua sunt singulares sũt alterius, etenim manus non est alterius manus: sed intelligi debere de partibus substantiæ in communi, vt de capite, pedibus, vel manibus, an scilicet huiusmodi partes in communi contineantur in hac categoria. Nam cũ illæ id quod sunt alterius esse dicantur, vt manus nõ est sui manus, sed animalis, proculdubio videntur in hac categ esse contẽtæ, si diffinitio à veteribus de relatis tradita optima esset Nihilominus cũ hoc sit absurdum, constituenda erit alia accurata diffinitio quæ omnibus solisq. relatis conueniat

Diffini. legit. relatorũ.

Q *Quorum vis omnis & natura, &c.* Relata sunt quorum tota vis, & natura

Universidad de Deusto
Biblioteca

tura sita est in hoc vt ad aliud referantur, quemadmodum pater, & filius, sunt relata, quia tota natura patris est habere filium, & tota vis filij est habere patrem. Alij vero diffinitionem istã his verbis proponũt. Relata sunt quorum totum esse est referri ad aliud, nimirum ad terminum, vbi verbum esse non significat esse existentiæ, quia relatio non habet existentiam à termino, sed à subiecto, vt preclare animaduerterat D. Tho. 1. senten. distin. 33. q. 1. art. 1. in solu. 1. argu. Ex hac diffinitione colligit Arist. quintam proprietatem relatorum.

R *Ex quo perspicuum est, &c.* Quinta proprietas est. Qui certo ac diffinite cognoscit vnum relatum debet etiã certo, & diffinite alterum nouisse, nam si tota vis vnius relati est referri ad alterum, qui probe nouit vnũ relatum, debet proculdubio & alterum probe nouisse. Sed tamen cum illa & in communi possint sumi, & in particulari, is qui probe nouit vnum relatum in communi debet etiam in communi alterum nouisse, sicuti qui patrem agnouit in communi, debet etiam & filium nouisse in communi, & qui patrem in particulari cognoscit, debet & filium in particulari cognoscere, non quidem ex facie, aut nomine, aut vt substantia, sed sub ratione relationis, vt scilicet pater est, aut filius.

5. Proprietas.

Soluitur difficul.

S *At vero caput, manum, &c.* Cõcludit Arist. partes substantiæ vt caput vel manus non contineri in hac categoria, sed in categoria substantiæ, quod confirmat ex superiori proprietate. In relatis qui probe nouit vnum, debet etiam & alterum nouisse: sed euenire potest vt cognita probe vna, vel altera parte, ignoremus cuius sit illa pars: quemadmodum si quis per fenestrã proferat manũ reliquo corpore occultato cognoscimus quidẽ illam esse manum, ignoramus tamen cuius sit: ergo manus, & aliæ partes substantiæ non continebũtur in hac categoria, quãuis difficile inquit sit propter difficultatem discernere in qua catego. contineantur. Diuus quidem Seuerinus Boetius hoc argumento confirmat partes substantiæ non contineri in hac catego. sed in categoria substantiæ. Nulla substantia componitur ex non substantiis: sed substantia integra vt homo componitur ex partibus integris vt ex capite, pedibus, & manibus: igitur partes substantiæ non continebuntur in hac categoria.

Argum. Boetij.

Scholia in caput de relatis.

A 1. Non diffinit Arist. relationẽ in abstracto, sed relata tantum in conereto possumus tamen illam in hunc modum diffinire. Relatio est comparatio, vel habitudo vnius extremi ad alterũ, vt habitudo qua pater ad filium refertur relatio nuncupatur, nam conferimus patrem cum filio, & filium rursus ad patrẽ comparamus. Nomine vero extremorum intelligimus illa quæ inter se adinuicem conferuntur, vt in eodem exemplo pater & filius sunt extrema relata, nam illa sunt quæ inter se conferuntur: ab hac igitur relatione aliqua relata nuncupantur, quemadmodum omnia concreta à suis abstractis talia esse dicuntur.

1. Obserua.

A 2. Aequum erit vt quædam veluti fundamenta iaciamus ad futuras disputationes intelligendas prorsus & omnino necessarias, nimirum quasdam diuisiones, & quarundam etiam vocum explicationes quibus crebro in tractatione de relatis vtuntur Philosophi, vt sunt hęc nomina relatum, correlatum, extremum, fundamentum, modus fundandi, terminus, &c. Proponemus imprimis diuisiones quas ad sex possumus in hũc modum reuocare. Prima est. Relata quædam sunt rei, & alia rationis: rei sunt illa quæ habent esse præter omnem operationem intellectus, vt pater & filius: rationis vero dicuntur, quæ solum habent esse illius ope, & beneficio, vt subiectum, & attributum, genus, & species, de quibus postea inferius in sequentibus disputabimus. Secunda est. Relata quædam sunt secundum esse, & alia secundũ dici, secundum esse sunt illa quorũ tota vis est referri ad aliud, cuiusmodi sunt pater, & filius: relata vero secundum dici sunt illa quæ dẽotãt rem absolutam, conceptam tamen in habitudine ad aliud, vt scientia, & scibile, sensus, & sensibile. Tertia diuisio est. Relata quædam referuntur sine aliquo casu, vt magnũ refertur ad paruum: alia vero referuntur cum aliquo casu, vt pater, & filius, dominus & seruus. Et hæc quę referuntur cum aliquo casu, quædam referuntur cum casu gignendi sicut dominus, & seruus, & alia cum casu auferendi, vt scibile, & scientia: dicimus enim scibile esse scientia scibile referuntur etiam alia cum aliis casibus. Quarta diuisio est. Relata quædam sunt eiusdem nominis, vt simile vel dissimile, nam duo parietes candidi habent idem nomen similitudinis: alia vero sunt diuersorum nominum, vt pater, & filius, magister, & discipulus. Relata prioris generis vocantur à veteribus relata æquiparantiæ: posteriores vero relata disquiparantiæ nuncupantur. Quinta diuisio relata quædam sunt mutua, & alia non mutua. Mutua sunt illa quæ eiusdem sunt ordinis inter quæ intercedit mutua dependentia, vt sunt dominus, & seruus, non mutua vero illa vocantur inter quæ non est mutua dependentia, sed vnum dependet ab altero, non tamen è conuerso, sicut scientia & scibile: nam scientia dependet à scibili, at vero scibile non dependet à scientia. Sexta diuisio. Relata quædam sunt per se, & alia per accidens, per se dicuntur vel ratione sui, vel ratione suis generis, ratione sui, sicut pater & filius, ratione sui generis, vt medicina quæ ex eo dicitur relata quia scientia, quæ est suum genus dicitur relatum. Per accidens relata nuncupantur, subiecta affecta forma relata, sicut homo qui afficitur paternitate, vel filiatione est relatus per accidens.

2. obseruatio.

1. Diuisio.

2. Diuisio.

3. Diuisio.

4. Diuisio.

5. Diuisio.

6. Diuisio.

A 3. His diuisionibus statutis explicanda sunt nomina illa proposita. Relata imprimis sunt illa quæ à relatione talia dicuntur, nimirum quæ à relatione ad alia referuntur vt pater, & filius, dominus & seruus magister & discipulus: etenim hi omnes à relatione paternitatis, vel dominij, vel magisterij, patres, domini & magistri nuncupantur. Correlatum autem illud dicitur quod relato ex altera parte correspondet, vt pater est correlatum filij, & magister discipuli, quia filio ex altera parte correspondet pater, & magister discipulo. Extremũ vocatur subiectum quod afficitur aliqua relatione, vt in relatione patris ad filium Petrus qui afficitur relatione paternitatis, & Iacobus, qui afficitur relatione filiationis, dicuntur extrema relata, hoc tamen intelligi debet non tantum de subiecto quod, sed etiam de subiecto quo, vel de subiecto denominationis, nam duæ quantitates æquales sunt extrema relationis æqualitatis, quæ non sunt subiecta quibus insit æqualitas, sed quibus mediis hæc relatio substantiæ inhærear,

3. Obseruatio.

reat, vel sunt subiecta quæ ab æqualitate æqualia denominantur. Fundamentum illud est quod est causa ob quam extremum, vel subiectum ad aliud referatur, vt quantitas est fundamentum æqualitatis, nam est causa ob quam Petrus & Paulus qui sunt æquales inter se referantur, hęc autem fundamenta per varias catego. sese diffundunt, vt postea de his fundamẽtis agentes explicabimus. Modus fundandi, vel (vt alij dicũt) fundamentum proximum est cõditio sine qua non relatio nequit sequi suum fundamẽtum, vt in æqualitate, & similitudine, vnitas specifica est modus fundandi, neque enim æqualitas potest sequi quantitatem neque similitudo qualitatem nisi intercesserit vnitas specifica inter quã titates æquales, & qualitates similes. Termin' vero dicitur illud ad quod relatum directe per se, & primo refertur, vt filius est terminus patris, & discipulus magistri, quia pater primo fertur in filium, & magister in discipulum.

A. 4. Vtitur in explicatione huius categoriæ nomine plurali dicẽs, *Relata dicuntur*, vel vt vertit Perionius, *Ea quæ cum aliquo conferuntur*, quia proprium est huius categorię, vt inter duo extrema versetur, atqita nisi plura fuerint, non poterunt dici relata, quemadmodum optime fuit à Porphyrio in interrogatio. circa hoc cap. animaduersum. Nonnulla alia quæ circa caput istud poterant obseruari in quæstionibus proponentur.

Disputatio de Relatis in tres Sectiones distributa.

ARGVMENTVM.

QVAM sit hæc de Relatis disputatio Philosophis & Theologis necessaria norunt illi qui in vtraque Philosophia prima, & naturali, & in sacra Theologia progressus aliquos fecerunt. Atque ita venia nobis erit concedenda, si fusius disputationem hanc quam superiores explicemus. Partiemur autem illam in tres partes, in quarum prima de natura & proprietatibus illius, in secunda de fundamentis quibus relationes omnes innituntur, & tandem in vltima de terminis in quos feruntur differemus, sic enim fiet vt totam hanc disputationem omnibus suis numeris absolutam proponamus.

Sect. I.

Sect. I. in cap. de Relatis, quæstio prima, An optima methodo egerit Arist. de relatis prius quam de qualitate.

VT ab ordine has quęstiones aspicemur, quærimus num ante qualitatem recte prius de relatis disseruerit, & quidem agendum esse
1. argu. prius de qualitate confirmo primo. Aristoteles diuidens in Antecatego. ens in decem categorias, prius recen suit qualitatem, quam relationem, 5. etiam lib. Metaphysi. prius egit de qualitate quã de relatione, ergo methodo naturæ prius agendum erat de qualitate quam de relatione. Deinde:
2. Arg. Fundamentum prius natura est relatione: sed qualitas est fundametum relationis similitudinis, vel dissimilitudinis, ergo prius debuit de qualitate agi, quam de relatione.

1. Opin. In hac quæstione explicanda est prima opinio Ammonij, & Louaniẽ. qui putant methodo arbitraria, siue prudentię agi prius debuisse de relatione, quam de qualitate, methodo vero naturæ prius agendum fuisse de qualitate quam de relatione.

2. Opi. Alij tamen vt Simplicius, Porph. & Boetius arbitrantur vtraque methodo esse prius agendum de relatione quam de qualitate, quam opinionem nos tanquam veram amplectimur. Vt igitur illam explicemus, sit prima conclusio.

1. Cone. Methodo arbitraria & prudentię, agendum est prius de relatione quã de qualitate. Confirmatur. Arist. in superiori catego. dum explicaret primam proprietatem quantitatis fecit mentionem relatorum, agens de magno & paruo, igitur methodo prudentiæ seruata, ne diutius tenerentur animi audientium suspensi, nõ intelligẽtes quid sit relatio, post prę fatam categoriam quãtitatis statim merito agendum fuit de categoria relationis prius quam de categoria qualitatis.

2. Cone. Secunda conclusio. Non solum methodo arbitraria, verumetiam methodo naturæ agi debuit prius de relatione, quam de qualitate. Cõfirmatur primo. Methodo naturæ de illis prius agendum est, quę sunt priora: sed relatio à toto genere est prior qualitate: ergo agendum fuit de ipsa prius quam de qualitate. Cõfirmatur assumptio. Inter accidentia illa sunt priora quę sunt vicinio ra, & intimiora substantiæ: sed relatio est vicinior, & intimior substantiæ, quã sit qualitas, ergo est prior. Confirmatur assumptio. Substantia eo ipso quo est substantia antequam in ea intelliganturqualitates, vel est eadem, vel diuersa cum aliquo ente, sed idemptitas, & diuersitas sunt quædam relationes, & prædicamẽta e (iuxta aliquos) intimior igitur & vicinior est relatio ipsi substantię quam qualitas. Deinde. Quãtitas est prior natura qualitate: sed in quantitate immediate fundatur relatio æqualitatis vel inæqualitatis, ergo relatio erit prior qualitate.

Ad 1. argumen. Ad argumenta vero. Ad primum negamus consequentiam, quia Aristo. in rebus explicandis non semper obseruabit methodum naturę, sed interdum sequutus est methodum, & ordinem dignitatis ea prius tractans quæ nobiliora sunt. Egit itaq. aliis in locis de qualitate prius quam de relatione iuxta methodũ, & ordinem dignitatis, quia qualitas dignior

Universidad de Deusto
Biblioteca

dignior est relatione, cum relatio minimæ entitatis sit inter cætera omnia entia. Ad secũdum admittimus aliquam relationem (vt similitudinis v.g.) esse posteriorem qualitate, hinc tñ non sit relationem omnem esse illa posteriorem, quamuis enim relatio similitudinis vt diximus sit posterior, dantur nihilominus pleræque relationes, sicut relatio eiusdem, & diuersi in substantia: æqualis, & inæqualis in quantitate, quæ priores sunt omni qualitate. Vnde relatio à toto genere (vt aiunt) prior natura erit ipsa qualitate, & ita non methodo solum doctrinæ, & arbitraria: verum etiam methodo naturæ agendum erit prius de relatione quã de qualitate.

Ad 2.

QVAEST. II. SIT NE RELATIO ens rei, uel rationis.

PArtem negantem nimirum nullã dari relationem rei, sed omnem esse rationis his argumentis possumus demonstrare. Primo. Quæ habent esse beneficio intellectus sunt entia rationis: at relatio est huiusmodi: nam est comparatio, comparatio autem actio est intellectus erit igitur relatio ens rationis. Secũdo. Nullum ens rei potest alicui aduenire absque subiecti mutatione: sed relatio aduenit subiecto absque illius mutatione, vt auctor est Arist. 5. physico. ca. 2. ergo nulla relatio erit ens rei. Tertio. Omne ens rei, quod de nouo oritur non potest alia ratione quam per actionem ad se terminatam de nouo oriri: sed relatio non oritur per actionem ad se terminatam, quia ad relationem non est per se motus, vt auctor est Arist. in eodem 5. lib. physico. cap. 2. iam ergo relatio non erit ens reale. Præterea sigillatim hoc ipsum confirmemus de relatis primi, secundi, & tertij generis, non esse illa entia rei, imprimisque de relatis primi generis. Hęc fundantur in vnitate communi, & vniuersa, vt æqualitas in vnitate specifica duarum quantitatum, & similitudo in vnitate specifica duarum qualitatum: sed vnitas communis, & vniuersa est ens rationis: ergo relata primi generis erunt entia rationis. Præterea de relatis secundi generis idipsum ita confirmamus. Relata huius generis fundantur in actione præterita, vt relatio paternitatis in actione præterita generandi: sed actio præterita est ens rationis, quia iam non est: ergo fundamentum relatorum huius generis, erit ens rationis, ac proinde hæc relata erunt entia rationis. Iam de relatis tertij generis hoc ipsum confirma. Relatio quę est entis ad non ens est relatio rationis, sed aliquando relatio tertij generis est entis ad non ens, vt est relatio scientiæ de rosa ad rosam quæ non est, & dialecticæ ad ens rationis quod nõ est à parte rei ergo &c. Ad extremum confirmatur in genere de omnib⁹ relatis. Omne ens rei vel est per se vel in alio, sed relatio neque est per se: quia non est substantia, neq. in alio, quia propria ratio relationis non est esse in subiecto sed referri ad terminum: ergo relatio non erit ens reale.

3. Argu.

2. Arg.

1. Arg.

4. argu.

5. Arg.

Vlti⁹ argum.

Multi ex veteribus Philosophis vt Stoici, & alij, quemadmodum Ammo. & Simpli. in commenta. huius loci testantur, existimarunt nullam dari relationem rei, sed omnem relationem constare tantum beneficio, & ope intellectus rem vnam, ad alteram comparantis. Eandẽ sequuti fuerunt deinde quidam alij Philosophi, vt Auicenna lib. 3. metaphy. & Auerroes lib. 12 commenta. 19 profitentur quã obliuioni iam penitus tradi-

Vni⁹ opinio.

traditam Aureolus apud Capreolũ fuit amplexus.

Sit tamen pro explicatione prima conclusio. Non sunt omnes quotquot sũt relationes rationis, sed plæreque ex illis sunt reales, quæ nimirum habent esse à parte rei præter omnem operationem intellectus. Profitentur hanc ex Græcis Simplicius Ammonius, & Porphy. in commenta. huius loci, ex Arabibus Auicenna, & Auerroes vbi supra ex latinis D. Tho. 1. p. 13. art. 7. q. 28. art. 1. in 1. dist. 26. quæs. 2. art. 1. Bea. Albert. Mag. cap. 1. huius catego. Scotus in 2. dist. 1. q. 5. Theologi fere omnes quidam in hoc loco, & alij in 1. dist. 33. & metaphy. Soncinas, Flandren. Iauellus, Suesanus Aquarius, Andreas, & alij in lib. 5. metaphy. cap. 15. Et confirmatur his argu. Primũ. Nullum ens rationis habet esse præter operationem intellectus: sed dantur multæ relationes quæ habent esse præter omnem operationem intellectus, vt relationes simpli, & dupli, patris & filij, discipuli & magistri ergo nõ omnes relationes erunt rationis, sed alique erunt entia rei. Secundo. Aliquæ relationes considerãtur per se in scientiis realibus, ergo aliquæ illarum erunt entia rei. Consequentia est perspicua cõfirmatur antecedens, de Arithmetica, quæ cõsiderat proportiones numerorum, & de Geometria quæ proportiones figurarum contemplatur, quæ certè proportiones sunt quædam relationes. Præterea. Relatio est quoddam genus entis contentum sub ente diuisio in decem categorias: sed ens diuisum in catego. est ens rei: ergo aliqua relatio erit ens rei. Vltimo. Nullum ens rationis spectat ad decorem vniuersi, quia cessante actione intellectus illico euanescit ens rationis: at nondum labitur perfectio vniuersi: sed aliqua relatio spectat ad decorem, & perfectionem vniuersi, nimirum ordo, qui inter partes illius intercedit, vtpote inter corpora, superiora, & infera, inter orbes cœlestes, & inter elementa inter se, vt auctor est Arist. 12. metaphysico. cap. vlti. erit ergo aliqua relatio rei, & nõ omnes erunt rationis.

1. Con.

1. Arg.

2. Arg.

Vlti⁹ argum.

Secunda conclusio. Non omnes relationes sunt reales, sed dantur aliquæ rationis. Hanc omnes Philosophi in superiori conclusione recensiti profitentur, quæ confirmatur in primis. Quia sunt multę relationes, quæ consequuntur tantum actionẽ intellectus, vt subiectum, & attributum, genus, & species, at quidquid cõsequitur actionem intellectus est ens rationis. Deinde quia illæ vocari debent relationes rationis, quę nõ consequuntur rem ipsam ex natura fundamenti: at dantur multæ relationes, quæ non consequuntur rem ex natura fundamenti, vt sunt relationes generis ad speciẽ, & speciei ad genus, nam positis v. g. animali, & homine, nondum sequitur relatio generis ad speciem, & speciei ad genus, nisi accedat actio intellectus agentis, vel patibilis, erunt igitur aliquæ relationes rationis.

2. Conc.

Tertia conclusio. Optime diuiditur relatio in communi in relationem rei, & rationis. Hæc sequitur ex superioribus, in quibus diximus dari quasdam relationes rei, & alias rationis. Cõfirmaturq. potest, quia omnis relatio vel consequitur rem ex natura fundamenti, vel actionẽ intellectus, si fuerit prioris generis est relatio rei, si alterius posterioris est rationis, ergo omnis relatio vel erit rei, vel rationis. Animaduertendum est tamen hanc nonesse diuisionem vniuoci in vniuocata, sed analogi in analogata, quia enti rei, & rationis tãtum potest esse aliquid commune analogum.

3. Conc.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Requisita ad rel. rei.

Quæret tamen aliquis quæ requirantur ad relationem rei, & quæ ad relationem rationis. Respon. in primis ad relationem rei hæc omnia requiri, primo vt extrema sint realia, & realiter distincta. Diximus vt sint realia, quia si fuerint entia rationis, non poterit relatio realis inter illa interuenire: vnde inter genus & & speciem cum sint extrema rationis, non intercedet relatio rei. Præterea diximus debere illa esse realiter distincta, idque propter hanc rationem, quia relatio est oppositio, at oppositio tantum intercedit inter extrema reipsa distincta, eiusdē enim ad seipsum nulla potest esse oppositio. Requiritur secundo vt extrema 2. sint eiusdem ordinis, nam si fuerint diuersi, quamuis vtrumque sit ens rei, & ab altero realiter distinctum, non intercedet ex parte vnius extremi relatio rei: ex parte s. illius quod est ordinis superi. vnde quāuis creator, & creatura sint extrema realia, & realiter distincta, quia tamen non sunt eiusdem ordinis, propterea ex parte creatoris nulla interueniet relatio realis ad creaturas: & in omnibus relatis tertij generis exparte mē suræ nō interueniet vlla relatio realis ad mensurabile, quia māsura est alterius ordinis à re mensurabili. Tertio requiritur vt fundamenta 3 sint realia, & realiter distincta, quod docet D. Tho. 1. p. q. 28. art. 4. ad 4. & q. 42. art. 1. ad 4. Vnde si eadem albedo numero esset in duobus hominibus, similitudo quæ inter illos interueniret, non esset relatio rei, sed rationis, quia albedo quæ est fundamentum non esset realiter distincta in his duobus extremis. Vnde colligit. D. Tho. æqualitatem, & similitudinem in diuinis nō esse relationes rei, sed rationis, quia natura diuina quæ est fundamentum similitudinis est eadem numero in tribus personis.

Iam relationem rationis hæc alia constituunt. Primum. Si extrema relata non fuerint realia, vel realiter distincta. Vnde inter genus & speciem erit relatio rationis, quia extrema non sun realia, & eiusdem quoque ad seipsum erit relatio rationis, quia idem non differt realiter a seipso. Secundum. Si fundamentum relationis fuerit vnum, & idem in extremis relatis, atque ita in diuinis relatio similitudinis & æqualitatis est rationis, quia fundamentum (quod est natura diuina) est vnum, & idem in tribus personis. Tertium. Si alterum extremum fuerit ordinis superioris, nam ex parte illius tantum erit ad suum correlatum relatio rationis: & ita creatoris ad creaturam erit relatio rationis, quia creator qui est alterum extremum relationis, est ordinis superioris. Quartum. Si vtrumque, vel alterum extremū, non fuerit in rerum natura, & ita Adami, ad Antechristum futurū, est relatio rationis, quia neutrum illorū extremorum est in rerum natura, & relatio præsentis, vel præteriti ad futurum erit relatio rationis, quia alterum extremum scilicet vel præteritum, vel futurum, non est in rerū natura. Quintum. Si fundamentū proximum nō fuerit à parte rei, sed solum habuerit esse ope, ac beneficio intellectus: vnde relatio subiecti ad attributum, generis ad speciē erunt relationes rationis, quia earū fundamentum non est à parte rei, sed est actio solius intellectus agentis vel patibilis, denudantis naturā à phantas. vel eam ad aliud cōparā.

Requisita ad relatio rationis. 1. 2. 3. 4. 5.

Sequitur iam vt argumentis in principio effectis occuramus. Ad primum respon. falsam esse assumptionem: nam comparatio non significat hoc loco actionē intellectus comparantis, sed habitudinem vnius ad alterum quę certe in quamplurimis à parte rei & extra operationem intelle-

Ad 1. argumen.

Ad 2. tellectus reperitur. Ad secundum respon. distinguendo maiorem propositionem, quia vel illud ens rei quod aduenit est relatum, vel absolutum: si fuerit relatum falsa est propositio, potest siquidem absque vlla subiecti mutatione rei aduenire: si vero fuerit absolutum vera est

Ad 3. propositio: Verum relatio non continetur sub hoc genere entis. Ad tertium respon. duplicem esse terminū qui de nouo oritur, vnum qui primo, & per se, & alterum qui secundario, & ex consequenti oritur: terminus igitur qui primo, & per se oritur, debet oriri per actionem ad se terminatam: ille vero qui oritur secundario, non oritur per actionem ad se, sed ad aliud terminatam: quē admodum proprietates quæ secundario oriuntur non oriuntur per actionem ad se, sed ad subiectum earum terminatam: relationes autem non oriuntur primo, & per se, sed secundario, & ex cōsequenti, ac proinde non orientur per actionem ad se, sed ad ipsarum fundamentum terminatam: Vnde relatio similitudinis orietur per actionem ad albedinem quæ est illius fundamentū terminatam. Ad quartum respon impri-

Ad 1. de rela. 1. Gene. mis de relatis primi generis, fundamentum illorum esse duplex, remotum vnum, alterum proximum, remotum est quantitas, vel qualitas, vel alia categ. proximum autem est vnitas specifica in quantitate, vel qualitate Quamuis igitur admitteremus fundamentum proximū esse ens rationis, non propterea erunthę relationes entis rationis, quia primum, & remotum fundamentum à quo sortiūtur entitatem est ens rei. Vel dicimus dupliçem esse vnitatē specificam, vnam positiuam, & alteram negatiuam, vel per conformitatem. Prima illa est ens rationis, cum beneficio solius intellectus constet: altera vero est ens reiat fundamentum harum relationum non est vnitas positiua, sed negatiua, ac proinde erunt illa entia rei. Ad secū dum de relatis secundis generis dici mus duplex esse fundamentum relationis, vnum proximū, & alterum remotum, inter quę hoc interest, quia ad fundamentum proximū (vel modum fundandi) tantum requiritur vt actu sit, non autem vt conseruetur, quod alij dicunt esse necessariū ad relationem in fieri, non autem in facto esse: fundamentum vero remotum & primum non solū est necessarium ad relationem vt illa sit, verū etiam vt conseruetur, atque permaneat, quod alij dicunt requiri ad relationem in fieri, & in facto esse. Dicimus igitur ad argu. propositionē esse veram de fundamento remoto quod est necessarium ad relationēin fieri, nō autem in facto esse. Cæterū fundamentum remotum non est actio generandi, sed facultas generandi, quæ certe nulla ratione euanescit, neque nullo modo perit, licet actio ipsa pereat, imo perseueratin eodem subiecto, et ita relatio pater nitatis erit ens rei. Ad tertium de relatis tertij generis respon. cum M. Medina 1. p. q. 13. art. 7. in manu scriptis commen. nomen, vel ens rationis esse duplex, nam vnum est quod nullo modo natum est per se moue re intellectum ad aliquam veritatē consequendam, vel aliquam in ipso imprimere intellectilem speciem: alterum vero quod aptum est hoc vtrumque prestare in ipso intellectu, quod quidem hac ratione aptum erit mensurare intellectum respectu alicuius veritatis. Vnde non ens, at que ens rationis primo modo, nequeunt terminare relationem rei, vt chimera, & quælibet mōstra quæ ab intellectu effingi possunt: secundo autem modo optime quidem id

Ad 2.

Ad 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsum possunt, rosa namq. illa, quę non est, cum relinquat speciem sui impressam in intellectu, qua media illum mouere apta est ad aliquam veritatem de seipsa cognoscendam, optime potest esse terminus relationis scientiæ ad ipsam, quod idem iudicium de ente rationis proculdubio ferendum est. Ad vltimum respon. diuisionem illam entis, in ens per se, & in alio esse tantũ entis rei, & non entis, quod est commune ad hæc duo membra, atque ita si agamus de relatione in communi, vt ambit relationẽ rei, & rationis, sub nullo ex his membris continebitur: si vero loquamur de relatione rei dicimus illam sub altero membro, scilicet sub ente in alio contineri. Nec tantum illa habet hoc quod est referri ad aliud, sed præter hanc habitudinem denotat etiam habitudinem ad subiectum, quæ exprimitur nomine eius quod est esse in alio: vnde differet ab aliis categoriis accidentium, quia aliæ & in communi, & in propria ratione, solam denotãt habitudinem ad subiectum, relatio vero præter habitudinem ad illud, denotat aliam ad terminum.

Ad vlt.

QVAESTIO III: AN DENTUR RELATIONES RATIONIS À PARTE REI ABSQUE OPERATIONE INTELLECTUS.

IN quæstione superiori diximus dari præter relationes rei, quasdam alias rationis. Quærimus igitur num hæ relationes sint à parte rei præter omnem operationem intellectus, necne? Et quidem dari à parte rei his argumentis possumus suadere. Primum, Paries ante omnẽ operationem intellectus est visus, sed parietem esse visum est relationis, ergo dantur relationes rationis ante omnem operationem intellectus. Secundum. Ante omnem operationem intellectus Deus est dominus: sed Deum esse dominum est relatio rationis, quod fatentur omnes Theologi, præsertimque D. Tho. 1. par. q. 13. arti. 7. & 2. lib. contra gen. cap. 12. ergo dantur relationes rationis ante operationem intellectus. Tertium. Voluntas potest referre rem aliquam studiosam ad aliquem finem imperfectum, vt volũtas hypocritæ referre potest aliqua opera studiosa, ad id vt ex illis captet auram popularem, ergo iam dãtur per actionem voluntatis aliquę relationes rationis, & non erunt omnes per intellectum. Quartum. Vniuersum formale est ens rationis, sed vniuersum formale habet esse per operationem intellectus agentis: saltim igitur non per intellectum patibilem, verumetiam per agentem dabitur relatio rationis.

1. Arg.

2. Argu.

3. Arg.

4. Arg.

Scotus 1. lib. senten. dist. 45. censet dari multas relationes rationis præter omnem operationem intellectus, cuiusmodi est relatio parietis visi ad oculum videntem, & relatio amati ad voluntatem amantem: vnde inquit non solum per actionẽ intellectus, verum etiam per actionem aliarum potẽtiarum, etiam sensitiuarum, vt sensuum externorum ac memoriæ, & per actionem quoq. voluntatis, poterũt produci relationis rationis. Quam sententiam sequuti sunt multi Thomistæ, è quorum numero fuit institutor noster Medina 3. p. q. 35. art. 5. & 1 p. q. 13. art. 7. & eidem M. Bañes in hoc eodem loco ad hæsit. Adnotabat autem M. Medina in huius opin. explica. esse quatuor genera entium rationis, quædam enim sunt quæ nullum habent fundamentum in re, vt sunt chimeræ, & monstra animi: alia quæ fundamentum quidem habent in re, est tamen illud in eadem re denominata, cuiusmodi sunt relationes subiecti, & attributi, generis & speciei, nam animal quod denominatur genus, est fundamentum relationis genericæ: alia præterea sunt quorum fundamentum à parte rei est, non tamen reperitur illud in re denominata, sed in aliqua facultate, & potentia naturali, sicut relatio parietis visi ad oculum videntem, habent namque illa fundamentum à parte rei, illud nihilominus non est in pariete, qui denominatur visus, sed in potentia videndi, oculo nimirum, actio quippe oculi est huiusmodi relationis fundmentum: alia denique sunt quæ ex eo dicuntur entia rationis, quia sunt priuationes, aut negationes entiũ rei, vt cæcitas quæ priuat animal visu, & non homo quod est negatio hominis. Inquit ergo entia rationis primi, & secundi generis, tantum habere esse per operationem intellectus, quæ autem sunt tertij, & quarti generis, habere esse præter illam, & quia plereque relationes rationis continentur sub ente rationis tertij generis, proinde quamplurimæ relationes rationis erunt (eius iudicio) à parte rei præter omnem operationem intellectus. Hanc eandem opinionem antea sequutus fuerat Iauellus 10. lib. metaph. q. 10. Secunda opinio est aliorum Philosophorum existimantium nullam relationem rationis habere esse præter operationem intellectus, & à parte rei, sed quamlibet habere esse formaliter & secundum essentiam per operationem intellectus. Quam opinionem amplexus fuit Caietan. 1. q. 28. artic. 1. Soncinas 4. lib. Metaphy. q. 21. & 6. qu. 18. Ferrarien. 2. contra gentes cap. 11. quam opinionem nos multo veriorem iudicamus, in cuius explicationem has subijcimus assertiones.

1. Opin.

Obser. Medin.

2. opin.

Prima assertio. Relationes rationis fundamentaliter sunt à parte rei præter omnem operationem intellectũ. Hæc assertio aperta est apud omnes Philosophos, fundamenta etenim relationum, & cæterorum entium rationis sunt entia rei: at entia rei à parte rei esse præter omnem operationem intellectus, quis in dubium vertet?

1. Conc.

Secunda assertio aduersus auctores primæ opinionis. Nulla relatio rationis sumpta formaliter & secundum essentiã habet esse à parte rei, & præter omnem operationem intellectus. Confirmatur his argumẽtis.

2. Conclusio.

Primum est. Relationes rationis formaliter & secundum essentiam sunt entia rationis: sed nullum ens rationis sumptum formaliter, & secundum essentiam habet esse præter operationem intellectus, illius enim essentia iuxta omnes Philosophos est habere esse per intellectum, vt docuimus Sect. 3. de vniuersis q. 1. & 2. de ipso disputantes: nulla igitur relatio rationis habet esse præter operationẽ intellectus. Deinde. Omnis relatio & habitudo competit rebus, vel ex natura rei, quemadmodum relatio patris ad filiũ: vel per intellectum eisdem adaptatur, sicuti relatio subiecti ad attributum: at relatio rationis non competit rebus exnatura rei, omnis enim (id genus) relatio, est relatio rei: competet igitur rebus per intellectum, & ita non dabuntur relationes rationis præter operationem intellectus. Huius argumẽtationis propositiones apertissimæ sunt apud omnes, quæ etiã fuere traditæ à D. Thoma propositio 1. p. q. 28. art. 1. assumptio autem in eadem p. q. 13. artic. 7. Præterea. In hac attributione paries est visus, (aliisq. huius generis) attribuimus subiecto relationem rationis, attributum enim est quædam entitas se

1. Argu.

2. Arg.

3. Arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cundum rationem, in hac inquam verbum est, neque indicat essentiã, neque existentiam, quia ens rationis nullam habet existentiam in subiecto, sed significat veritatem propositionis, quemadmodum docuit Aristo. 6. metaphy. cap. vltimo: sed veritas propositionis tantum habet esse per intellectum, vt in eodem loco auctor est Arist, & in lib. Perhyermc. cap. 1. ergo parietem esse visum tantum habebit esse per operationẽ intellectus, & ita relationes rationis non conuenient rebus à parte rei.

Vltimũ argum.

Vltimo confirmatur auctoritate D. Tho. qui nullibi docet relationem rationis habere esse præter operationem intellectus, & in 1 p. q. 13. iã citata expresse fatetur relationem rationis per solam intellectus actionem habere esse.

1. Obserua.

Nostra igitur sententia explicata reliquum est, vt argumenta dissoluamus, offerunt se tamen duo nobis antequam id præstemus, animaduertenda. Primum est in relatis tertij generis quædam vocari relata non quia referantur ad alia, sed ex eo quia alia referantur ad ipsa, quẽadmodum scibile est relatum scientiæ non quia referatur ad illam, sed potius quia scientia ipsa refertur ad scibile. Verba ista expresse habẽtur ab Arist 5. lib. metaph. cap. 15.

2. Obserua.

Deinde animaduertendũ est duobus modis posse aliqua vocari relata, vno modo relatatiue, & altero terminatiue, relata terminatiue vocantur quæ terminant relationem aliorum ad se, qua ratione scibile est relatum terminatiue, quia terminat relationem scientiæ ad se. illa autem relata relatiue nuncupantur, quæ media aliqua alia relatione ad alia referuntur, & non tantum quia terminant relationem aliorum ad se. Hanc distinctionem egregie explicat Ferrariensis loco citato.

Iam ad solutionem argumen. accedamus. Ad primum distinguimus propositionem, potest enim paries esse visus ante operationem intellectus, vel terminatiue, quia scilicet terminat actionem videndi, vel relatiue, quia nimirum ad visum refertur per aliquam relationem. Paries igitur ante operationem intellectus est visus terminatiue, quia actio videndi terminatur ad illum, non tamẽ est visus relatiue eo quod referatur per aliquam relationem ad facultatem videndi, hoc enim tãtum consequitur beneficio intellectus. Ad secundum respond. eodem modo Deum ante operationem intellectus esse dominum, non relatiue, quasi per aliquam relationem rationis referatur ad creaturam, sed esse dominum terminatiue, quia ante operationem intellectus terminat relationem creaturæ ad se. Ad tertium dicimus huiusmodi actiones voluntatis antequam intellectus operetur aliquid circa illas, tantum esse relationes fundamentaliter, deinde vero aduenientе actione intellectus fiunt relatio. formaliter. Ad quartum admittimus ipsum totum, neque enim aliquid cõtra nos concludit, cum nõ docuerimus per solum intellectum patibilem dari relationes rationis. Admittimus enim etiam per agentem dari relationes, & entia rationis, vt Sect. 2. de rebus vniuersis. q. 1. & 2. docebamus.

Ad 1. argumen.

Ad 2.

Ad 3.

Ad 4.

QVAESTIO IIII. AN RELATIO CONSTITUAT PECULIAREM CATEGORIAM AB ALIIS DISTINCTAM.

ET quidem non constituere cõfirmatur primo, quia relatio confunditur & permiscetur cum omnibus categoriis, nam relatio æqualitatis &

tis & inæqualitatis permiscetur cum quantitate, & relatio similitudinis aut dissimilitudinis cum qualitate, & sic de aliis: at id quod permiscetur cum aliis catego. non constituit peculiarem categor. ergo, &c. Deinde

2. Arg.

quod est cõe enti rei, & rationis non constituit peculiarem catego. sed relatio est communis enti rei, & rationis, nam ex relationibus quædam sunt rei, & aliæ rationis: ergo relatio non constituet peculiarem categoriam. Assumptio aperta est propositio vero ex eo cõfirmari potest, quia enti rei, & rationis nihil est commune vniuocum: at omne genus supremum catego. denotat naturam aliquam vniuocam. Præterea. Relatio

3. Argu.

continetur in conceptu formali aliarum catego. ergo non constituet peculiarem catego. consequen perspicua est, antecedens ita confirmam⁹. Imprimisque in omnibus accidentibus esse inclusam in cenceptu formali constat, quia omnia denotant habitudinem ad subiectum, omnia enim denotant inhærentiam aptitudinalem. In substantiis vero confirmatur: quia forma denotat habitudinem ad materiam, & differentia ad genus cuius est qualitas, includetur igitur in conceptu vltimo omnium differen. aliarum catego. Vlti.

4. Arg.

Si in hac catego. esset aliquod genus supremum constituendum, cum sit catego. relatorum, haberet illud aliquod correlatum, nam omni relato correspondet aliquod correlatum, vnde fieret vt in hac catego. darentur duo genera suprema, quod certe non videtur admittendum.

1. opin.

Stoici (vt Zeno) & alij (quemadmodum hoc loco refert B. Albert. Mag.) existimarunt relata non constituere peculiarem aliquam categoriam vel particulare aliquod genus entis, sed esse illa per omnes catego. ac rerum genera diffundere, cum omnibusque confundi, & permisceri. At contra Arist. Plato, Academici omnes, & Peripatetici constituũt relata constituere peculiarem aliquã catego. ab aliis catego. separatã. Quorum opinionẽ his assertionibus explicamus earum prima sit.

1. Conclusio.

Relatio constituit peculiarem catego. ab aliis omnibus catego. distinctam. Confirmatur primo. Particulares modi essendi constituunt peculiares catego. sed relata habent ac constituunt peculiarem modum essendi distinctum à modis essendi aliatum catego. vt substantiæ quantitatis &c. nam substantia est per se, quantitãs, & qualitas in propriis rationibus sunt in alio: relatio vero est ad aliud: ergo constituet catego. peculiarem ab aliis categ. distinctã.

1. Arg.

Secundum. Diuersæ catego. ex diuersis modis prædicandi de prima substantia colligũtur: sed relatio diuerso modo prædicatur de prima substantia, quam aliæ catego. nam ex aliis substãtia prędicatur in quid de illa, quantitas, & qualitas accidẽtario, quantitas veluti mẽsura, qualitas veluti affectio, relatio vero veluti referens ipsam primam substantiam ad suum terminum: ergo relatio constituet peculiarem quandã catego.

2. argu.

Secunda conclu. In hac catego. cõ

2. Con.

stituẽdum est aliquod genus supremum. Confirmatur quia in omnibus aliis catego. constituendum est

1. Argu.

genus aliquod supremum: ergo & in hac etiam debet illud cõstitui. Se

2. Argu.

cundo quia in omni catego. debent omnia ad vnum reuocari nam est similis familiæ in qua omnia ad vnũ caput reuocantur vt auctor est Porphy. in cap. de specie: sed illud vnũ est genus supremum, ergo in qualibet catego. (ac proinde & in hac relatorum) erit genus aliquod supremum collocandum.

3. Conc. Tertia conclu. Sub hoc genere supremo neque relationes infinitæ, neque relationes rationis, sed solæ relationes rei, & finitæ continentur, itaq. hæc catego. significabit esse ad cõtractum per esse reale, & finitũ. Confirmatur quia in categ. sola entia finita & rei collocantur vt iã supra in antecatego. cap. 6. sectio. 2. q. 5. admonimus. Vnde colligimus relationes diuinas non contineri in hac catego. quia sunt infinitæ. Colligimus secundo relationes rationis, vt subiecti ad attributum, generis ad speciem non cõtineri in eadem. Colligimus tertio relationem (quæ tantum denotat esse ad, qua ratione est communis ad realem & rationis, finitam & infinitam) esse naturam analogam: nã cum sit communis, & non secundum vniuocationem erit communis secundum analogiam. Quod si quis nobis obiiciat auctoritatem D. Tho. docentis 1. p. p. q. 28. art. 1. Proprium esse huius categoriæ vt in ea aliquid rationis cõtineatur Respon. erit D. Tho. nomine huius categorię intellexisse relationem in communi quæ tantum significat habitudinem ad terminũ, quæ est analoga ad relata rei & rationis, & non intellexisse hanc categoriam, quę tãtum significat ad reale. Legẽdi sunt Caieta. & interpretes in eo loco.

4. Conclusio. Quarta conclusio. Sub hoc genere supremo continentur varia genera intermedia, species infimæ, & individua. Genera intermedia petuntur ex diuersis fundamentis proximis, & modis fundandi, quæ sunt tria illa primi, secundi, & tertij generis. Primi quæ in quantitate, secũdi quæ in actione & passione, & tertij quæ in mensura & mensurabili fundantur. Species infimæ petuntur ex diuersis terminis in quos feruntur, vt relationes paternitatis, & similitudinis, specie differunt, quia filiatio, & similitudo quæ sunt termini illarum relationum, specie differunt sunt etiam relationes æquiparantiæ & disquiparantię, & alię. Individua vero sunt hæc relatio paternitatis, & illa similitudinis.

Ad argu. igitur quæ in initio proposuimus. Ad primum respon. relationem ratione fundamẽti sese diffundere per varias categorias, est enim ita exiguæ, & minimæ entitatis, vt ægeat aliquo fulciente ipsam in subiecto: Hinc tamen non colligitur illam permisceri, & confundi cum aliis catego. habet enim naturã ab aliis omnino distinctam. Quẽad modum materia prima fulcit etiam formam, quam suo sinu recipit, atque fouet, non tamen hinc fit vt forma confundatur cum materia, aut permisceatur cum ea, nam habent hæ duæ partes naturam omnino distinctam. Ad secundum dicimus relationem illam communẽ enti rei, & rationis, non contineri in hac catego. sed esse naturam quandam analogam. Quænam autem relatio constituat genus supremum huius catego. & quę sub ambitu illius comprehendantur in assertionibus exposui mus. Ad tertium respon. relationem hanc quæ continetur in conceptu aliarum catego. nõ esse illam de qua agimus in hoc loco, nimirum prędicamentalem, quæ fundatur in quantitate, qualitate, vel in aliquo accidente absoluto: sed esse transcendentem, quę fundatur in intimis rerum attributis, & essentiis, quæ non habet certam sedem sed per omnia rerum genera diuagatur. Ad vltimum respon. in hac catego tantum dari vnum genus supremum suo ambitu omnia relata cõprehendens. Neq; omni relato correspondet aliquod correlatum, hoc enim verum est in relationibus particularibus, & nõ in relatione communi.

Ad 1. argumen.

Ad 2.

Ad. 3.

Ad 4.

QVAE

QVAESTIO V. AN IN categoria Relationis sint duo genera suprema necne.

QVæstio (quam nunc examinandam proponimus) celebris est, & quę non parum splendorẽ ad hãc tractationem intelligendam poterit nobis conferre, cuius partem aientem (dari nimirũ duo genera suprema) his argu. possumus confirmare.

1. Arg. Primum. Arist. inscribit hanc categ. in numero plurali de relatis: præter ea tradit diffinitionem eorũ in numero plurali, quum ergo numerus pluralis significet multa, in hac catego. erunt duo saltim genera suprema, & non vnum. Deinde. Omnis

2. Arg. relatio habet aliquod paronymum seu denominatum: igitur & relatio quæ constituit genus supremum huius catego obtinere debet suum paronymum: sed omne parony. relatũ habet terminum: ergo in categ. duplex erit genus supre. Confirmatur. arg. Omni relato competit diffinitio relatorum: at in diffinitione relatorum exprimitur hoc, quod est habere terminum, diffiniuntur enim relata, quorum tota vis est referri ad aliud, in qua diffinitione per particulam, ad aliud, intelligi debet proculdubio terminus: ergo huic relato quod est genus supremum respon. aliud correlatum. Tertio Relatio in

3. Arg. communi confert subiecto relato aliquod esse: at non confert illi esse absolutum, fieret enim inde esse formam absolutam: conferet igitur aliquod esse relatum: at omne esse relatũ est ad aliud, vt docet Arist. idest ad terminũ: ergo relatio in communi constituens hanc catego. habebit terminum. Præterea. Omnis relatio

4. Arg. est habitudo inter duo extrema: sed vbi est habitudo duorum etiam debet esse & relatũ & terminus illius, scilicet correlatum: ergo in relatione quæ est genus supremum huius catego. erunt etiam relatum & correlatum, & ita non erit in ipsa vnicũ genus supremum, sed duo. Iam. Relatio numerica habet vnitatẽ à termino numerico, specifica à termino specifico, & generica à termino generico: at relatio quæ est genus supremum est relatio generica: ergo habebit terminum à quo sumat vnitatẽ genericam. Tandem. Relatio paternitatis habet terminum, relatio etiã domini) illo non caret, ac denique idem est de omnibus aliis: omnis igitur relatio habebit terminum, non igitur est quod ab hac generali regula excipi debeat relatio quæ constituit genus supremum huius categ.

5. Argu.

6. Arg.

Propter hæc & alia huius generis argu. multi recensiores (ijque grauissimi viri) docuerunt in hac catego. esse duo genera suprema constituẽda relatum nimirum, & correlatũ, genusque supremũ in se referri ad huiusmodi correlatum, vt pater ad filium, & magister ad discipulum. Hanc opin. ante eos docuerat Scotus q. 25. in Prædica. Arist. Communior tamẽ opinio est tantũ esse vnicum genus supremum, illudq. non habere aliquod correlatum, vel terminum in quem feratur, sed referri tantum in suis inferioribꝰ, & singularibus. Hanc aperte docuit D. August. in suis catego. c. 11. B. Alb. magnus 5. metap. tract. 3. c. 7. Iandu. in eodem 5. li b. q. 25. Venetus in 1. par. huius catego. fere in fine in solut. 3. & Scotus re (vt puto) melius inspecta, in 1. distin. 21. q. vnica multiq. alij, quos hoc loco missos facio.

1. opin. Scot.

2. opin. commu.

Hanc igitur sententiam (quam veriorem arbitramur) vt explicemus, animaduertimus cũ acutissimo Caieta. in commenta. huius loci, & 1. p. q. 40. arti. 4. & cum cõmuni scho

Obseru. notand.

la relationē sumi posse, aut in actu signato, aut in actu exercito, quod alij dicūt, aut vt conceptam, aut vt exercitam. Quæ diuisio non est ita intelligenda, quasi sint hæ duæ formæ relatiuæ inter se distinctæ, & separatæ, sed intelligi debet de forma & illius munere, vel vsu: relatio enim in actu signato aut concepta, significat formam, eadem vero in actu exercito, munus denotat referendi vnum ad alterum. Rursus relatio actu signato denotat formā in actu primo, & in habitudine actuali ad subiectum, relatio vero in actu exercito, denotat eandem formam in actu secundo, & in habitudine actuali ad terminum. Tandem relatio in actu signato, efficit extremum relatiuum nō relatum r. quod potest referri, & non quod actu refertur, in actu vero exercito efficit illud relatum, & non tantum relatiuū, quia actu refert illud ad termin.

Hoc animaduerso. Sit prima conclusio. Genus supremum huius categoriæ non habet terminū in quē referatur. Vbi animaduertēdum est, nomine generis supremi intelligendam esse relationem, quæ suo ambitu continet omnes relationes, nam hæc est ratio generis supremi, scilicet omnia continere. Confirmatur his argu. Relatio quæ est genus supremum continet omnes relationes sed quæ continet omnes relationes, non habet terminum in quem referatur: ergo genus supremum huius catego. non habebit terminum, in quem feratur. Propositio est aperta, cōfirmatur assumptio. Relatio quæ habet terminum in quem feratur, non continet illum, quia vnum oppositum non potest alterum continere: atqui relatum, & ipsius terminus opponuntur relatiue: ergo à cōtrario relatio illa, quæ continet omnes relationes, nullū habebit terminum in quem feratur. Deinde. Eodē modo se habet relatio in communi, vt se habet similitudo in cōi: at similitudo in communi ambiens omnia similia, nullum habet terminū, vt est ex se apertum: iam igitur neq. relatio in communi quæ constituit genus supremum categ. habebit terminum.

1. Conc.

2. Arg.

Secunda conclusio. In hac categoria non sunt constituenda duo genera suprema, sed vnicum dumtaxat. Confirma. imprimis ex superiori cōclusione. Si in hac catego. essent cōstituēda duo genera suprema ex eo esset, quia cum hęc categ. sit catego. relatorum, & omne relatum habeat terminum, debent etiam in hac catego. duo termini constitui supremi, qui inter se referantur: atqui probatum est in superiori conclusione nō omem relationem habere terminū in quem referatur non ergo constituenda erunt in hac catego. duo genera suprema. Deinde. Si in hac catego. essent duo genera suprema, sequeretur dari vndecim catego. entium rei: sed hoc repugnat Arist. decem tantum constituenti, ergo non erunt constituenda in hac categor. duo genera suprema. Confirmatur propos. Duo genera suprema duas constituūt categorias, ob hanc enim causam vocātur suprema, quia sunt capita aliquarum catego. ergo si in catego. relationis dantur duo genera suprema, dabuntur duæ categoriæ, & cum præter eas sint aliæ nouem erunt vndecim catego. entium rei. Quod si dicas non omnia genera suprema constituere diuersas catego, sed illa tantum quę habent diuersum modum prædicandi de prima substantia, & quia sola hæc duo genera suprema relatorum habent eundem modum prædicandi de illa ob hanc causam non constituent diuersas catego. Contra sic ago. Diuersa genera suprema differūt essentia, & diuerso modo prædicandi de prima substantia, quemadmodum quātitas, & qualitas differunt essentia, & diuerso modo prædicandi de illa, ergo si in catego. relationis dātur duo genera suprema, non poterunt illa obtinere eandem essentiam, & eundem modum prædicandi de prima substantia: si itaque dātur in hac catego. duo genera suprema, non vna illa erit, sed duæ potius, & ita non erunt ipsæ decem tantum sed vndecim. Vltimo. Illa nequeunt vocari genera suprema, quæ habent supra se naturam aliquam synonymam: at si darentur in catego. relationis duo correlata, haberent illa supra se naturam aliquam synonymā: ergo nequeunt dari duo genera suprema in hac categ. relatorum. Confirmatur assumptio. Si darentur duo correlata in hac catego. haberent illa supra se communem naturam relationis competentem ex æquo vtrique: ergo haberent communem naturam aliquam synonymam.

2. Arg.

Solutio.

Replic.

3. Argu.

3. Conc.

Tertia conclusio. Genus supremum huius catego. est relatio in actu signato, vel concepta, & non relatio in actu exercito. Hæc ex superioribus apertissime colligitur. Relatio in actu exercito habet terminum in quem feratur, idem enim est in actu exercito quod habere munus referendi vnum ad alterum: sed genus supremum huius categ. non habet terminum in quē feratur, vt dixi: nō igitur erit relatio in actu exercito: quod si non fuerit necessario erit relatio in actu signato, tantum enim potest relatio his duobus modis sumi, aut in actu exercito, aut in actu signato.

Nonnulla conse ctaria.

Ex his colligimus primo relationem, quæ est genus supremum in se non exercere actum referendi ad aliud, sed in suis inferioribus, vt in paternitate v. g. vel filiatione, quēadmodum similitudo in communi non exercet actum referendi ad aliud in se, sed in suis singularibus. Colligimus secundo relationem, vt est prius natura suis inferioribus, & singularibus non exercere actum referendi, ac prius natura esse, habere esse in singularibus quam habere huiusmodi actum. Etenim cum actus referendi tantum illi conueniat ratione suorum singularium, prius natura erit habere esse in singularibus, quam quod huiusmodi actum valeat exercere.

Ad 1. argumen.

Satisfaciamus iam argum. quæ in initio proposuimus. Ad primum respon. ex eo Aristo. inscripsisse hanc catego. in numero plurali, quia in actu exercito debet exerceri inter multa, non autem quod existimaret ille, relationem conceptam quæ cōstituit genus supremum huius catego. habere terminum in quem feratur. Alij respondent Aristot. vsum fuisse numero plurali pro numero singulari. Ad secundum dicimus in relatis duplicem esse terminum vnum actu, & alterum potestate. Relatio in actu signato habet terminū potestate, hæc autem potestas non reducitur in actum, neque exercetur in relatione communi quę constituit genus supremum huius categoriæ, sed reuocatur ad actum, & exercetur in relationibus inferioribus, nam relatio numerica & specifica actu habent terminum: & ita relatio in actu exercito tantum competit relationibus inferioribus, quę habent actum referendi vnum ad aliud. Ad tertium aimus relationem non conferre subiecto denominato aliquod esse absolutum, sed esse relatum, verum non omne esse relatū refertur ad terminum, nam esse relatum in actu signato non refertur ad terminum, sed tantummodo esse re-

Ad 2. a

Ad 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

se relatum in actu exercito: & ita cũ relatio in communi sit relatio in actu signato nullum habebit terminum. Ad 4. Ad quartum aſserimus non omnem relationem significare habitudinem actu duorum extremorũ, sed solam relationem exercitam: at relatio signata qualis est genus supremum huius categoriæ non significat habitudinem actu vnius extremi ad alterum: sed formam quandã subiecto inhærentem, quæ nata est referre vnum extremum ad alterũ.

Ad 5. Ad quintum respon. negando consequentiam, quia quamuis aliæ relationes particulares obtineant vnitatem à suis terminis, hæc nihilominus generica relatio, cum nullum habeat terminum non habebit vnitatem ab illo, sed à subiecto, à quo omnia accidentia petunt vnitatem.

Ad 6. Ad sextum respon. relationem omnem in particulari cum in illa exerceatur actus referendi ad aliud habere terminum: relationem vero quæ est genus supremum huius categoriæ, cum in ipsa non exerceatur actus referendi ad aliud, carere illo: quemadmodum & similitudo in cõmuni eodem est destituta, cum in ea non exerceatur actus aſsimilandi, vel dissimile aliquid reddendi, sed in particularibus dumtaxat similitudinibus.

QVAESTIO VI. AN OMnia relata sint in hac categoria comprehensa.

HAec quæstio propter relata secũdum dici, & propter nonnullas alias relationes quæ fundantur in natura & essẽtia rei proponitur hoc loco à nobis. Etenim cum Arist. docuerit scientiã, & sensum in hac categ. cõtineri, cõprehendique sub illa diffinitione priori à veteribꝰ proposita, sintque hæc relata secundũ dici, videtur iudicio Aristo. id genus relatorum in hac categoria esse contentum.

Ratio dubita.

Sunt igitur in hac quæst. explicanda diuersæ interpretum sententiæ. 1. opia. prima est multorum asserẽtium omnia relata tam secundum esse, quam secundum dici esse in hac catego. cõprehensa. Hanc sequitur Paulus Venetus in commenta. qui duplex facit significatum nominis relati vnũ præcipuum, & alterum minus præcipuum, vt in scientia significatum præcipuum est esse habitum, & qualitatẽ minus vero præcipuum est de notare habitudinẽ ad rem scitam, inquitque ratione significati magis præcipui esse in aliis catego. comprehensa, vt scientia in catego. qualitatis: ratione vero minus præcipui esse in hac categ. relatorum. Hanc probabilem putat Toletus eidem q. Ammo. Simplic. & B. Alber. mag. ad hærere videntur.

Secunda opinio est M. Soti q. 1. huius categoriæ, Thomæ á Mercado in hoc eodem loco, Canteri, Iauelli 5. metaphy. q. 21. constituentiũ relata secundũ dici non esse in hac categoria comprehensa, sed illa solũ quæ sunt secundum esse. 2. Opin.

Præterea de relationibus quę fundantur immediate in substantia opinantur multi esse relationes prædicamentales, collocarique in categoria Relatorum, vt Soncinas 5. metaphy. q. 31. Ferrarien. 4. contra gent. cap. 14. Iauellus 5. metaphy. q. 22. ad 2. Caieta. 1. p. q. 28. art. 1. ad 2. & Cumel in hoc eodem loco q. 6. conclu. 4. At Petrus Niger in 2. p. clypei q. 40. multique cum eo arbitrantur non contineri illas in catego. relatorum, sed in catego. substantiæ. 3. Opi.

His igitur opinionibus propositis, animaduertimus primo ex D. Tho. 1. p. q. 13. art. 7. ad 1. & q. 7. de poten- 1. Obser uatio.

potentia art. 10. ad 11. quædam esse relata secundum dici, quæ diuisio non est sic intelligẽda (vt inquit D. Tho.) quasi relata secundum esse sint relata rei, & secundum dici, relata rationis. Sed distinguũtur primo illa ex parte nominis, quia relatum secundũ esse, est illud quod est primo, & per se impositum ad significandum habitudinem ad aliud, vt sunt hęc nomina pater, & magister, nam pater est impositum ad significandum primo & per se habitudinẽ ad filium, & magister ad significan. habitudinem ad discipulum: relatũ vero secundum dici est illud, quod primo, & per se est impositum ad significandam naturam aliquam absolutam, secundario vero habitudinẽ ad aliud, vt est hoc nomen scientia quod primo significat habitum menti inhærentem, & secundario habitudinem ad obiectum scibile. 1. Discrimen inter rela. secun. esse, & secun. dici.

Distinguũtur secundo ex parte formæ significatæ, quia forma nomine relato secundum esse significata, nullam aliam naturam habet quam ad aliud referri, vt paternitas nullam habet aliam naturam quam referri ad filium: forma vero nomine relati secundum dici significata, non habet talem naturam sed esse ad se, cui annectitur referri ad aliud, vt scientia non habet naturam ad aliud, sed ad se, annectiturtamen illi relatio quædam & habitudo ad obiectum subile. Legendi sunt de hoc discrimine D. Tho. vbi supra Caieta. & Louanien. in hoc cap. & tabula D. Tho. verbo Relatio circa finem. 2. Discrimen.

Illud etiam est obseruandum ex relationibus secũdum esse quasdam esse prædicamentales, vel categoriæ, & alias transcendentes, de quarum discriminibus legendus est Caieta. cap. 7. de ente, & essẽtia, nobis sufficit duo discrimina attulisse, primum ex parte termini in quem ferũtur, quia termini in quos ferũtur relationes prædicamentales, habent locũ termini, & non causæ, termini vero in quos ferũtur transcen. habent locum causæ, vel materia. vel efficiẽtis, vel finalis, vel formalis, vt sunt relationes inhærentiæ accidentis ad substantiam, potentiarum ad sua obiecta, & sic de aliis. Secũdo differunt ex parte fundamẽti, quia transcendentes fundantur in intimis rerum attrib. amoro quocunque extrinseco, & nõ essentiali prædicato, quia consequũtur naturam entis quod (vt significat essentiam) est de intima ratione rerum omnium: prædicamẽtales vero innituntur tanquam fundamento alicui accidenti absoluto, nimirum quãtitati, qualitati, actioni, vel passioni, vt auctor est Arist. 5. metaphy. cap. 15. Vnde de intrinseca ratione harum relationum est, vt innitãtur immediate accidentibus absolutis, quod si nonhabuerint huiusmodi fundamentum, nulla ratione poterunt relationes prædicamentales nuncupari. Illud etiam sciendum erit in hac q. non esse nobis sermonẽ de relationibus infinitis, neque de relationibus rationis, quas iam supra q. 4. diximus non contineri sub genere supremo huius catego. sed de aliis finitis, & rei. 3. Obser uatio.

His animaduersis sit prima conclusio. Relationes quæ fundantur immediate in substantia, non sunt prædicamentales, neque in hac catego. contentæ. Hãc cum Nigro aduersus Ferrari. Caieta. & alios recensitos profitemur, & vt apertius multo progrediamur, sumamus exemplum de relatione idẽptitatis specificæ, quę fũdatur immediate in substantia Petri, & Antonini, & in relatione differentiæ specificæ, quę fundantur immediate in substantia hominis, & leonis, has inquam relationes non esse prædicamentales his argumen- 1. Conc. 2. Ob - serua.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. argu. gumentis confirmo. Primo. Illæ relationes quæ conueniunt rei amotis ab ea omnibus extrinsecis, & nõ essentialibus, non sunt prædicamentales, quia prædicamentales sunt accidentia, ac proinde sunt extrinsecę & nõ de essentiali ratione ipsius rei: sed hæ relationes idemptitatis, & diuersitatis, quæ fundantur immediate in substantia, cõueniunt illi amotis ab ipsa omnibus extrinsecis, & non essentialibus: nam si per intellectum amoueamus in prima eius operatione omnia extrinseca, & non essentialia, solis attributis essentialibus remanentibus, adhuc Petrus, & Antoninus sunt similes formaliter, & relatiue, homoq. et leo dissimiles, nam Petrus, & Antoniuus habent conformes & easdem naturas in attributis essẽtialibus: homo vero ac leo dissimiles, & differentes in eisdẽ, ergo hæ relationes idemptitatis, & diuersitatis specificæ non erunt prędicamẽtales. Quod si quis dicat. Ab

Solutio. stractis omnibus extrinsecis, & non essentialibus ab his subiectis, fore illa similia, & dissimilia fundamenta liter, & non formaliter, aut relatiue, contra ita ago. In Petro, & Antoni-

Refuta. no datur subiectum, datur fundamentum, datur terminus relationis formalis similitudinis, & cõueniẽtiæ specificę his omnib⁹ amotis: subiectum enim est ipse Petrus, fundamentum est illius natura, terminus autem est natura quæ in Antonino reperitur: sed in qualibet relatione posito subiecto (vel extremo) fundamento, & termino, debet illa necessario formaliter poni, nam ad hæc tria consequitur naturali quadam, & simplici resultantia: ergo Petrus, & Antoninus erunt similes, formaliter, & relatiue, & non tantum fundamentaliter.

2. Arg. Secundo. Relatio prædicamentalis, vt inhęreat subiecto eget aliquo fundamento, est enim tam exiguæ, & minimæ entitatis, vt per seipsam illi inhærere nulla ratione queat: ergo nulla relatio prædicamentalis immediate fundabitur in substantia, nam si immediate fundaretur immediate quoque inhæreret. Et confirmatur argumen. Non est maior ratio ob quam quædam relationes inhæreant substantiæ medio fundamento, & aliæ non inhæreant: sed relationes æqualitatis, & similitudinis in qualitate inhærẽt substantiæ medio aliquo fundamento, ergo & omnes prædicamentales medio eodem inhærebunt. Quare si quæ fuerint quæ non inhæreant (vt sunt hæ relationes quæ immediate fundantur in substantia) non erunt illæ prædicamentales.

Siquis tamen roget in qua ergo categoria hę relationes continebuntur. Respon. erit illas contineri in categoria substantiæ, quemadmodum & aliæ transcendentes continentur in categoria attributorum, in quibus fundantur, quate quemadmodum relatio idemptitatis specificæ inter duas albedines, & dissimilitudinis inter albedinem, & nigredinem continentur in categoria qualitatis, pari ratione relatio idemptitatis specificæ inter Petrum & Antoninum, & diuersitatis inter hominem & leonem continebuntur in categoria substantiæ. Quod siquis obiiciat nobis aduersus hæc auctoritatem D. Tho. q. 8. de poten. artic. 2. ad 1. 4. contra gẽtes cap. 14. 1. senten. distin. 20. arti. 1. & distin. 21. q. 1. artic. 2. docentis in creaturis esse relationis distingui ab esse substantiæ, ac proinde hæ relationes idemptitatis non erunt substantiales. Respon. D. Tho. non esse loquutum de relationibus quæ fundantur immediate in substantia, sed de illis quæ fundantur in aliquo accidente absoluto, vt in quantitate, vel

Percontatum. Respõ. Obiect. Solutio.

vel qualitate, quorum certe esse cũ sit accidentarium, vt esse suorum fundamentorum reipsa differet ab esse substantiali.

2. Conc. Secunda conclusio. Relationes transcendentes non continentur in hac categoria relatorum, sed sese illę per omnia rerum genera & categoria diffundent. Hæc apertior multo est quam superior, & ab omnibus pari consensione recepta, suaderique potest breuiter in hunc modum. Re-

Confir. conclu. lationes huius generis consequuntur entitatem, & attributa essentialia cuiusque rei: sed entitas & essentia nullius categoriæ finibus circunscribũtur, sed sese per omnia rerum genera diffundunt, ergo hæ relationes per omnes quoque catego. diuagabuntur. Vnde relationes idẽptitatis, similitudinis, diuersitatis, & dissimilitudinis in natura generica, specifica, aut indiuiduali, non erunt in certa catego. comprehensę, sed sese per omnes diffundent, ac in ea collocabuntur, in qua naturæ similes, aut dissimiles continentur.

3. Conc. Tertia conclusio. Relationes secũdum dici (vt nõminibus Relatorum secundum dici explicantur) non cõtinentur in hac catego. Hæc est aduersus Venetum, & cũ M. Soto Mercado, & aliis confirmatur in hunc

1. argu. modum. Primo. Vnaquæque. res cõtinetur secundum essentiam in ea categ. in qua iuxta suum pręcipuũ, & formale significatum est contenta: sed significatum præcipuum ac formale harum relationum est natura quædam absoluta, vt significatũ præcipuum ac formale scientiæ, est esse habitum, & qualitatẽ: ergo hæc

2. argu. relata non continebuntur in categ. relatorum. Secundo. Quia partes substantiæ vt testatur Arist. in fine huius catego. non continentur in catego. relatorum, at illę sunt relata secundum dici, nam id quod sunt, aliorum esse dicuntur, manus enim nõ est sui sed alterius manus, iã igitur relata secundum dici non continebũtur in hac categoria. Addimus sex vltimas catego. denotare relationem secundum dici, quæ tamen nõ continentur in hac catego. sed suas proprias, & peculiares constituunt catego. Diximus autem vt nominibus relatorum secundum dici explicantur, nam si sumptæ fuerint, vt exprimuntur alio nomine relatiuo, hæc relata in præsenti catego. collocabuntur. Illustremus rem hanc exemplo manus, quæ potest his duobus nominibus exprimi, nomine nimirum manus, & nomine partis: Si indicetur nomine manus, significat in præcipua significatione rem absolutam nimirum substantiam ipsam manus, denotando habitudinẽ quasi per accidens, & secundario ad aliud, scilicet ad animal: nam manus non est sui sed alterius manus: at si eadem indicetur nomine partis, exprimet in præcipua significatione habitudinem ad aliud, imo nullam aliam naturam habebit quam ad aliud referri, nam totum esse partis est referri ad totum. Et hac ratione pars erit natura relata secundũ esse. Vnde manus primo modo continebitur in catego. substantię: secundo vero, ut scilicet nomine partis significatur, erit in hac catego. comprehensa.

3. Arg. obseru.

4. Conc. Quarta conclusio. Solæ illæ relationes quæ fundantur in aliquo accidente absoluto, continẽtur in hac catego. Confirmari potest imprimis ex Arist. qui. 5. lib. metaphy. cap. 15. agens de hac catego. solum in illa collocat relationes quæ fundantur in quantitate, qualitate, actione, & passione. Deinde quia omnis relatio fundatur vel in substantia, vel in aliquo accidente, probatum autem est in 1. conclu. relationes quæ fundantur

Universidad de Deusto
Biblioteca

dantur in substantia non esse prædicamentales, superest igitur confirmatum solas illas esse prædicamentales quæ fundantur in aliquo accidente absoluto.

Per contra optima.

Rogabis tñ, an in accidente relato possint hæ relationes fundari, vt an in paternitate, & filiatione v. g. possit aliqua relatio prędicamentalis fundari. Respon. in hac dubitatione esse diuersa Philosophorum placita, nam Soncinas 5. metaphy. q. 29. ad 1. negat fieri hoc posse. Scotus in 4. dist. 6 q. 10. illud libēter admittit. Caieta. vero 1. p. q. 42. art. 1. ad 4. inquit posse in illa fundari, addit tamen non distingui hanc relationem, quæ fundatur à suo fundamēto, vt oppositio quæ est inter paternitatem & filiationem, (quæ certe est relatio realis) fundatur in his relationibus, nec tamen ab illis reipsa differt. Mea tamen sententia est, relationes prædicamentales non posse in aliis vllo modo fundari. Primo quia si fundarentur progrederemur in infinitum, etenim si super vnam prædicamentalem fundatur alia, & super secundam alia tertia, supra tertiam quoq. poterit alia quarta fundari, & sic in infinitū. Secundo quia D. Tho. 5. metaphy. lectio 17. profitetur relationem non posse fundari super aliquam ex 6. vltimis catego. haud dubie non propter aliam causam, nisi quia illæ denotant aliquā relationem nam de illis agens ita habet. *Alia vero genera magis consequuntur relationem quam possint relationem causare, nam quando consistit in aliquali relatione ad tempus, &c.* Legendus est Ferra. 4. cap gent. cap. 14. Alias vero transcendentes aimus fundari posse in relationibus prędicamentalibus, habent siquidem relationes prędicamentales attributa in quibus conueniant, & in quibus differant, in quibus possunt fundari relationes idemptatis, similitudinis, diuersitatis, & dissimilitudinis. Vnde relatio oppositionis quæ fundatur in paternitate, & filiatione, non erit prædicamentalis, sed transcendens: nam fundatur in dissimilitudine, & diuersitate naturę, quæ inter paternitatē, & filiationem intercedit: quare quē admodum binarius non est vnus vnitate quantitatis, sed transcendenti, ita duæ relationes non sunt similas, aut dissimiles, relatione prædicamentali, sed transcendenti.

Nostra Opinio.

1. Arg.

2. Arg.

Ad ratio dubitan.

Superest satisficiamus argumento quod in initio proposuimus, cui Simplicius, & B. Albert. mag. respō. scientiam, & sensum posse sumi aut in ordine ad subiectum aut in habitudine ad obiectum. Primo modo sunt qualitates nam scientia est habitus disponēs subiectum ad recte, & facile intelligendum, sensus vero est facultas quædam insita à natura ad opus aliquod moliendum. In ordine tamen ad obiecta sunt relata, & ab Arist. in hac catego. comprehensa. Verum quia ex eorum opinione sequi videtur relata secundum dici contineri in hac categ. quod pugnat cū his quæ nos docuimus, rectius multo respon. cum Ammonio Arist. ad labefactandam hanc diffinitionem à veteribus propositam collocasse scientiam, & sensum in hac catego. etenim si illa diffinitio esset optima, etiam scientia, & sensus essent relata, quia id quod sunt, aliorum esse dicuntur, quod cum sit falsum, proposita diffinitio non erit accommodata. Ex qua collectione tacite reprehendit Aristo. propositā diffinitio. tantum abest, vt ex illius sententia inferamus sciētiam, & sensum esse relata, vt contrarium potius colligere debeamus: qua eadem ratione intelligi debet in categ. qualitatis asserens scientiam esse relationem, hoc enim intelligi debet, non absolute, nec iuxta propriā opinionem, sed iuxta propositam à veteribus diffinitionem.

QVAESTIO VII. AN PRIma proprietas recte fuerat traditæ ab Arist.

NOn esse recte traditam primam proprietatem (nimirum relatis aliquid esse contrarium) confirmare possumus ex eodem Arist. in catego. superiori de quantitate, vbi inquit magno, & paruo nihil esse contrarium, cum sint relata. In explicationem tamen huius proprietatis animaduertimus primo. Relata duobus modis sumi posse, aut ratione sui, & habitudinis quam denotant ad suos terminos, aut ratione fundamenti cui innituntur, vt similitudo sumi potest, aut ratione sui, aut ratione albedinis cui innititur. Illud etiam adnotandum est esse quatuor genera contrariorum proposita ab Arist. in Postcatego. cap. de priori, nimirum contraria seu aduersa, vt albedo, & nigredo: priuantia vt cæcum, & videns: relata vt pater & filius: & contradicentia, vt homo, & non homo.

1. Obseruat.

obser. 2

1. Conc.

His animaduersis sit prima conclusio. Relata ratione sui contrariantur relatiue. Hæc ab omnibus est cōcessa, & confirmatur, quia inter species contrarietatis numerat Arist. ipsa relata. Vnde pater opponetur filio, & discipulus magistro, & sic de alijs, quæ certe contrarietas omnibus relatis, tam secundum esse quā secundum dici adaptatur.

2. Conclusio.

Secunda conclusio. Relatis secundum esse, nihil est contrarium ratione sui, vel formaliter (ea subintelligē cōtrarietate de qua loquutus est Arist. quæ significat oppositionem duorum extremorum, quæ eidem subiecto vicissim inesse possunt, à quo mutuo se expellunt nisi alterū insit à natura.) Hanc D. Tho. opus. 48. cap. de relatis. Caiet. M. Soto, Toletus, Canterus, Louanienses, omnesque alij cum eis hoc profitētur, confirmarique potest, quia pater et filius respectu eiusdem nō possunt successiue eidem subiecto inesse, neque ab eodem subiecto se mutuo expellere, idemque iudicium est de aliis omnibus relatis.

3. Conc.

Tertia conclusio. Relatis secundum dici competit ratione sui, vel formaliter contrariari contrarietate supradicta. Confirmatur ex exemplis propositis ab Aristo. adducit enim exempla de virtute, & vitio: de scientia & ignorantia, quæ formaliter & ratione sui inter se contrariantur: nam virtus contrariatur vitio, & scientia ignorantiæ. Et certe cū hæc relata sint proprie & in rigore qualitates, vt iam in superioribus ostendimus, nihil mirum si ipsis ratione sui aliquid vera contrarietate opponitur.

4. Conclusio.

Quarta conclusio. Relatis etiam secundum esse ratione sui fundamēti est aliquid vera contrarietate cōtrarium. Ita Ammo. Simpli. Boet. B. Alber. mag. Caieta. tandemque omnes in huius loci commenta. Confirmatur quia sæpe fundamenta relationum secundum esse sunt contraria vera, & legitima contrarietate, sicut fundamenta similitudinis, & dissimilitudinis, sunt enim illa candor, & atror. Hæc tamen contrarietas non potest omnibus relatis conuenire, his namque non conueniet, quæ in quantitate fundantur, vt æquali, & inæquali, simplo, & duplo, ac sic de aliis, quia fundamentum harum relationum, quod est quantitas nullum habet contrarium. Quare non attribuetur relatis, vt pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

prietas cum neque omni, neque soli conueniat, sed vt accidens quoddã commune quibusdam solum relatis conueniens. Concludendumque erit cum acutissimo Caietano hęc relata quibus est aliquid contrarium nihil habere sibi oppositum formaliter, bene tamen aliquid materialiter.

Ad arg. Ad argu. igitur respon. magnum, & paruum fundari in quãtitate, cui nihil est contrarium, ac proinde neque materialiter esse inter se contraria, quia hæc contrarietas illis solis relatis potest conuenire, quorũ fundamenta inter se sunt contraria.

QVAESTIO VIII. SI TNE *secunda proprietas recte ab Arist. tradita.*

Argum. OFfert se aduersus hanc proprietatem huiusmodi argu. Vel relata recipiũt magis, & minus, ratione sui, vel ratione sui fundamenti, si ratione sui, non est maior ratio qua re quędam relata recipiant illud, alia vero nequaquam sint eiusdem susceptiua: quod si id euenit ratione fundamenti, iam igitur non adaptabitur hæc proprietas his relatis æquali nimirum, & inæquali, quæ non suscipiunt magis, & minus, quoniam quantitas quæ est fundamentum ipsorum nequit illud recipere. Minus itaque accommodate constitutum erit ab Arist. æquale & inæquale recipere magis, & minus.

Opinio commu. In hac quæstione communis opinio est Porphy. Ammo. Simpli. Boetij, B. Albert. mag. Caieta. M. Soto & omnium recentiorum hanc proprietatem non conuenire relatis ratione sui, sed ratione sui fundamẽti, vnde illa relata quorum fundamenta recipiunt magis, & minus, & ipsa quoq. recipient magis, & minus: & illa quorum fundamenta magis, & minus recipere non possunt, etiam nec ipsa magis & minus suscipere poterunt.

Obserua Vt tamen hanc litem dirimamus animaduertimus fundamenta relationum posse subire mutationem aliquã, aut secundũ magis, & minus, aut secũdũ maius & minus, vel paruꝰ (his enim vocibꝰ Dialec. vtũtur.) Illa fundamẽta subeunt mutationẽ secundum magis, & minus, quæ habent verum contrarium cum quo permisceri queant: etenim ex maiori vel minori permixtione vnius cõtrarij cum altero, augmentum, & decrementum qualitatum ortum habent, sicut ex Arist. 5. physico. cap. 2. haud obscure licebit colligere. Illa vero mutãtur secundum maius, & paruius, quæ apta sunt contrahi aut dilatari, quęque aliquam possunt latitudinem obtinere, qua ratione quantitas subiacet mutationi, cum possit illa contrahi aut dilatari, fieri que nunc maior, & postmodum minor.

1. Conc. Hoc animaduerso sit prima conclusio. Nullum relatum secundum esse, ratione sui, & formaliter, suscipit magis, & minus. Hęc est D. Tho. 12. q. 82. art. 4. Videnda est tabula illius V. Relatio numero 62. Confirmaturq. quia relationi ratione sui, & formaliter nihil contrariatur vt constat ex superiori quæst. igitur neque suscipiet illa magis, & minus. Confirmatur consequen. quia magis, & minus in accidentibus, ex maiori, vel minori permixtione vnius accidentis contrarij, cum alio oppositum habet, vt 5. physico. cap. 2. docebat Arist.

2. Con. Secunda conclusio. Non omnia relata recipiunt magis, & minus ratione fundamenti. Hæc manifeste satis suaderi potest in duplo, triplo, & aliis huiusmodi relationibꝰ, etenim horum fundamentum inuariabiliter, vnoque semper, ac eodem modo sese habet, nam duplum illud dicitur quod bis adæquat rem aliquã, & triplum quod ter eãdem comprehendit, quod profecto eodem modo sese habet semper: at quod semper eodem modo ac inuariabiliter sese habet, nulla ratione poterit magis, & minus, imo neq. maius, & minus suscipere. Estque hac ratione intelligendus Arist. inquiens non omnibus relatis hanc proprietatem conuenire, nimirum ratione fundamenti, dubium enim non est quin omnibus ratione sui adaptetur.

3. Conc. Tertia conclusio. Multa sunt relata quæ recipiunt magis, & minus ratione fundamẽti. Cõfirmatur in similitudine & dissimilitudine, nam quędã sut aliis similiora, & alia sunt eisdem dissimiliora, quod certe non aliunde quam á fundamentis ortũ habet: etenim quia fundamẽta (candor nimirũ, & atror) suscipiunt magis, & minus, & hæ relationes suscipiunt quoque magis, & minus. Sed

Obiect. contra est argumen. Aequalitas, & inæqualitas (quæ sunt relata) recipiunt magis, & minus, vt in hoc loco docet Arist. & non ratione fundamenti, illud enim est quantitas, quę non recipit magis, & minus, non igitur relata quæ suscipiunt magis, & minus illud ratione fundamẽti suscipient. Huic tamẽ Ammonius, multique cum eo respondẽt, falsum esse æqualitatem, & inæqualitatem, recipere magis, & minus: & ad Arist. hoc docentem respondent, ipsum non ex propria opinione sed sese ad captum vulgi, & modum loquendi illius accommodantem, hoc docuisse: vulgares enim homines non solum illa quę nihil inter se, verum & quę parum distant, vocant æqualia. Ve-

Verior Solutio. rius tamen cum Caietano dicimus hæc etiam ratione fundamenti recipere magis, & minus, non quod fundamentum recipiat magis, & minus: sed quod recipiat maius, & paruius, sat enim est ad hoc vt relatio recipiat magis, & minus, quod fundamẽtum recipiat maius & paruius, neq. necesse est vt recipiat magis, & minus: quare cum quantitas recipiat maius, & paruius, æqualitas, & inæqualitas maius ac minus recipient, nam illa erunt magis æqualia, quorum quantitates minus se superabunt, & illa inæqualia in quibus vna quantitas alteram vincet, & superabit. Itaque ex relatis quædam recipient magis, & minus ratione fundamenti, quia illud recipit magis, & minus, cuiusmodi sunt illa quę fundantur in qualitate, & alia quia fundamentum eorum suscipit maius, & minus, vt sunt alia quæ fundantur in quantitate. Ad argumentũ igitur ex his quæ diximus, constat quid satisfacere debeamus.

QVAESTIO IX. SI TNE *tertia proprietas optime assignata.*

VLterius progrediamur in explicandis proprietatibus relatorum, examinemusque num tertia proprietas sit recte assignata necne? Ea autem erat, relata inter se dici ad conuertentiam, quam relatis non conuenire, confirmo primo, quia homo & risibilitas nõ sunt relata, quæ tamen duo inter se conuertuntur, & reciprocantur, nam si homo est, & risibilitas quoq. est, & si hæc fuerit, & homo quoque esse debet. Secundo, quia album, & albedo non sunt relata quæ tamen inter se reciprocantur, dum si albedo est, album est, & si album fuerit, & albedo proculdubio erit. Tertio confirmat. conuenire non solis relatis secundũ esse, sed etiam & relatis secundum

1. Argu.

2. Arg.

3. Arg.

dicti ex ipsomet Aristot. qui adducit exemplum de scientia & re scibili, quæ sunt relata secundum dici.

1. opin. Propter hæc & alia huius generis argumenta, disceptatio est num hęc proprietas solis & omnibus relatis conueniat necne? M. Sotus q. 1. & Veracruce q. 1. existimant, non solis relatis, verum & denominatiuis etiã omnibus conuenire, quæ quidem inter se conuerti, & reciprocari, constat de albedine, et albo, quæ ita sũt inter se affecta, vt si vnum fuerit de beat et aliud esse. Contra tamẽ sentiunt Caieta. Louan. Cante. Villalpan. in commenta. & Toletus q. 2. ad 3. asserentes solis relatis, et non omnibus, sed illis tantum quę sunt secundum esse conuenire.

2. opin.

Obser. Hanc igitur sententiam, vt explicemus, sciendum est ex B. Alberto magno, et Caieta. hæc tria conuersionem, conuertibilitatem, et conuertentiam, esse inter se distincta, & separata. Conuersio est proprietas quædam propositionum, quæ nihil aliud est quam mutatio quædã subiecti in attributum, & attributi in subiectum intra propositionem. Cõuertibilitas vero proprietas quædã est rerum simplicium, quæ nihil est aliud, quam mutua quædam duarũ vocum rerumque significatarum per eas reciprocatio, qua ratione homo, & risibilitas conuertuntur, nã si homo est risibilitas est, & si risibilitas fuerit & homo quoque debet esse. Cõuertentia denique seu, quod idem est, dici ad conuertentiam, nihil aliud est, quam ita exprimi vnũ extremum per habitudinem ad aliud, vt illud etiam ècontra per habitudinẽ ad ipsum exprimatur, qua ratione pater dicitur ad conuertentiam de filio: nam ita exprimitur per habitudinem ad filiũ, vt filius per eandem habitudinem ad ipsum exprimatur.

Vt tamen aliqua ad conuertentiã dicantur nonnulla requiruntur ex Villalpando, Cantero, & aliis. Primum quod sint extrema paria & æqualia inter se, quod colligitur ex Arist. qui inquit alam non referri ad auem, neque cum illa conuerti, eo quod alterum extremum, scilicet habere alas, latius patet, quam auis, nam scarabęi habent alas qui tamẽ non sunt aues. Secundo requiritur, vt vnum denotet habitudinem ad alterum: etenim quamuis aliqua extrema sint paria & æqualia, si tamẽ non dicant mutuam habitudinem inter se, non dicentur ad conuertentiam, & ob huius defectum homo, & risibile quamuis sint extrema paria & æqualia, non dicentur ad conuertentiam, quia non denotant inter se aliquam habitudinem. Tertio requiritur vt quæ ad conuertentiã dicuntur ita se habeant, vt vnũ nõ sit causa alterius, & hinc fit, vt albũ & albedo non dicantur ad conuertentiam, quia albedo est causa albi. Quarto requiritur vt vnum sine altero nec diffiniri, nec intelligi possit, sed vt destructo vno, necessario & alterum destrui debeat. Hæ igitur quatuor conditiones sunt omnino & absolute necessariæ ad id, vt aliqua dicantur ad conuertentiam, ita vt si aliqua illarum defuerit, nequaquam illa ad conuertentiam dici vllo modo queant.

obserua. alia.

Iam sit prima conclusio. Recipro cari, & conuerti simpliciter, & absolute, non est proprietas relatorum. Confirmatur quia multa inter se cõuertuntur (vt subiectum & proprietates & alia) quæ non sunt relata: dãtur etiam in propositionibus, & in vocibus simplicibus mutuę reciprocationes (vt obseruauimus) in quibus nulla relatio reperitur.

1. Conclusio.

Secunda conclusio. Dici ad conuertentiam solis relatis potest conueni-

2. Cor.

uenire vnde proprietas erit relatorum hoc modo dici. Confirmatur imprimis auctoritate Aristo. qui ita dici, attribuit relatis tanquam proprium: tum etiam quia dici ad conuertentiam denotat habitudinem vnius ad alterum, ita vt ex vi illius alterum quoq. ad ipsum referatur, at hoc solis relatis potest conuenire.

3. Conc. Tertia conclusio. Hęc proprietas tantum conuenit relatis secundum esse. Hanc Architas olim (vt testatur Simplicius) professus fuerat, quã ipse Simplicius & alij in secunda opinione recensiti profitentur. Confirmaturque primo, quia in relatis secundum dici vnum illorum non ita refertur ad alterum, vt alterum vicissim ad prius referatur, vt scientia non ita refertur ad scibile, vt ipsum scibile ad scientiam quoque referatur, nam scibile non est relatum quia referatur ad aliud, sed quia terminat alterius relationem ad se, vt auctor est Arist. 5. metaph. cap. 15. at vero dici ad conuertentiam est ita referri ad alterum, vt alterum etiã ad ipsum referatur. Secundo quia illa non dicuntur ad conuertentiam quæ possunt ab inuicem separari, & quorum vnum est causa alterius, vt obseruauimus: sed in relatis secundum dici vnum potest ab altero separari, vt scibile à scientia, vnumq. est alterius causa, nam scibile v. g. causa est scietiæ, & sensile causa sensus, ergo relata secundum dici non dicentur ad conuertentiam, sed illa sola dumtaxat quæ sunt relata secũdum esse. Quod si quis obijciat nobis auctoritatem Arist. proponentis exempla de relatis secundum dici, vt de scientia, et sensu respond. erit Arist. non ex propria opinione, sed ex veterum sententia hoc docuisse, nam iuxta primam diffinitionem à veteribus propositam sequitur hęc esse relata, vt sępe docuimus, ac proinde sequitur etiam illa dici ad conuertentiam. Itaque concludendum erit conuersionem, & conuertibilitatem aliis à relatis conuenire: dici vero ad conuertentiam solis relatis secundum esse.

1. argu.

2. argu.

Ad argum. ex his facilis est solutio. Ad primum dicimus hominem & risibilitatem conuerti inter se nõ tamen dici ad conuertentiam, quia dici ad conuertentiam est referri in aliquem tanquam in terminum, at homo nõ ita refertur ad risibile, nec è conuerso. Ad secundum eodem modo dicimus album, & albedinem inter se reciprocari non tamen dici ad conuertentiam, quia neutrum in alterum refertur tanquam in terminum. Ad tertium satisfecimus in quæstione.

Ad 1. argumen.

Ad. 2.

Ad 3.

QVAESTIO X. AN RELATA SINT SIMUL NATURA.

EST etiam proprium relatis esse simul natura, vt Arist. docebat in cap. quam proprietatem nunc examinare instituimus, cõueniatne omnibus, & solis relatis necne? Quam non conuenire omnibus, & solis relatis confirm primo non conuenire omnibus, tum de causa, & effectu, quæ sunt vere relata, cum tamen causa sit prior natura suo effectu. Tũ etiam de relatione prioris & posterioris, quæ sunt veræ relationes, ex quibus relatio prioris est prior relatione posterioris. Et tandem de relatis tertij generis, quæ sunt vere relata, & nõ sunt simul natura, nam scibile est prius natura scientia, & sensibile sensu, vt Arist. docet, & multis verbis confirmat in hoc cap. Deinde non conuenire solis confirmari poterit, de differentiis diuidentibus aliquod genus, & de speciebus

1. argu.

2. Arg.

3. Arg.

4. Arg.

ab eis constitutis, quæ sunt simul natura ex Arist. in postcatego. cap. de simul,& non sunt relata.

In hac quæst. de relationibus primi, & secundi generis nulla est disceptatio, omnia siquidem illa cum sint mutua, & adinuicem conuertãtur, sunt simul natura, hæcque est communis omnium philosophorũ sententia,atque opinio de qua legendus est Scotus q.27. Prædicamento. Tota igitur controuersia est de relatis tertij generis, quæ nimirum sundantur in mensura, & mensurabili, num scilicet illa sint simul natura necne? Ratio autem quæ huic dubitationi prębuit occasionẽ est Arist. qui in hac categoria postquam docuit hanc proprietatem relatis conuenire,excepit scientiam, & scibile, sensum, & rem quæ sentitur, quæ cum sint relata tertij generis, videtur hæc proprietas huius generis relatis nullo modo conuenire. Vt igitur dubitationem hãc dissoluamus annotan. est cum Caietano acutissimo extrema huius relationis posse sumi aut debite,aut indebite,sumũtur debite quando vtrumque sumitur eodem modo, vt quando vtrumque sumitur actu, aut vtrumque potestate, sumuntur autem indebite, quando diuerso modo vsurpantur, vt quando vnum eorum sumitur actu,& alterũ potestate. Sumamus exemplum in scientia,& re quæ scitur,hæc extrema sumuntur debite, quando vtrumque sumitur actu,vt quando sumimus scięntiam in actu, & rem quæ scitur in actu:sumuntur vero indebite quando scibile sumitur actu,& scientia potestate,vel ẽconuerso. Quo animaduerso litem hanc his assertionibus dissinimus.

obserս. ex Caiz.

1.Conc. Sit prima. Si hæc relata indebite sumantur non sunt simul natura. Hanc aperte docet Aristo. in cap. in quiens scibile,& scientiam,sensum, & sensile, quæ sunt relata huius generis,nõ esse simul natura,qui profecto intelligi debet de his relatis indebite sumptis,nam si illa debite sumantur quam sit hoc falsum in conclu.sequenti ostendemus.Confirma riq. potest ex eo quod illa sunt priora natura aquibus ad alia non valet status consequendi:atà scibili ad scientiam, á sensili ad sensum non valet huiusmodi status non enim valet sensile est,ergo sensus est,neq. scibile est ergo scientia est,quia quadratura circuli est scibilis, de qua tamen nulla extat scientia ab aliquo hactenus recte excogitata.Deseruiũt etiam ad hanc conclusio. suadendã alia argumenta ab Arist. in hac categoria proposita.

2.Conc. Secunda conclu.Si hæc relata debite sumantur vtrumque in actu, aut vtrumque in potentia, sunt simul natura. Profitentur hanc Caietа.M.Sotus q.1.Veracruce q.1. Toletus,imo D.Tho.& D Augusł. in eadem extiterunt opinione, nam D. Tho. 1.p.q.13.art.7.ad 6.explicans qua ratione scibile, & scientia, sunt simul natura,ita habet. *Scibile secundũ modũ suæ significationis præexistit scięntiæ sed si accipiatur scibile secundũ actũ, tunc est simul cum scientia secundum actum* Et D. Augu.in suis categoriis cap.11.in hæc verba loquitur. *Simul namque, vt scibile esse cæpit, habuit scientiam sui, sed nedum operatione monstrata est, non ergo tunc esse cæpit scientia eius quando cæpit operari, sed cũ ipso scibili orta est, & operatio postea est consecuta.* Confirmaturque in hunc modum. Omnia relata mutua sunt simul natura, sed hæc relata ita sumpta sunt mutua, ergo erunt simul natura. Propositio est aperta cõfirm. assum. illa sunt relata mutua quæ dicuntur ad conuertẽtiam: sed hæc relata ita sumpta dicuntur ad conuertentiam, nam recte sequitur est scibile potestate, ergo est de eo scientia potestate, & est scibile in actu, ergo est de eo sciẽtia in actu, & è conuerso est scientia potestate,ergo est scibile potestate, & est scientia in actu ergo est scibile in actu. Iã igitur hæc relata dicentur ad conuertentiam.

Tom.1.

Confir. conclu.

Obiect. Quod si quis obiiciat. Omnis causa est prior natura suo effectu, sed scibile potestate est causa scientiæ potestate, & scibile in actu est causa scientiæ in actu, ergo scibile potestate erit prius natura scientia potestate,& scibile in actu scientia in actu, ac proinde non erunt hæc ita sumpta simul natura.

Solutio. Resp. scibile posse sumi aut vt res quædã est,quæ nata est de se veram in intellectu generare opinionem,aut vt denotat habitudinem ad scientiam,aliquãdo quidem secundum actum,& aliquando secundum potestatem. Primo modo scibile causa est scientiæ,& est prius ipsa,altero vero modo non est illius causa,& est simul natura cum ea: at quando nos statuimꝰ scibile,& scientiam esse simul natura, agimus de his extremis iuxta habitudines, & relationes quas denotant,& non vt res quædam sunt.

3.Conc. Tertia conclusio. Esse simul natura non cõuenit solis relatis,sed differentiis diuidẽtibus aliquod genus, & speciebus ab huiusmodi differentiis formatis,& multis etiam aliis rebus de quibus in post categoriis cade iis quæ simul esse dicuntur explicabimus. Hanc aperte testatur Arist. in eo cap. ita dicẽs. *Atque etiam ea quæ ex eodem genere quasi ex altera parte diuidendo respondent simul natura esse dicuntur.* In quibus verbis perspicue satis docet,differentias quę diuidũt aliquod genꝰ esse simul natura. Quã obrem hæc erit proprietas secundo modo competens omni relato debite sumpto, non tamẽ soli, cum aliis relatis nata sit conuenire.

Ad 1.ar gumen. Sequitur vt argu. quæ proposuimus diluamus. Ad primum. Iam satisfecimus in solutione obiectio. aduersus 2.assertionem. Ad secundum respon. prius materialiter esse prius posteriori, at relationem prioris esse priorem relationeposterioris,hoc est quod diffitemur: quemadmodũ pater materialiter (pro homine, & subiecto quod àpaternitate pater nũcupatur)prior est filio,cæterum relatio paternitatis nõ est prior relatione filiationis. Ad tertium respon. scibile,& scientiam,sensile,& sensum, non esse simul natura,si indebite sumantur,vnum scilicet secundum actum,& alterum secundum potestatem,esse tamen simul si debite sumpta fuerint. Aristo. autem inquiens hæc extrema non esse simul natura, intelligi debet,si indebite sũpta fuerint vt exposuimus. Ad quartum ex vltima conclu. constat quid satis facere debeamus, admittimus enim libentissime,hanc proprietatẽ differẽtiis diuiden.aliquod genus,& speciebus ab eis formatis conuenire.

Ad 2.

Ad 3.

Ad 4.

Universidad de Puerto Rico Biblioteca

Sectio II. de Relatis in qua de fundamentis illorum disputatur.

ARGVMENTVM.

DE relatione eiusque natura, & proprietatibus egimus in sectione superiori, consequens est vt de iis quibus illæ innituntur tanquam fundamentis, & quorum ope in subiecto fulciuntur inhac secunda sectione disputemus: tum & de alijs quę relationibus in habitudine ad sua fundamenta nata sunt conuenire.

Sect. II. Quæst. I. Sintne tria tantum fundamenta Relatorum.

IN Superiori sectione absoluimus ea quæ ad naturam, & proprietates relationis spectant, sequitur vt de fundamentis illius in hac secunda disputemus imprimisque dentur ne tria fundamenta relationis, quæ ab Arist. 5. metaphysicorum c. 5. tradita fuere. Et quidem nõ esse hæc fundamenta recte tradita his argumentis possumus demonstrare, primum est. Vel relatio differt re ipsa à suo fundamento vel non differt, si non differt, ergo non constituet illa certam categoriam, sed sese per varias categorias (quemadmodum & fundamenta) diffundet, quod cum sit falsum, sequitur non esse aliqua fundamenta relationibus assignanda: si vero ab eodem distinguatur, tanta erit distinctio inter relationes ipsas, quanta est inter earum fundamẽta, quare cum fundamenta sint genere & categoria distincta, vt quantitas, genere differt à qualitate, & hæc ab actione, & passione, ita etiam & relationes quæ his fundamentis innitẽtur, different genere supremo categoriæ, atque ita similitudo genere categorię differt ab æqualitate, quod cum sit absurdum, sequitur non esse aliqua fundamenta relationibus assignanda. Secundum. Tertius modus relatorum est secundum mensuram, & mensurabile, sed primus modus est etiam secundum mẽsuram, & mensurabile, vt omnibus est notissimum cum sit hic modus secundum numerum, & vnitatem, quibus maxime cõuenire rationem mẽsuræ (præcipue vero vnitati) auctor est Arist. 10. libro metaphysicorum cap. 2. ergotertius modus non differet à primo, ac proinde nõ sunt hi modi recte assignati ab Arist. Tertium relatio causæ ad effectum est relatio secundi ordinis, sed relatio scibilis ad sciẽtiam est relatio causæ ad effectum (etenim scibile est causa scientiæ) ergo relatio scibilis ad sciẽtiam, erit secundi ordinis, atque ita non

1. Arg.

2. Arg.

3. Argu.

non distinguentur duo hi ordines.

De fundamẽtis relationum disputat Aristo. 5. libro metaphysicorum cap. 15. & illius interpretes D. Tho. B. Albert. Mag. vterque Alexander Aprodiseus, & Alẽsis, Auerroes, Suesanus, Ascainus, & Fonseca Legendi sunt etiam Iauellus in eodem libro quæst. 21. Flandrensis quæst. 16. art. 11. Scotus quæst. 12. & 13. Antonius Andręas à quæst. 12. vsque ad quæstio. 16. quorum vim, & naturam, vestigiis horum grauissimorũ virorum inhærentes, his assertionibus explicamus.

1. Conc. Prima est. Si loquamur de fundamentis remotis, quatuor sunt fundamenta relationis, substantia, quantitas, qualitas, vis agendi, & patiendi Confirmatur, in substãtia fundatur relatio eiusdem, & diuersi, nam illa sunt eadem, vel diuersa, quorũ est eadem, vel diuersa substantia: in quantitate fundatur relatio æqualitatis, vel inæqualitatis: nã illa sunt æqualia vel inæqualia quæ habent eandem, vel distinctam quantitatẽ: in qualitate fundatur relatio similitudinis, & dissimilitudinis: illa enim sunt similia, quorum est eadem qualitas, in vi agendi, & patiendi, fundatur relatio paternitatis, & filiationis, dominij, & seruituris, & aliæ huiusmodi: nam in patre est vis generãdi, & in filio vis patiendi, & vt generetur, ergo quatuor erunt fundamenta remota relationis. Animaduertẽdum est tamẽ hoc loco nomine substantiæ vel qualitatis, non esse intelligendam tantum veram substantiam, sed etiam omne habens modũ substantiæ, & nomine quantitatis eadem ratione, & sic de aliis.

2. Conc. Secunda conclusio. Fundamenta proxima, vel modi fundandi relationis, tantum sunt tria, numerus, & vnitas in quantitate, actio, & passio, et mensura ac mensurabile. Im primis numerus est fundamentum proximũ relationis, quæ reperitur in quantitate, vt in relatione dupli, & simpli, & tripli ad eius tertiã partem, et quadrupli ad quartam eius partem, fundamentum immediatum, est numerus, secundum rationem excessus & defectus: nam omnes proportiones numerorum, sunt quædam relationes fundatæ in numero secundum rationem iam dictam, vt triplum fundatur in numero ea ratione, qua excedit alterum numerum in tertia eius parte. Dictum est etiam vnitatem esse fundamentum proximum, vbi nomine vnitatis non solum intelligimus vnitatem quantitatiuam, sed præcipue intellectam esse volumus vnitatem transcendentem: nam hęc vnitas transcendens in substantia facit idem, in quantitate æquale, in qualitate simile: & oppositum vnitatis in substantia facit diuersum (oppositum autem est multitudo) in quantitate inæquale, in qualitate dissimile. Secundum fundamentũ proximũ est actio & passio, vt fundamentum proximum paternitatis est actio generandi, filiationis vero passio vt generetur. Docet tamẽ Aristo. relata huius generis distingui posse iuxta tres temporis differentias, in relata quæ fundãtur in actione præterita, præsenti, & futura, præterita, vt paternitas & filiatio, quæ fundantur in actione generãdi quæ euanuit: præsenti, vt calefaciens actiu, & calefactum. quæ fundatur in actione actu calefaciendi: futura, vt illud quod potest calefacere, & quod potest calefieri, nam fundamentum horum relatorum est actio futura calefaciendi. Tertium fundamentum est mensura & mensurabile. Vbi annotat D. Th. nomine mẽsurę non intelligi hoc loco mensurã categ. quantit. sed mensuram entitatis

esse, & veritatis rei: referuntur scientia, & scibile, sensus, & sensibile: nã scibile est mensura scientiæ, talis enim est scientia, quale est scibile, & sensibile est mensura sensus, nã talis est sẽsus quale est sensib. Ex hoc triplici fundam. proximo colligunt oẽs philosophi tritã illam diuisio. relatorũ, in relata primi, secundi, & tertij generis vel ordinis. Relata primi generis sunt illa, quæ fundantur in numero & vnitate: secundi sunt illa quæ fundãtur in actione & passione & tertij illa quæ fundantur in mensura, & mensurabili.

3. Conc. Tertia conclu. Tantum sunt tres modi relatorum iam dicti, neq. his plures, neque pauciores possunt reperiri. Confirmatur his duobus argumentis, primum est. Tot sunt modi relatorum, quot sunt modi quibus vna res refertur ad alteram, sed tribus modis potest vna res referri ad alteram, ergo tres erunt modi relatorum. Cõfirmatur assumptio. Vna res potest referri ad alteram, vel secundũ essentiam, & veritatem, vel secundum actionem, & passionem, vel secundum aliquam mensuram extrinsecam quantitatis, si referatur secundum esse, & veritatem, est tertius modus relatorum, si secundum actionem, & passionem est secundus modus: si secundum aliquam mensuram extrinsecam quantitatis, est primus modus, ergo tres tantum erunt modi relatorum. Secundum est. Tot sunt modi relatorum, quot sunt fundamẽta eorum: sed tria tantum sunt fundamẽta relatorum proxima, & immediata, scilicet numerus, & vnitas, &c. ergo tria tantum erunt genera relatorum. Dubitabit tamen aliquis, qua ratione hi tres modi relatorũ inter se distinguantur. Respondemus imprimis distingui ratione mutuæ dependentiæ, & non mutuæ dependentiæ: nã relata p. & 2. ordinis mutuo inter se dependent primi ordi. vt relatio simpli, ad duplum. quia quemadmodũ simplum dependet à duplo, ita quo que duplum dependet à simplo. secundi vero ordinis, vt pater, & filius: nam quemadmodum pater dependet à filio, ita quoque filius dependet à patre: at vero in relatis tertij ordinis, non est mutua dependentia, nam scientia dependet à scibili, tanquam mensuratum, à mensura, at vero scibile non dependet à scientia, vnde Arist. 5. libro metaphysicorum cap. 15. inquit scibile esse relatum, non quia referatur ad scientiã, sed quia scientia refertur ad illud. Distinguntur præterea hi tres modi ratione fundamenti, quia primus modus fundatur in re precise categoriæ quantitatis, nempe in numero, vel vnitate, secundi vero ordinis fundatur in re precise categoriæ actionis, vel passionis, at vero relata tertij ordinis fundantur in omnibus categoriis: nam in omnibus illis datur mensura, & mensurabile, quælibet enim res cuiuscunq. categoriæ, potest apprehendi ab intellectu, & mensurare illum, secundum aliquẽ habitum scientiæ.

Ad 1. argum. Supereſt vt argumentis quæ in initio proposuimus occurramus. Ad primum respondemus parũ referre relationes distingui, aut non distingui à suis funda. nam nõ est necesse siue distinguãtur siue nõ distinguãtur, vt sit tanta distinctio inter relatio. quanta est inter fundamẽta: quẽ admodum homo, & leo, distinguntur per particeps, & expers rationis, neque tamen est necesse, vt tantum differant homo, & leo, quantum differunt particeps, & expers rationis: nam hæ duæ differentiæ sunt primo diuersæ, et differunt se totis, at vero homo, & leo, non differunt se totis, neque sunt primo diuersi. Pari etiã ratione, quamuis fundamenta relationis constituant diuersas categorias, non tamen est necesse vt himodi relatorum constituantur in diuersis categoriis.

Ad 2. Ad secundum respondemus ex D. Tho. in commentariis illius loci, ex 5. libro metaphisicorum, duplicem esse mensuram, vnam secundum quantitatem, & alteram secundum veritatem, qua media rem ita apprehendimus esse, sicuti est: Mensura primo modo, continetur in primo modo relatorũ, mensura vero 2. modo, constituit tertiũ modum, & quia duæ hæ mensuræ sũt inter se distinctæ, propterea duo hi modi sunt quoque inter se distincti.

Ad 3. Ad tertium respondemus rem quæ scitur, & quæ sẽtitur, posse duobus modis sumi, primo vt producunt speciem in sensu, vel in intellectu: secundo modo, vt sunt termini scientiæ, & sensus, eo quod ita res vere apprehenduntur, vt sunt à parte rei. Si primo modo sumantur, relatio rei quæ scitur, vel sentitur, est relatio secundi ordinis, quia est causæ ad effectum: si vero altero modo vsurpẽtur, sunt relata tertij ordinis quia quod scitur, & sentitur, vt terminat actionem sentiendi, & intelligendi, sunt quædam mensuræ: nam tunc temporis vero iudicio rem ipsam per sensum, aut per intellectum apprehendimus, quando illam cognoscimus sicuti est à parte rei. Quod si quis roget, num scientia sit mensura rei quæ scitur, an è conuerso res quæ scitur sit mensura scientiæ necne? Alexander existimat scientiã esse mensuram, quia per illam cognoscimus rem quę scitur: at vero D. Tho. censet rem quę scitur esse mensuram, vtraque tamen opinio est vera, nam & per scientiam cognoscimus scibilile, & talis est scientia quale est scibile, & ita vnum est alterius mensura, quod dictum sit de scientia speculatiua, nam in practica (vt in artibus) scientia est mensura rerum, nã tales sunt res, quales prius repræsentãtur in idea existente in mente artificis. Supereſt tamen quę dam difficultas antequam hinc abeamus disoluenda. Idem, & diuersum, non solum in categoria substãtiæ, verumetiam et in aliis, præterea simile, & dissimile, non in sola categoria qualitatis: adhæc æquale, & inæquale, in plerisque aliis à quantitate reperiuntur, non ergo recte cum Aristo. diximus vnum in substantia facere idem, in quantitate æquale, & in qualitate simile. Respondemus Aristotelem nomine substãtiæ non solum veram substantiam, sed quidquid habere potest modum illius intellexisse, & sic de quantitate, & qualitate. Vnde vnum in substantia, vel in habente modum substantiæ facit idem, in quãtitate, vel habẽte modum illius, æquale, & inæquale in quali. vel in eo q̃ affici potest illius modo simile: & quia habere modum substantiæ, quantitatis, vel qualitatis, sese per varia rerum genera diffundit: propterea idem, simile, & æquale, in variis generibus reperientur. Legenda sunt quæ de hac re diximus lib. 3. Transcendentium cap. vltimo.

Vide Scotum libro. 5. metad. q. 13.

Dubita.

QVAESTIO II. AN RELATIO REIPSA DISTINGUATUR À SUO FUNDAMENTO.

NOn est leuis disceptatio inter Dialecticos, & Metaphysicos, de distinctione relationis à suo fundamento, num scilicet inter hæc duo distinctio aliqua realis, vel sola rationis, intercedat necne? Et quidem non distingui reipsa relationem à fundamento, sed sola ratione hæc argumenta aperte satis demonstrare vi-

re videntur.

1. Arg. Primum: Nulla entitas quæ reipsa differt ab alia entitate, potest subiecto absque illius mutatione aduenire, sed relatio (auctoribus Arist. 5. Metaph. cap. 2. D. Tho. in commentariis illius loci lect. 3.) aduenit subiecto absq. eius mutatione, ergo relatio non differt reipsa à suo fundamento.

2. Arg. Secundum. Illa quæ inter se reipsa distinguuntur, possunt per diuinam Dei potentiam ab inuicem separari, sed relatio (v. g. similitudinis) non potest separari à suo fundamento, scilicet ab albedine etenim si separaretur sequeretur aliquid esse simile, & non esse simile, simile, quia adhuc in illis corporibus remaneret albedo, ad quã necessario sequitur similitudo, & non esse simile, quia separata similitudine, quæ est relatio non possunt aliqua dici similia, ergo relatio non differt reipsa à suo fundamento.

3. Arg. Tertium. Si relatio similitudinis reipsa distingueretur ab albedine, sequeretur in Petro albo singulis diebus singulas entitates, imo & in numeras oriri: nam singulis diebus fit similis innumeris hominibus, & animalibus, quæ oriuntur alba, at hoc dicere est absurdum: nam quis credet in aliquo homine singulis diebus tot entitates de nouo oriri: Non igitur relatio differet reipsa à suo fundamento.

4. Arg. Præterea. Si relatio ab illo distingueretur efficeret haud dubie compositionem cum subiecto: nam omne accidens ab alio distinctum subiecto inhærens, efficit cum illo compositionem accidẽtariam: at relatio nullam potest cum subiecto efficere compositionem, Petrus etenim post quam est pater, non est magis compositus quam antequam esset, vt testatur D. Tho. q. 7. de potentia, arti. 8. ergo relatio non differet reipsa à suo fundamento.

5. Argu. Adhæc. Si relatio distingueretur ab eodem, sequeretur, vt progrederemur in infinitum, quod certe admitti nullo modo debet, quod vero sequatur ita confirmo. Distinctio qua distinguitur relatio à suo fundamento, est vera relatio: vel itaque hæc distinguitur à fundamento re ipsa, vel non distinguitur, si non distinguitur, assequimur institutum: si vero distinguitur, ergo cum hæc secunda distinctio sit relatio, quærendum erit de illa, an distinguatur à fundamento necne: quod si nõ distinguitur, iam ergo erit relatio quę non distinguitur à fundamento, si vero distinguitur, ergo progredien dum erit in infinitum.

6. Arg. Iam. Quæ habent easdem differẽtias essentiales, nõ differunt reipsa, sed relatio & fundamentum habent easdem differentias essentiales, dictum enim est à nobis in superiori quæstione relata iuxta rationẽ fundamenti, esse diuidenda in relata p. 2 & 3. ordinis, ergo, &c.

7. Arg. Iterum. Qualitas est fundamentum alicuius relationis, sed illa non differt reipsa à relatione, ergo aliqua relatio non differt reipsa à suo fundamento ac proinde neque nulla, cũ non sit maior ratio vnius quã aliarum. Propositio est perspicua, confirmatur assumptio, ex Arist. libro 7. Physic. cap. 3. ita argumentante: ad relationem non est per se motus, sed habitus (qui est prima species qualitatis) non distinguitur reipsa a relatione, ergo ad primam speciem qualitatis non erit per se motus, ex qua argumentatione aperte constat (iudicio Aristo.) relationem non distingui reipsa à qualitate.

Vltim argum. Ad extremum confirmatur auctoritate D. Tho. qui variis in locis apertissime docet relationem non distingui reipsa à suo fundamento 5. phisicorum cap. 2. lectione 3. & 5 metaphisicorum cap. 15. & opusculo 48. cap. 3. de relatis & in aliis locis citatis à Ferrari. in loco infra proponendo. Ex his igitur colligere profecto licebit, relationem non re, sed sola ratione à suo fundamẽto differre.

1. Opin. In hac quæst. ancipiti, & apud superiores philosophos multis clamoribus agitata, sunt varię inter seque multum discrepantes sententiæ. Prima est quæ tuetur relationem non re, sed sola ratione à suo fundamento differre, esseque ipsam & fundamentum rem vnam, & eandem, vt similitudinem (verbi gratia) & albedinem. Sequuntur hanc Herueus 1. sententiarum distinctione 30. quæst. 1. Gregorius eodem libro distinctione 28. quæst. 2. Soncinas 5. metaphy. quæst. 28. Iauellus in eodem libro quæst. 22. Magister Sotus in quæst. 2. huius categoriæ, Bartholo. Torres prima parte quæst. 28. arti. 2. & Cumel in commentariis eiusdem loci quæst. 6. & alij multi philosophi ex

2. opin. recentioribus. Secunda opinio est huic ex diametro opposita, omnem nimirum relationem à suo fundamento esse reipsa distinctam, quam amplexi sunt illustres Philosophi Capreolus in primo distinctione 30. quæst. 1. Deça ibidem notabili 2. Caietanus 1. p. q. 28. art. 2. M. Bañes ibidem quæst. 1. Ferrariensis 4. contgent. cap. 14. Aquarius 5. metaphy. q. 19. Suesanus in eodem lib. & q. quã vt veriorem multi grauissi. viri, ex his quorum opera nondum in lucẽ

3. Opi. prodierunt profitentur. Tertia opinio est inter duas extremas media Scoti in 3. dis. 1. q. 1. & Scotist. distinguẽtium relationes in duo genera, nimirũ in intrinsecus & extrinse. adueniẽtes, ex relation. siquidẽ quædam sunt quarum fundamenta nullo modo possunt esse sine ipsis relationibus, vt est relatio creaturæ ad creatorem, creatura enim sine huiusmodi habitudine cohęrere nullo modo potest, alię vero sunt quarum fundamenta possunt esse sine relationibus, vt sũt similitudo, & æqualitas: nam candor qui est fundamentum similitudinis, & quãtitas æqualitatis, absque his relationibus existere recte possunt. Relationes prioris generis vocantur ab eis intrinsecus, posterioris vero extrinsecus aduenientes. Constituunt itaque in relationibus intrinsecus aduenientibus, illas non distingui reipsa à suis fundamentis, atque ita relatio creaturę nõ differt reipsa ab illa, in aliis vero extrinsecus aduenientibus, relationes reipsa distingui à suis fundamentis. Ratio autem vtriusque est vna & eadem: nõ iuxta Scotistas ex separatione vnius rei ab altera colligitur distinctio rei inter illa extrema, ex inseparabilitate vero in distinctio, vel idemptitas realis, quare cum in relationibus intrinsecus aduenientibus fundamentũ non possit à relatione separari, illa duo erũt vnum, & idem: at cũ in aliis extrinsecus aduenientibus fundamentum possit à relationibus separari, illa duo reipsa inter se distinguentur.

1. obser. His igitur opinionibus recẽsitis, vt quæstionem hanc commodius diffinire valeamus, breuiter erunt nonnulla præfanda. Primum in relationibus duplex esse fundamentum proximum vnum, & alterum remotum: etenim cum relatio & sit accidens, & tale accidens, quod refertur ad terminum, fundamentum illius ea ratione qua est accidens erit substantia, quæ omnium accidentium est commune subiectum. Fundamẽtum vero eiusdem ea ratione qua est tale accidens, vel erit quantitas, vel qualitas, vel actio, et passio, vt in superiori q. dedimus explicatũ.

Nam

Nam cum relatio inter omnia entia minimam, & exiguam obtineat entitatem, ita vt ad entia rationis fere proxime accedere videatur, ægebit fundamento aliquo eiusdem generis accidentiũ, cuius ope possit substantiæ (quæ est omniũ commune subiectum) inhærere. Ex his substantia est fundamentum remotum, quã titas vero, qualitas, actio, & passio, proxima fundamenta nuncupãtur. Quare in hac quæst. in qua quærimus an relatio distinguatur à fundamento, de vtroq; instituimus disputationem, tam scilicet de proximo, quam de remoto. Alterũ quod præfamur est, distinctionem rei esse quandam entis proprietatem, nam idem, & diuersum, proprietates sunt illius, ex his quæ cum disiunctione dicuntur: nam omne ens alteri comparatum, vel est idem, vel diuersum ab eo: atque ita cum ens ex Agidio & D. Tho. aliquando essentiam, & aliquando non eam sed solam existentiam significet vt abunde satis libro primo transcendentium cap. 3. docuimus, ita quoque duplex erit distinctio rei, vna secundum essentiam, & altera secundum existentiã. Secundum essentiam illa erit, quæ intercedit inter extrema rei, quorũ essentiæ inter se distinguuntur, qua ratione actio, & passio, materia, & forma, re ipsa distinguũtur, quia habent naturas & essentias rei & inter se maxime distinctas. Secundũ existentiam vero illa reipsa distinguũtur, quorum existentiæ sunt reales, & inter se realiter distinctæ, qua ratione quantitas, & qualitas, realiter differunt, quia habent existentias inter se realiter distinctas, materia vero, & forma, non possunt inter se hoc modo distingui, quia vtriusque est eadem existentia, a forma promanans. Illud etiam sciendum est relationes non habere propriam aliquã & peculiarem existentiam distinctã ab existentia ipsius fundamenti, quod certe quam sit verum, ita possumus suadere. Existentia accidentium est inhærentia eorum secundũ actum in subiecto, vt in antecategoriis accidentium docebamus, sed relationes non inhærent subiecto alia inhærentia quã inhærentia sui fundamenti: nam si inhærerent, possent absque fundamento esse in illo: quẽ admodum quia qualitates habent propriam inhærentiam distinctam ab inhærentia quantitatis, possunt esse in subiecto absque quantitate: De spiritalibus enim qualitatibus hoc non est dubium, de corporeis vero saltim per potentiam diuinam hoc fieri posse, est probabile maxime, cum tamen impossibile sit omnino, relationem (etiam per potentiã diuinam) à suo fundamento separari. Tum etiam quia si relatio inhæret subiecto per inhærentiam distinctam ab inhærentia sui fundamenti, sequeretur vt efficeret cum subiecto aliquam compositionem accidentariam, distinctam à cõpositione sui fundamenti, quod certe pugnat cũ decretis D. Tho. q. 7. de poten. arti. 8. Et tandem quia relatio est tam exiguæ, & minimæ entitatis, vt per se ipsam (nisi à fundamẽto adiuuetur) recipere subiectum nullo modo queat, quare cum hic respectus secundum actum, sit existentia accidentium, profecto relationes non habebunt propriam, & peculiarem existentiam, ab existentia sui fundamenti reipsa distinctã. Quod si quis dicat omne accidẽs rei, inhæret subiecto per propriam inhærentiam, at relatio est accidens rei (agimus de prædicamentali de qua sermo est in Istitutis) ergo habebit illa propriam inhærentiam in subiecto. Respondemus, propositionem esse veram in accidentibus absolutis, esse tamen falsam

2. Obserua.

1. Arg.

2. Arg.

3. Argu.

Obiect.

3. Observatio.

falsam in aliis relatis: nam quemadmodum in substantiis, non omnis existit per propriam existentiam, illa nimirum quæ ab aliquo dependent, vt partes quæ dependent à toto existũt per existentiam totius, & materia prima quæ dependet à forma existit per existentiam à forma fluẽtem, ita quoque in accidentibus illa quæ ab aliis dependent, non habebunt propriam existentiam, sed existent per alterius existentiã, ac proinde, quãuis relatio depẽdeat à suo fũdamento, non habebit aliquã existẽtiam ab illius existentia distinctam.

1. Conc. Sit iam prima conclusio relationes quæ immediate fundantur in substantia, vt sunt similitudinis, idemptitatis, vel diuersitatis genericæ, aut specificæ, non differunt reipsa realitate secundum existentiam à suis fundamentis, bene tamen realitate secundum essentiam. Primam partem non distingui realitate secũdum existentiam confirmamus ex his quæ sectione 1. q. 6. aduersus Ferrariensem, & Soncinatem cũ Petro. Nigro diximus, has relationes quæ fundantur immediate in substãtia, esse transcendentes, quare cum transcendentia, non differant reipsa à subiectis de quibus dicuntur, neque hæ relationes reipsa differunt secundum existentiam à substantia. Alteram partem differre realitate secundum essentiam, cõfirmamus primo.

1. Arg. Quia essentia harum relationum est referri ad aliud, substantiæ vero est existere per se. Secundo quia in essentia relationum includitur terminus in quem feruntur in obliquo, at in essentia substantiæ talis terminus non includitur in obliquo. Quod

Obiect. si quis nobis aduersus primam partem obiiciat auctoritatem D. Tho. 1. senten. dist. 4. art. 2. ad 1. constituen-

Solutio. tis in creaturis relationem non posse esse de substantia rei. Respondemus illum vel nomine substantiæ essentiam intellexisse, ac siuellet dicere, in creaturis relationem non esse de essentia earum, vt in diuinis relationes sunt de essentia personarũ quas constituunt, quod nos libenter admittimus, vt cõstat ex his quæ nunc proxime dicebamus. Vel intelligendus est de relationibus quæ fũdantur in substantia medio aliquo accidente absoluto, vt media quantitate, vel qualitate, quales sunt relationes similitudinis, vel æqualitatis, & non de aliis quæ immediate fundantur in substantia, nam illæ primẽ cum existant per existentiam suorum fundamentorum, quæ reipsa differt ab existentia substantiæ, non poterunt in creaturis esse idem cum substantia.

2. Conc. Secunda conclusio. Relatio quæ fundatur in accidentibus, vt similitudo, quæ fundatur immediate in qualitate, reipsa distinguitur à suo fundamento distinctione rei secundum essentiam. Confirmatur imprimis auctoritate D. Tho. qui quamuis aliquando fauere videatur opinioni aliorum, cæterum si accuratè perpendamus varias eius auctoritates, potius pro nobis quã pro illis esse apparet nã 1. par. q. 28. art. 2. in solutione 2. argumẽti, docet in creaturis illud quod est extra significatum nominis relatiui, esse aliam rẽ à relatione, vnde cum fundamentũ relationis sit extra significationem nominis relatiui, vt albedo est extra significationem similitudinis, iudicio D. Thom. relatio reipsa differt à fundamento, & idem testatur 12. metaphy. tex. 19. & 4. Cõtra Gent. c. 14. quemadmodum ex his & ex aliis multis locis accurate colligit Ferrariensis 4. Contra Gentes in cap. proposito. Præterea confirmatur eadem conclusio his argumentis, quorum

1. Arg. primum sit. Causa efficiens & effectus,

D. Th. fauet huic cõclusio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctus, reipsa differunt iudicio omniũ Philosophorum, sed fundamentum est causa efficiens relationis, ergo re ipsa differet ab ea. Confirmatur assumptio. Fundamentum est causa relationis, sed non est causa vt materia, nam subiectum, vel materia omnium accidentium, est substantia neque est causa vt forma nam fundamentũ nõ essentia relationis, cum sit res absoluta: neque est causa vt finis, quia finis alicuius relati est terminus, & correlatum in quem fertur, superest itaque à sufficienti diuisione, vt fundamentum sit causa efficiens relationis. Confirmatur hoc argumentum, eodem modo se habet fundamẽtum ad relationem, quo se habet natura subiecti ad proprietates fluentes ab illa: nam quemadmodum proprietates per quandam naturalem resultantiam, & emanationem oriuntur à natura subiecti (vt risibilitas oritur ab homine) ita etiam relatio posito termino, per quandam resultantiam, & emanationem naturalem, oritur à fundamento, sed proprietates destinatę ad aliquid agendum, distinguuntur reipsa à natura subiecti à qua fluũt, ergo relatio quoque reipsa differet a fundamento à quo fluit in genere
2. Arg. causæ efficientis. Secundum. Magis differunt duo entia vnum relatum, & alterum absolutum, quam duo entia absoluta, nam minus conueniunt relatum, & absolutum, quam duo entia absoluta: sedduo entia absoluta, vt quantitas, & qualitas reipsa differunt: ergo relatio & fundamentum quod est ens absolutum re
3. Arg. ipsa distinguẽtur. Tertiũ. Magis differunt albedo & similitudo, quam duæ albedines, sed duæ albedines reipsa differunt, vt albedo Petri & Franciſci, ergo albedo & similitudo reipsa different, sed similitudo est relatio & albedo est fundamẽtum, ergo, &c. Confir. propositio ea quę continentur in diuersis categoriis magis differunt, quã ea quæ continentur intra eandem categoriã, sed duæ albedines continentur in eadẽ categoria qualitatis, albedo & similitudo continentur in diuersis categoriis, quia similitudo continetur in categoria relationis, albedo vero in categoria qualitatis, ergo. &c.
4. Arg. Quartum. Quæ sunt primo diuersa, reipsa differunt: sed relatio & qualitas, vel quantitas (quæ sunt eius fundamenta) sunt primo diuersa, sunt enim genera suprema, & omnia genera suprema reipsa differunt, ergo relatio & fundamentum reipsa different. Quintum. Quemadmodũ
5. Argu. ens contrahitur per hos duos modos esse per se, & esse in alio ad sua inferiora: ita etiam accidens contrahitur per hos duos modos esse in alio, et referri ad aliud ad sua inferiora, sed ens per se, & ens in alio, reipsa differunt, ergo quoque in accidẽtibus esse in alio, & referri ad aliud reipsa distinguẽtur; sed fundamenta relationis (cum sint entia absoluta) sunt in alio tanquam in subiecto, & relatio refertur ad aliud, ergo. Relatio & fundamentum reipsa distinguentur.

Tertia conclusio. Relatio & fundamentum non differunt reipsa distinctione rei secundum existentiã. Confirmatur. Illa quorum est eadẽ existentia, non differunt reipsa secundum existentiam, sed fundamẽti, & relationis, est vna & eadem existentia, vt nonnullis argumentis ostendimus in vltima obseruatione huius quæstionis, igitur relatio, & fundamentum, non differunt reipsa realitate secundum existentiam. Vnde quemadmodum iuxta opinionem Thomistarum materia prima et forma reipsa distinguuntur secundum essentiam: eo quod alia

3. Conc.

Consec.

alia sit essentia materiæ primæ, & alia formę, quia materia prima est pura potentia, forma vero purus actus, non tamen distingui reipsa secundum existentiam, quia materia prima nonhabet existentiam reipsa distinctam à forma, imo ex sua natura nullam habet, sed per eandem existẽtiam per quam existit forma, existit quoq. materia prima: Ita quoque constituendum erit de relatione & fundamẽto, distingui hæc duo reipsa secũdum essentiam, eo quod alia sit natura fundamenti, & alia relationis, non tamen distingui secundum existentiam, quia vtriusq. vna est, & eadem existentia, relatio enim nullam aliã habet existentiam præteream quam habet eius fundamentum in subiecto. Et ita quidam hanc distinctionem quæ intercedit inter relationem & fundamentum, vocarũt distinctionẽ rei formalem, non autem distinctionẽ rei, quæ est inter rem, & rem, quia vt distinguantur realiter formaliter, sufficit habere huiusmodi extrema naturas reipsa distinctas, at vero vt distinguantur reipsa, tanquam res à re, necesse est obtineant existentias reipsa separatas.

M. Bañes vbi supra & alij.

Occurramus iam argumẽtis quæ in initio proposuimus Ad primum respondemus duplicem esse mutationem, vnam physicam, & naturalem, quæ fit per verum motum, & expulsionem contrariæ qualitatis, vt est calefactio, vel dealbatio, & alteram metaphoricam, quæ non fit per verum motum, aut per expulsionem contrarij, sed per simplicem quandam emanationem, & resultantiam naturalẽ: vnde propositio vera est, de vna, vel de altera ex his duabus mutationibus. Ad auctoritatem vero Arist. et D. Tho. docentes ad relationem non esse per se motum dicimus, intelligendos esse primo, & per se, & demotu physico, nõ autem de metaphorico: nam hac ratione relatio aduenit subiecto per mutationem, resultat enim illa naturaliter à fundamento posito termino in rerum natura. Vel respondemus Arist. esse loquutum de mutatione rei absoluta, non autem de relatiua. Itaque relatio potest alicui aduenire sine mutatione absoluta, quæ primo, & per se terminetur ad illã, non potest autem aduenire sine mutatione relatiua: nam subiectum quod de nouo recipit relationem, necesse est, vt mutetur relatiue. Prima solutio est Ferrarienſis 4. cont. gent. cap. citato, secũda vero Durandi in 1. dist. 30. q. 2.

Ad 1. argumen,

Ad secundum respondemus falsam esse propositionem, sępe ab Scoto repetitam: nam materia prima, & forma, reipsa differunt, cum tamen neque per potentiam diuinam, materia prima possit separari à forma. Respondemus deinde ad assumtionem, admisso relationem posse separari à fundamento, non sequi aliquod ex absurdis propositis: nam si relatio separaretur à duobus corporibus albis, essent illla corpora similia fundamentaliter, & non formaliter, vel relatiue, obtinerent enim albedinem quæ est fundamentum similitudinis, & nõ obtinerẽt formã similitudinis, at vero quod absurdũ est esse aliqua similia fundamẽtaliter & nõ esse formaliter, cum hæc inter se non contrarientur?

Ad 2.

Ad tertium respondemus falsum esse in homine albo innumeras entitates relatiuas de nouo singulis diebus oriri, nam Petrus albus per eandem relationem similitudinis refertur ad omnia alba. Vnde ortis de nouo aliquibus corporibus albis non oritur noua relatio in Petro albo, sed relatio similitudinis quæ antea extiterat, extendit se ad omnia alba

Ad 3.

Universidad de Austral
Biblioteca

2. Solu. quæ deinde oriuntur. Deinde respõ deo nullum esse incommodum con cedere, posse in aliquo corpore albo innumeras entitates relatiuas de no uo oriri, esse autem absurdum oriri innumeras absolutas, quia possunt relatiuæ multiplicatis terminis mul tiplicari: & ita si termini possũt mul tiplicari in infinitũ, etiam relationes poterunt ita multiplicari. Ex his so lutionibus prima est acuratior.

Ad 4. Ad quartum respondemus in relatione esse duo, vnum est esse in, vel inhærere subiecto, alterum est esse ad, vel referri ad terminum: pri mo modo relatio compositionẽ effi cit cum subiecto, nam quemadmo dum albedo efficit cum subiecto cõ positionem efficiens illud albũ: ita quoque relatio efficit compositionẽ cum subiecto illud relatiuum effi ciens: secundo vero modo relatio nullam compositionem efficit cum illo, non enim significat aliquid sub iecto inhærens, sed denotat aliquid extrinsecum ab eo, habitudinem sci licet ad terminum, & sic à veteribus appellabatur relatio hac ratione nõ intrinsecus affixa (vt primo modo sumitur) sed extrinsecus assistens, qua ratione est intelligendus D. Th. loco citato: ipse siquidem dist. 3. art. 1. constituit relationem vt inhæren tem in subiecto, efficere compositio nem veram, & propriam cum eo, quemadmodum & reliqua alia acci dentia. Hoc autẽ intelligi debet, nõ de relatione vt separatur ratione à suo fundamento: ita enim nullam compositionem efficit cum subie cto, cum tantum hac ratione sumatur vt ad alterum referens, & non ut inhærens, sed intelligi debet de ea, vt est eadem cum fundamento, hoc enim modo, efficit composi tionem cum subiecto, non quidem distinctam à compositione quã effi cit fundamentum, sed eandem, quã uis alio modo sumptam, nam non habet diuersam inhærentiam in sub iecto sed eandem, vt iam supra dedi mus confirmatum.

Ad quintum respondemus. falsam esse propositionem. Ad probationem vero dicimus, relationem distinctio nis inter relationem, & fundamen tum, non esse relationem categoriæ, sed transcendentem: nam idem, & diuersum secũdum essentiam, sunt quædam proprietates entis, at vero iam docuimus relationem transcen dentem non non distingui reipsa à suo fundamento. Ad 5.

Ad sextum respondemus relatio nes extrinsece, & materialiter, diui di ad diuisionem fundamentorum, non autem secundum essentiam: nã quia sunt nobis occultæ differentię relationum, diuiduntur illæ, per no mina cognita suorum fundamento rum: at vero illæ quæ habent easdẽ differentias extrinsece, & materiali ter reipsa distinguntur. Ad 6.

Ad septimũ respondemus impri mis multa ab Arist. disputari proba biliter in hoc lib. Respondeo dein de, hunc librum falso esse tributum Arist. quemadmodum viri grauissi mi testantur, vt Eudemus, Alexan der Aphrodiseus, ac Franciscus Pa tricius 4. libro discutionum peripa teticarum: & ita Themistius quæ dam capita ex hoc libro interpreta tur prætetmitens cap. 3. ex quo peti tur huiusmodi auctoritas. Ad 7.

Ad vlti respondemus D Tho. in telligendum esse de distinctione rei secundum essentiam, non autem se cundum existentiam. Animaduertẽ dum est tamen obiter opus illud D. Tho non esse illius, quemadmodũ neque alia opuscula quæ eius nomi ne circumferuntur, vt annotat D. Antoninus 3. p historialititu. 19. pa ragrapho vltimo & Sixtus Senensis 4. libro bibliotecæ sacræ in vita D. Tho. Ad vlt.

Tho inter quæ & hoc opus numera tur vt iam supra admonuimus.

QVAESTIO III. AN RELATIO IDEMPTITATIS SIT RELATIO REI VEL RATIONIS.

POst explicatam naturam fundamenti, sequitur vt de quibusdã relationibus, nimirũ idemptitatis, æqualitatis, & similitudinis, quæ substantiæ, quantitati, & qualitati innituntur, sint ne reales, vel rationis, disseramus. Imprimisque de relatione idemptitatis, quam esse realem, his argumentis demonstramus, primum est. Petrus à parte rei est idem sibi ipsi, sed hæc idemptitas est idemptitas numerica, ergo idemptitas numerica erit relatio rei cum habeat esse prẽter intellectum. 1. Arg.

Secundum. Distinctio numerica inter Dominicũ & Franciscum est relatio rei, ergo idemptitas numerica in Dominico erit quoque relatio rei. Antecedens patet, consequentia probatur. Contrariorum eadem est ratio, sed distinctio numerica, & idemptitas sunt contraria, ergo cum distinctio numerica sit relatio rei, idẽptitas numerica erit relatio rei. 2. Argu.

Tertium quod est album, est albedine album quæ est ens rei, ergo quidquid erit idem, erit idem idemptitate quæ sit relatio rei, & ita idemptitas numerica erit relatio rei. 3. argu.

Obser. Vt hanc quæstionem dissoluam, animaduertẽdum est duplicem esse idemptitatem, vnam numericã, qua dicimus Iacobum esse idem sibi ipsi, & alteram specificam, vel generic am, quæ duplex est, vna vnius tantum extremi, vt est relatio idemptitatis Petri cum animali, quæ vocatur generica, & cum homine quæ dicitur specifica: altera vero est duorum, vel plurium extremorum, generica quidem, vt est relatio idemptitatis inter hominem, & equum, ratione naturæ animalis, specifica vero, vt est relatio idemptitatis naturæ humanæ, inter Petrum & Frãciscum. His animaduersis sit prima conclusio.

Relatio idemptitatis numericæ, nõ est relatio rei, sed rationis, vt est relatio in petro eiusdẽ ad se ipsum. Confirmatur in omni relatione rei debent extrema esse reipsa distincta, sed idem non est extremum, à se ipso reipsa distinctum, ergo relatio idemptitatis numericæ non erit relatio rei. 1. Conc.

Secunda conclusio. Relatio idemptitatis genericæ, vel specificæ, vni extremi, vt est relatio idemptitatis, inter petrum, & animal, vel inter petrum, & hominem, est relatio rationis. Confirmatur eodem modo, quo superior: nã hæc extrema non differũt inter se, & ita nõ erit relatio rei. 2 Conc.

Tertia conclusio. Relatio idemptitatis specificę, vel genericę, inter plura extrema re ipsa distincta, vt est relatio idẽptitatis specificæ, iuxta natura humanã, inter Petrũ, & Paulũ, & genericæ, in natura animalis, inter hominem, & equum, est vera relatio rei. Confirmatur contrariis argumentis quibus confirmatæ fuerunt superiores conclusiones: quia extrema, fundamẽta, & termini, quę requiruntur ad relationem realem sunt realia, & realiter distincta. 3. Conc.

Iam ad argumenta quæ in initio proposuimus respõdeamus Ad primum respondemus, duplicem esse idemptitatem numericam, vnam fundamentalem, & alteram formalem, vnde petrus est idem sibi ipsi fundamentaliter, propter vnam naturam numero, quæ est fundamentum idempritatis numericæ, non tamen est idem sibi ipsi formaliter, per relationem idemptitatis nisi per Ad 1. argum.

intellectum apprehendentem Petrũ
Ad. 2. vt duo extrema relationis. Ad secũ
dum respondemus negantes conse-
quentiam, & ad confirmationem di
cimus, esse disparem rationem de di
stinctione numerica, & de idempti-
tate, eo quod extrema distinctionis
numericæ sunt reipsa distincta, &
ita distinctio numerica, erit relatio
rei, at vero extrema idemptitatis nu
mericæ, non sunt distincta à parte
Ad 3. rei, ac proinde idemptitas numeri-
ca non erit relatio rei. Ad tertiũ res-
pondemus negantes consequentiã,
nam albedo est accidens absolutũ,
accidentia autem absoluta nõ pos-
sunt esse entia rationis: at vero idẽ-
ptitas est relatio aliquando rei, & a-
liquando rationis, vt exposuimus
in superioribus. Consulendus est
Soncinas 5. metaphy. q.

QVAESTIO IIII. AN AEqualitas & similitudo sint relationes rationis.

EST etiam controuersia de rela
tionibus æqualitatis, & similitu
dinis, sint ne illę reales, vel rationis
nam non esse reales, his argumentis
haud parui ponderis possumus suа-
9. argu. dere. Primũ est. Illa est relatio ratio
nis cuius fundamentũ est ens ratio-
nis: at fundamẽtũ similitudinis & æ
qualita. est ens ratio. vnitas nimirũ
specifica in quanti. vel qualita. quæ
est ens rationis, cũ tantũ habeat esse
per intellect. vt docuimus in disp̃u-
tatione de vniuersis: ergo, &c. Secũ.
2. Arg. Eadẽ est ratio de similitu. & æqua-
lita., quæ est de idemptitate: sed idẽ
ptitas est relatio rationis, vt docui-
3. argu. mus: iam ergo similitudo & æqualitas erunt relationes rationis, & non relationes rei. Tertium. Si relatio similitudinis, vel æqualitatis, essent relationes rei, vel fundaren-
tur in vnitate numerica, vel specifi
ca, vt est apertum: atqui in neutra
vnitate fundantur, ergo &c. Confir-
matur imprimis non fundari in vni
tate numerica, quia tunc temporis
duo extrema æqualia essent affecta
eadem quantitate numerica, quod
tamen est falsum: neq. possunt fun-
dari in vnitate specifica, nam duæ
lineæ quarum vna sit maior, & alte-
ra minor, sunt eiusdem speciei, &
vnitatis specificæ, quæ tamen non
sunt æquales, & duæ albedines qua
rum vna sit decem graduum, & alia
quindecim, sunt eiusdem speciei, &
vnitatis, quæ tamen non sunt simi-
les, vel dissimiles, cum habeant gra- 4. Arg.
dus diuersos ergo &c. Quartum. Si
relatio similitudinis esset relatio rei,
cum aliquod album sit simile infini
tis aliis albis, infinita entia rei essent
ac reperirentur in illo: hoc autem
videtur maximum absurdum: iam
ergo relatio similitudinis erit rela-
tio rationis.

Capreolus 1. sent. dist. 31. quæst 1. in argumẽtis aduersus tertiam asser- 1. Opin.
tionem refert Aureolum, & Duran-
dum, & alios existimasse similitudi
nẽ, & æqualitatẽ esse formaliter & se
cundũ essentiã relationes rationis.
Cæterũ idem Capreol. Sonci. 5. meta
phy. q. 34. Niger 2. p. clypei qu. 41. &
alij censent similitudinem, & æqua
litatem else in creaturis relationem
rei, quam opinionem tanquam ve
riorem hac assertione explicamus.
Aequalitas & similitudo sunt rela-
tiones reales. Hanc cõfirmamus pri
mo. Similitudini, & æqualitati con-
ueniunt omnes proprietates relatio
nis realij, quia extrema & fũdamẽta
sunt reipsa distincta, sunt præterea
extrema eiusdem ordinis, ergo crũt
relationes rei. Secundum. Similitu-
do, & æqualitas, conueniunt rebus
præter intellectum, sed illæ relatio-
nes quæ conueniunt rebus præter
intel-

intellectum sunt relationes rei, ergo
similitudo, & æqualitas erunt rela-
tiones rei. Tertium proprietates en-
tis rei sunt entia rei, sed similitudo,
& æqualitas, sunt proprietates entis
rei: nã similitudo est proprietas qua
litatis, æqualitas vero quantitatis,
ergo erunt relationes rei. Dictũ est
autem similitudinem, & æqualitatẽ
in creaturis esse relationes rei, nam
in diuinis (iuxta opinionẽ D. Tho.)
æqualitas, & similitudo, non sunt
relationes rei sed rationis, quia fun-
damentum harum relationũ (quod
est natura diuina) non est re ipsa di-
stinctum in extremis relatis, sed est
vnum, & idem numero in illis om-
nibus.

4. Arg. Satisfaciamus iã argumentis quæ
in initio proposuimus. Ad primum
respondemus falsam esse assumptio-
nem, nam vnitas quæ est fundamẽ-
tum similitudinis, & æqualitatis, nõ
est vnitas formalis, & positiua, sed
materialis, & negatiua: at vero hæc
vnitas negatiua, nõ est ens rationis,
Ad 2. sed rei. Ad secundum respondemus
falsam esse propositionem, si intelli-
gatur de idemptitate numerica: nã
in relatione similitudinis, vel æqua
litatis, extrema relata re ipsa diffe-
runt: at vero in relatione idemptita
tis non differunt re ipsa. Si vero lo-
quamur de idemptitate specifica,
vel generica, falsa est illa: nam hæc
idẽptitas est relatio rei, vt diximus
in eadem quæstione. Ad tertium res
pondemus cum Capreolo, funda-
Ad 3. mentum harum relationũ esse vni-
tatem specificam, vt in æqualitate
fundamentum est vnitas specifica
quantitatis. Verum animaduerten-
dum est quantitatem posse summi
aut in ratione diuisionis, aut in ra-
tione commensurationis, primo mo
do vnitas quantitatis non est fun-
damentum æqualitatis, sed secũdo
modo, quemadmodum profitetur
D. Tho. 1. sent. d. 19. q. 1. ar. 1. Vnde
quamuis duæ lineæ vna maior, & al
tera minor, sint eiusdẽ speciei, sum-
pta quãtitate in ratione diuisionis,
quia quemadmodum vna illarum
est longitudo sine latitudine, ita
quoque & altera, non tamẽ sunt illa
eiusdem vnitatis specificæ sumpta
quantitate in ratione mensuræ: nã
aliam rationem mensuræ habet li-
nea maior, vt decem palmorum, &
aliam minor, vt quinque, & ita duæ
hæ lineæ sunt inæquales. At vero
sumptis duabus lineis eiusdem ra-
tionis in ratione mensuræ, vt dua-
bus quinque palmorum in vnitate
specifica earum, fundatur relatio
æqualitatis. Ad quartum respon- Ad 4.
demus, in albo tantum esse vnicam re-
lationem per quam refertur ad om-
nia alba: vnde non sunt in illo infi-
nitæ entitates, vt sequenti sectione
ostendemus. Num autẽ in substã-
tia possit fundari aliqua relatio, iam
supra diximus sec. 1. q. 6.

QVAESTIO V. AN RElatio à fundamento obtineat realitatem.

NOmine realitatis in hac quæst.
intelligimus habere esse præter
omnem operationẽ intellectus. Et
quidem non obtinere his argumen 1. Arg.
tis possumus demonstrare. Primũ.
Relationi ex sua essentia, & natura,
competit esse realem, ergo non aliũ
de, neque à fundamento realitas po
terit illi conuenire. Antecedens in
hunc modum confirmatur, nam cõ
sequentia satis est aperta. Relatio
omnis quæ continetur in hac cate-
goria secundum essentiam contine
tur sub ente diuiso in decem catego
rias, sed ens diuisum in decem cate
gorias est ens reale, ergo relatio ex
sua natura erit ens reale. Secundo.

2. Arg. Entitas relationis est referri ad aliud, ergo ex habitudine ad terminum suam realitatē obtinebit. Tertio. Relatio de qua hic agimus est ex
3. Arg. sua natura aliquod prædicamentū, vel categoria, ergo vel erit substantia, vel accidens: sed tam substantia quam accidentia sunt ex sua natura
4. Arg. entia realia, ergo relatio ex sua natura habebit realitatem. Præterea. Relatio sumit suum esse specificum à termino: sed esse specificum est esse reale, ergo à termino habebit realitatem, & non à fundamento.

1. Conclusio. In explicationem tamē sit prima cōclusio. Relatio ex sua propria ratione & natura, nullam indicat realitatem (loquimur de relatione, vt est natura quædam analoga ad realem, & rationis, & vt tantum denotat esse ad, vel referri ad terminum) Hāc profitetur D. Tho. 1. p. q. 28. artic. 1. & 2. & in 1. dist. 20. arti. 1. & 26. q. 2 arti. 1. & dist. 30. arti. 1. & q. 2. de potē tia, arti. 5. consulēda est tabula Ver. Relatio nu. 4. Idem sentiunt Ferrarienſis 4. contra gent. cap. 14. & Soncinas 5. metaphy. q. 26. Et confirma
1. Arg. tur primo, quia si hæc relatio ex sua natura haberet realitatem, & relatio rationis haberet etiam illam, nam vtraque sub hac relatione comprehenditur, quod certe quam sit falsum, non est cur à nobis hoc loco
Confir. debeat demonstrari. Confirmaturque argumentum. Relatio nullum esse reale ponit iuxta illud quod habet commune cum relatione rationis: sed relatio rationis nullam denotat realitatem, ergo relatio hac ratione sumpta nullam denotabit rea
3. Arg. litatem. Deinde si relatio ita sumpta haberet aliquam realitatem, vel illa esset ens per se, vel in alio: at neque potest esse ens per se, quia non est substantia, neque in alio, quia modus hic proprius est rerum absolutarum, ergo relatio ex sua natura nullam denotabit realitatem.

Secunda conclusio. Relatio non habet à termino suam realitatē hæc 2. Con.
est D. Tho. quodlibe 12. ar. 1. in corpore, confirmaturq. primo, quia ali quando terminus relationis realis, 1. argu.
est ens rationis, vt in Dialectica, terminus relationis scientiæ ad scibile, est ens rationis: hoc enim est illius obiectum, non igitur à termino realitatem obtinebit. Secundo vtor argu. Iauelli 5. Metaphy. q. 22. Si rela 2. arg.
tio suam realitatem à termino obtineret, sequeretur vt hanc realitatē antequam esset terminus non haberet, vnde fieret vt posito termino, per aduentum relationis subiectum mutaretur: nam per aduentum alicuius realitatis, debet necessario subiectum mutari, hoc autem aduersatur & Arist. & D. Tho. 5. physico. cap. 2. docentibus, subiectum per ortum relationis nullo modo mutari, non igitur à termino habebit realitatem.

Tertia conclusio. Relatio suam 3. Conc.
realitatem haurit à fundamēto. Profitentur hanc D. Tho. in 1. dis. 26 q. 2. ar. 1. alijs q. in locis quæ legi poterunt in tabula v. Relatio 34. Durādus in 1. dis. 30. q. 2. Soncinas 5. Metaphy. q. 26. & multi alij, quam in
1. Arg. hunc modum verā esse demonstramus, primoque. Quia hanc realitatem nō haurit à subiecto, illud enim est relationi extrinsecum, neque à termino propter rationes in superioribus assignatas, hauriet itaque illā
2. Arg. à fundamento. Iam. Si abhis relationibus secludas terminum, & subiectum, semper manet eadem realitas relationis: quemadmodū si præscindamus omnia alia solo termino remanente semper remanebit forma & essentia relationis, habebit itaque à fundamento suam realitatem. Vnde cum in relatione duo reperiantur, & realitas, & essentia, à termino vel

vel (vt verius loquamur) ex habitudine ad illum, essentiam: ex fundamento vero, realitatem obtinebit.
Obser. Sciendum est tamē plura requiri ad realitatem quam fundamentum, et enim requirūtur extrema realia, subiecta realia, & alia de quibus diximus in secti. 1. q. 2. huiꝰ catego. Verū hæc omnia requiruntur tanquam conditiones sine quibus nō: at à solo fundamento tanquam à legitima causa suam realitatem cōsequetur.

Iam ad argumenta quæ in initio proposuimus. Ad primum respon.
Ad 1. ar gumen. relationē ex sua natura habere esse relatum, quod autem sit realis, non habere ex sua ratione, sed ex fundamento: nam esse reale nō attinet ad naturam, sed ad modum illius, nam natura in eo sita est vt ad aliud referatur: quod autem sit realis modus quidam est huius naturæ, relationē rei à relatione rationis separans, & distinguens. Ad secundum respon. negando consequentiam, nam alia Ad 2. ar gumen.
est entitas, & essentia, & aliud realitas relationis, entitas quidem ex habitudine ad terminum peti debet, realitas vero quæ modus est huius entitatis, non à termino sed à fundamento hauritur. Ad tertium re- Ad 3 ar gumen.
spon. esse catego. in communi non denotare aliquam realitatem: nam in entibus rationis datur catego. in quibus nulla datur realitas. Vnde realitas modus quidam erit catego., quo inter se catego. entis rei, ab aliis entis rationis distinguentur. Ad quartum & vlti. respon. esse speci- Ad 4. ficum non esse ens reale absolute, & simpliciter loquendo, sed in sola natura reali, quæ si fuerit relata aliunde quam à termino à quo sortitur naturam habebit esse reale, nimirū à fundamento.

Sectio. III. De Relatis in qua de eorum terminis disputatur.

VLtimo de terminis in quos omnia relata feruntur erit in hac tertia sectione suscipienda disputatio, sicq. fiet vt illa absoluta finem etiam toti huic de relatis disputationi imponamus.

Sect. 1. q. 1. An vnum relatum sit diffiniendum per alterum.

1. Arg. HAEC argumenta videntur parti negantī fauere. Primū. Illa diffinitio essentialis est vitiosa, quę traditur per extrinseca, sed vnum relatum est alteri extrinsecum: ergo diffinitio relati quæ traditur per suum terminum, non erit essentialis. Deinde. Vitium est in diffiniendo circulum committere: sed si vnum relatum diffiniatur per alterum committetur circulus in diffiniendo, vt est apertum: ergo non poterit vnū 2. Arg.

relatum per alterum diffiniri. Præterea non potest idem esse prius, & posterius, notius, & ignotius: sed si vnum relatum per alterum diffiniretur, idem esset prius, & posterius, notius & ignotius, ergo non potest vnum relatum diffiniri per alterum Confirmatur assumptio. Illud per quod aliquid diffinitur, est prius, & notius, re diffinita: si ergo vnum relatum v. g. filius per patrem diffinitur, ergo pater erit notior, & prior filio: & rursus si pater per filiũ diffinitur, filius prior, & notior erit ipso patre, & ita idem erit prius, & posterius, notius & ignotiꝰ. Adhæc.

3. Arg. Loco diffiniti licet collocare diffinitionem iuxta vnanimẽ Dialecticorum omnium consensum: at si vnũ relatum diffiniretur per alterum, id efficere non liceret, sæpissime namque committeretur nugatio, quę vitiosam reddit quamlibet diffinitionem: vnum igitur relatum non diffinitur per alterum.

1. Opin. Nonnulli de hac quæst. tale ferũt iudicium vt existiment, vnum relatum non esse diffiniendum per alterum diffinitione quid res sit, esse vero per alterum diffiniendum diffinitione quid nominis, seu quæ explicat nominis significationẽ, & æthymologiam. Vnde dicunt hanc diffinitionem, pater est filii pater, non esse quidditatiuam, sed explicantẽ dumtaxat quid hoc nomen pater

2. Opin. sibi velit. Alii vero constituunt relatum non per suum correlatum debere diffiniri, sed per suum subiectum, & fundamentum, sicuti patrẽ (vt in eodem exẽplo persistamus) non esse diffiniendum per filiũ modo nuper exposito, sed per hominẽ potius, qui est subiectum paternitatis, & per vim ac facultatem generãdi adhunc modum, pater est homo pollens vi generandi. Deniq. vete-

5. Opin. res philosophi vno ore profitentur relatum vnum per alterum correlatum videlicet, ac terminum suum, esse diffiniendũ. Ita docẽt Porphy. Seuerinus Boetius, B. Albert. Mag. Caieta. in cap de specie, & Soncinas 5. lib. Metaphy. q. 33. Flandren. q. 16. art. 20. Suesa. q. 16. Scotus q. 28. Prædicamento.

In explicationem vero postremæ huius, ac rationi magis consonæ sententiæ sit prima conclusio. Omne relatum debet per suum correlatum diffiniri, vt pater per filium, dominus per seruum, & sic de aliis. Confirmatur his argu. aduersus authores duarum priorum opinionũ. Primum petitũ est ex authoritate Arist. & Porphy. Arist. namque 6. lib. Topico. cap. 3. expresse profitetur omne relatum diffiniri debere per suum correlatum, vt simplum inquit diffiniendum est per duplũ, & duplũ per simplum. Porphy. etiam in cap. de specie docuerat hanc esse vim, & naturam relatorum, vt vnum illorum per alterum debeat diffiniri. Secundum. Vnumquodque est eo modo diffiniendum, quo à nobis cognoscitur: at vnum relatũ cognoscitur à nobis per alterum relatũ, quemadmodum docuit Arist. in hac catego. tradens quintam propriè. hãc inquiens esse vim relatorum, vt qui probe vnum nouerit debeat etiam & alterum probe nouisse, iam igitur vnum relatum per alterum diffiniendum erit. Tertium. Vnum quodque debet ea ratione diffiniri, qua habet essentiam, & naturam, quia diffinitio explicat rei essentiam, & naturam: sed omne relatũ habet naturam dependentem à suo termino, quemadmodum pater habet naturã dependentem á filio, & dominus a seruo: ergo omne relatum debet diffiniri per suum correlatum. Adnotat tamen Caietanus ex B. Alberto Mag. dicendum potius esse, vnum

1. Conc.

1. Arg.

2. Argu.

3. Arg.

relatum

relatum diffiniri ad aliud, nimirum ad suum terminum, quam diffiniri per aliud, seu per suum correllatum quia dictio illa per semper denotat habitudinem causæ ad effectum, at vnum relatum non existit causa alteriꝰ: atuero illa alia dictio ad nulliꝰ generis causæ habitudinem exprimit, sed habitudinem solum vnius extremi ad alterum. Vnde cum vnũ relatum diffiniatur per habitudinẽ ad alterum, dicendum potius erit omne relatum diffiniri ad suum terminum, quã perterminũ ipsum diffiniri. Vnde effectum est, vt à Veteribus Latinis (rem hanc accurate satis perpendentibus) fuerit hæc catego. inscripta (ad aliquid) eo quod nullam aliam particulam intelligebant rectius & accuratius vim & naturam relationis exprimere, quam per propositam particulam ad quæ denotat vt diximus solam habitudinem vnius ad alterum.

Secunda conclusio. Quãuis vnũ

3. Conc. relatum diffiniatur per alterum, nõ tamen illud per quod diffinitur, est de essentia relati diffiniti, vt quamuis diffiniatur pater per filium, non tamen est filius de essentia patris, neque pater de essentia filij, sed est terminus relati quidpiam extrinsecum naturæ & essentiæ sui correlati. Cõ

1. Arg. firmatur his argumentis. Primum est. Illud quod est de essentia alicuius prædicatur de illo in recto, & formaliter, quemadmodũ animal particeps rationis, prædicatur in recto & formaliter de homine, de cuius essentia & natura est, sed vnum relatum non dicitur de altero suo correlato, vel in recto, vel formaliter, neque enim dicimus in recto patrem (v.g.) esse filium, neque præterea aimus, dominum esse seruum formaliter: ergo vnum relatum non erit de essentia alterius. Secundum.

2. Arg. Quidquid est de essentia alicuius, aut est genus, aut differentia, si totum metaphysicum illud extiterit, aut materia, & forma, si fuerit totũ physicum, & naturale: sed vnum relatum non est differẽtia, vel genus, neque materia vel forma respectu alterius sui correlati: ergo vnum relatum non erit de essentia alterius. 3. Arg.

Vltimum. Illud quod est de essentia alicuius, non differt reipsa ab eo: sed vnum relatum differt reipsa ab alio vt pater v. g. á filio: non ergo vnũ relatum erit de essentia alterius.

Tertia conclusio. Quamuis vnũ 3. Conc. relatum non sit de essentia alterius, est tamẽ de notione essentiali illius, id est, non potest vnum relatum sine altero intelligi, quamuis non sit de essentia illius. Hæc conclusio est aperta, quam tamen ita confirmo. Illud est de notione assentiali alicuius sine quo res neque esse neque intelligi potest quia notio cognitionẽ intellectus significat, sed non potest vnum relatum esse vel intelligi absque altero, quemadmodum pater neque potest esse neque intelligi sine filio: ergo vnum relatum erit de notione essentiali alteriꝰ. Vnde quemadmodum substantia est de notione, vel conceptu essentiali accidentis, quia accidentia nequeunt sine habitudine ad illam intelligi, ita & vnum relatum est denotione, vel conceptu essentiali alterius: quia vnum sine altero vel habitudine ad illud, intelligi nulla ratione potest.

Ad argumenta igitur. Ad primum Ad 1. argum. distinguimus propositionem, nam vel res diffinita est absoluta, vel relata, si fuerit absoluta, & à nullo dependens, vera est propositio, & concedenda, si vero res diffinita fuerit relata, est neganda, nam accidentia includunt substantiam in essentiali diffinitione quæ est extrinseca, & alterius naturæ ab ipsis. Et ita quã-

Universidad de Buenos Aires Biblioteca

uis terminus relationis sit extrinsecus poterit relatum secundum essentiam diffiniri per terminum. Ad

Ad 2. secundum dicimus cum Porphy. in cap. de specie, in rebus absolutis vitium esse diffinitionem tradere per circulum, quemadmodũ etiam docet Arist. 1. lib. de Demonstra. cap. 3. non tamen esse vitium in rebus relatis, quin potius est omnino necessarium huiusmodi circulum cõmittere. Ad tertium respondent quidam non recte sequi idem esse prius & posterius, notius & ignotius: nam in relatis partes diffinientes nõ sunt priores, & notiores re diffinita, sed sunt simul natura, & cognitione cũ illa, quemadmodum in hac catego. expressis verbis profitetur Arist.

Ad 3. Respon. nihilominus terminum relationis per quem diffinitur relatũ

Solutio. posse summi duobus modis primo sub ratione termini, & actus, secundo vero modo, ea ratione qua refertur ad suum correlatũ: quemadmodum filius sumi potest, vel ea ratione qua terminat relationem paternitatis, vel ea ratione qua refertur ad patrem. Si sumatur filius sub ratione termini, prior est, & notior patre, eo quod terminus cum sit actus, & relatum quod diffinitur per illum sit potestate, debet esse prior, & notior, quia actus est prior, & notior potestate, vt profiteur Arist. 9. lib. metaphysico. Si vero sumatur filius ea ratione qua refertur ad patrẽ est posterior, & ignotior patre, estque è contra pater prior, & notior ipso filio, propter eandem rationem, quia est illius terminus, & actus. Idẽ igitur eodem modo sumptum non est prius, & posterius, notius & ignotius, alio tamen & aliò modo consideratum nihil prohibet esse posse prius, & posterius, notius, & ignotius.

Ad 4. Ad quartum negamus propositionem in relatis, quamuis enim in rebus absolutis liceat loco diffiniti collocare diffinitionẽ, in rebus tamẽ relatis id licitũ non est. Consulendus est de hac solutione Caietanus.

QVAESTIO II. AN VNVM *relatum terminet alterius relationem sub ratione absoluta nec ne.*

DVO genera argu. offerunt se nobis in prima parte huius q. proponenda, primi generis argumenta confirmant relatum terminare relationem sub ratione absoluta, secundi vero demonstrant, eadem relata (saltim tertij generis) terminare ipsam relationẽ sub ratione relatiua. Vt igitur à primi generis argumentis auspicemur est primum. Arist. 5. Metaphy. cap. 15. docet quædã esse relata (cuiusmodi sunt relata tertij ordinis) quæ ex eo dicuntur relata quia terminant relationem aliorum non autem quia referantur ad alia: igitur ex Arist. terminus relationis erit aliquid absolutum. Secundum. Partes diffinientes sunt priores re diffinita: sed si terminus relationis esset aliquid relatum, partes diffinientes non essent priores re diffinita: ergo terminus relationis non erit natura relata sed absoluta. Confirmatur assumptio. Vnum relatum diffinitur per alterũ, vt pater per filiũ: sed vnum relatum non est prius altero: ergo si terminus relationis (qui est pars diffiniens) est quippiam relatum, partes diffinitionis non erũt priores re diffinita. Tertium. Actus & potentia sunt relata: sed actus terminat relationem potentiæ sub ratione absoluta: ergo etiam & terminus terminabit relationem sub ratione absoluta. Confirma. Actus est prior potestate vt profitetur Arist. 9. metaphy. cap. 10. sed si terminaret

1. argu. 1. generis.

2. argu.

3. argu.

ret relationẽ sub ratione relatiua nõ esset prior, quia vnum relatum non est prius alio iã ergo &c. Iã argumẽta alterius generis in hunc alium modum se habent. Primum. Relata

1. argu. diffiniuntur quorum tota vis est referri ad aliud: sed interprætes per particulam (ad aliud) intelligunt cor relatum, quod certe idem pollet, atque alterum extremum relatum: ergo etiam in relatis tertij ordinis terminus erit res relatiua. Deinde. Si Deus terminaret relationem creaturæ sub ratione absoluta, sequeretur ipsum à nullo intellectu creato, vel angelico, vel humano posse perfecte cognosci: sed hoc est absurdum: ergo relata saltim ea, quæ sunt tertij generis terminabunt relationem sub ratione relatiua, & non absoluta. Confirmatur propositio. Nequit vnũ relatũ perfecte cognosci, quin alterum qui est eius terminus perfecte cognoscatur: sed Deus absolute sumptus nequit perfecte ab vlla creatura cognosci: si ergo Deus sub ratione absoluta terminaret relationẽ creaturæ, non posset à creatura perfecte cognosci. Vltimo Deus non terminat relationem creaturæ nisi vt est creator, nec scibile relationem scientiæ nisi vt scibile est: at esse scibile, & esse creatorem, sunt quædam rationes relatiuæ: erit igitur (saltim in relatis tertij ordinis) id quod terminat aliquid relatiuum.

2. Arg.

3. Argu.

1. Opi. Circa hanc quæst. est prima opinio Scoti 1. lib. senten. dis. 30. q. 1. existimantis cuiuslibet relationis terminum terminare non sub ratione relatiua sed absoluta relationem alterius extremi ad se. Secunda opi-

2. Opin. nio est huic è diametro opposita nõ nullorum constituentium in omnibus relatis tam scilicet primi, quam secundi, vel tertij generis, esse terminum ipsum quidpiam relatum, & non absolutum. Hanc sequuntur Caieta. M. Medina, & M. Bañes 1. p. q. 13. ar. 7. quam etiã tenet Capreolus 1. lib. sen. dis. 30. q. 1. De relatis quidem primi, & secũdi ordinis res est satis aperta, de aliis vero tertij ordinis putat Caieta. extremũ, quod est ordinis superioris, terminare relationem realẽ alterius inferioris, per aliquam relationem realem, quæ sit realis, non per propriam realitatem sed per realitatẽ relationis alterius extremi, vt Deum terminare relationem creaturarum, per relationẽ creatoris, quæ est realis, non quidẽ propria realitate, sed realitate relationis creaturæ. Eandem opinionẽ sequutus est post eos Fonseca 5. Metaphy. cap. 15. q. 4. secti. 4. quamuis illam diuersa ratione explicet, ac explicarit Caiet. Arbitratur siquidem in relatis tertij generis extremum superioris ordinis terminare relationem inferioris, pẽr aliquam relationem rationis quæ ipsum extremum denominet, vt in eodẽ exemplo Deus terminat relationem creaturæ per relationem rationis quę ipsum Deũ denominat creatorem. Ferrariensis vero 2. lib. c. Gent. cap. 11. tertiam aliam multoque veriorem sequitur opinionem, nimirum in relatis primi, & secundi ordinis, vnum relatũ terminare relationem alterius sub ratione relatiua: in relatis vero tertij ordinis sub ratione absoluta, & non relatiua terminare extremum ordinis superioris relationem alterius inferioris ad se, quam amplectitur Suesa. 5. lib. Metaphy. q. 14. & permulti ex recentioribus. Hanc igitur tanquam veriorem, vt explicet Ferrari. breuiter nonnulla prius proponenda opinatur. Primum relata quædam esse quæ fundantur in numero & vnitate, alia in actione, & passione, quæ relata primi ordinis nuncupantur, & alia demũ quæ fundan-

3. Opi.

1. obser.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fundantur in mensura, & mensurabili, quæ quidem relata tertij ordinis appellantur. Deinde animaduertere oportet terminum relationis posse summi duobus mobis, primo absolutè, & secundum se: deinde ea ratione qua concipitur ab intellectu sub ratione terminantis, & diffinientis relationem alterius extremi. His adnotatis inquit ille primo in relatis primi, & secundi ordinis, terminum relationis non terminare sub ratione absoluta, sed sub ratione relatiua. Ait præterea in relatis tertij ordinis, terminum relationis terminare illam sub ratione absoluta, vt mensura terminat relationem mensurati, ea ratione qua sumitur absolute, & secundum se. Asserit denique quod quamuis in his relatis tertij ordinis terminus ipse terminet sub ratione absoluta, nequit tamen concipi ab intellectu obtinere rationem termini, nisi prout concipitur sub esse relato, & sub opposita relatione, nam licet mensura terminet relationem mensurati absolute sumpta, nequaquam tamē valemus intelligere mensuram esse terminū mensurati, nisi prout intelligimus illam sub opposita relatione ad mensuratum. Adeo autem opinio ista nobis arridet, vt operæ pretium ducamus eam his subiectis assertionibus explicare. Prima sit aduersus Scotū.

In relatis primi, & secundi ordinis terminus non terminat sub ratione absoluta, sed sub relata. Confirmatur his argu. Primo ex Arist. in hac catego. docente extremum relationis serui non esse hominem, sed dominum, redditq. rationem quia homo est quippiam absolutum, dominus autem est quippiam relatum, cum ergo dominus & seruus sint relata secundi ordinis, terminus in his relatis non terminabit sub ratione absoluta, sed sub relata. Deinde.

Relata primi & secundi ordinis sunt simul natura: at si in his terminus sub ratione absoluta, & non relata terminaret, non essent simul natura: ergo in his relatis vnum extremum nō terminabit alterum sub ratione absoluta. Confirmatur assump. sumamus v. g. relationem patris, & filij, si pater quatenus est quidam homo (qua ratione est res absoluta) terminaret relationem filiationis, cum pater (vt quidam homo est) sit prior natura filio, imo & tempore, pater, & filius nō essent simul natura, imo neque cætera huius eiusdem generis. Præterea. In relatis huius generis est eadē ratio fundādi in vtroq. extremo: at vbi est eadem ratio fundandi, vel referendi, debet vnum extremum terminari ad aliud vt relatum est, quia vt terminat habet rationem fundandi relationem oppositam: ergo in relatis primi, & secundi ordinis extremum terminabit sub ratione relationis.

Secunda conclusio. In relatis tertij ordinis ex parte mensuræ est relatio rationis ad mensuratum. Quā assertionem constituimus aduersus Caieta. in loco superiori constituētem mensuram referri ad mensuratum relatione rei non per aliquam relationem sibi inhærentem, sed per relationem rei ipsius mensurabilis. Vnde (inquit) relatio mensurabilis est quæ refert mensurabile ad mensuram, & qua refertur mensura ad mensurabile. Confirmamus tamen nostram sententiam aduersus Caietanum in primis authoritate D. Tho. qui 2. lib. c. Gent. cap. 13. constituit nullam rem posse referri ad alteram per relationem in alio existentem: ergo mensura non refertur ad mensuratum relatione reali. per relationem mensurati. Secūdo. Si mensura referretur realiter ad mensuratum per relationem mensurati,

rati, sequeretur eandem rem rationē sui esse terminum, & relationem: hoc autem fieri nequit, ergo mensura non refertur ad mensuratum per relationem mensurati. Cōfirmatur propositio. Secundum Caietanum in relatis tertij ordinis cuiusmodi sunt mensura, & mensuratum, terminus terminat sub ratione relatiua: sed relatio mensuræ ad mensurabile est eadem atque ea per quam refertur mensuratum ad mensuram: ergo vna, & eadē relatio referretur, ac se ipsam etiam terminaret. Tandem confirmamus in relatis tertij ordinis ex parte mensuræ esse relationem rationis ad hunc modum. Inter extrema relationis quę ita sūt inter se affecta, vt vnum non dependeat ab altero, ex parte illius extremi quod non dependet, est relatio rationis: at in relatione mensuræ, & mensurati, mensuratum dependet à mensura, mensura vero non dependet à mensurato: ergo in hac relatione ex parte mensuræ erit relatio rationis: & hanc sententiam expressis verbis profitetur D. Tho. 1. p. q. 13. ar. 7. constituens relationē mensuræ ad mensurabile, & rei quæ sentitur ad sensum esse relationem rationis.

Tertia conclusio aduersus Caietanum & alios. In relatis tertij ordinis, cuiusmodi sunt mēsura, & mēsurabile, alterum extremum (nempe mensura) terminat relationem mensurabilis sub ratione absoluta, & nō sub ratione relatiua. Cōfirmaturhis argu. Primū Quod aperte colligitur ex superiori assertione. Ante omnem operationem intellectus, mensura terminat relationem mensurabilis, vt Deus terminat relationem creaturæ: sed nequit illa terminare sub ratione relatiua: ergo terminabit sub ratione absoluta. Confirmatur assumptio. Relatio mensuræ ad mensuratum est relatio rationis, vt ex superiori assertione cōstat: sed relatio rationis nō est ante operationem intellectus, vt docuimus prima sectio. huius catego. ergo mensura non refertur ad mensurabile ante operationem intellectus, & ita cum terminet relationem alterius extremi ante operationem intellectus, non terminabit sub ratione relatiua, sed sub ratione absoluta. Secundum. Arist. 5. lib. Metaphy. cap. 15. constituit mensuram esse quippiam relatum non quia refertur ad mensurabile, sed quia terminat relationem mensurabilis ad se: ergo mensura non terminat relationem mensurabilis sub ratione relatiua, sed sub ratione absoluta, nam si terminaret relationem sub ratione relatiua, referretur ad mensurabile quod negat Arist. Tertiū. Ante omnem operationem intellectus Deus terminat relationem seruitutis creaturæ: sed non terminat illam sub ratione relatiua, ergo in relatis tertij ordinis vnum relatum non erit alterius extremi correlati terminus sub ratione relatiua. Confirmatur assumptio ex D. Tho. q. 7. de potentia ar. 10. ad 4. argu. qui constituit in dominio tria reperiri, potestatem coercendi subditos, relationem dominij, & terminare relationem seruitutis. Ex his tribus duo inquit, primum scilicet, & vltimum, conueniūt Deo, ex eo namq. dicitur Deus dominus, quia potest coercere creaturas, & quia terminat relationem seruitutis creaturæ: non autem competit Deo tertium: nam non ex eo Deus dicitur dominus, quia ad creaturas referatur: iam igitur ex sententia D. Tho. Deus non terminat relationem creaturæ sub ratione relatiua, sed sub ratione absoluta.

Vltima conclusio. Quamuis in relatis tertij ordinis mensura termi-

net

Universidad de Deusto
Biblioteca

net relationem sub ratione absoluta, non possumus tamen intelligere illam habere rationē termini, quin intelligamus eam sub ratione relatiua, oppositæ nimirum relationis. Ita docet D. Tho. 2. c. Gent. c. 11. & 1. lib. senten. dis. 30. q. 1. ar. 3.

Confir. Quę potest ad hunc modum confirmari. Esse terminum est esse alicuius terminum: at omnis natura quæ concipitur ab intellectu vt est ad aliud, vel vt est alicuius concipitur sub ratione relatiua: ergo terminus

1. Arg. harum relationum vt talis, intelligitur, debet concipi sub opposita re

2. Arg. latione. Præterea. In relatis tertijordinis mensura ea ratione est terminus qua metitur mensurabile: sed nequit intelligi vt mensura mensurabilis, nisi intelligatur ab intellectu mensurante sub oppositā relatione rationis ad rem quæ mensurat ur: ergo terminus relationis debet concipi ab intellectu sub ratione relatiua. Vnde quamuis paries (v.g.) à parte rei terminet actionem videndi, nequit tamen concipi ab intellectu sub ratione termini, nisi concipiatur sub relatione rationis ad facultatem videndi.

Ad. 1. Argum. Argu. restant demum dissoluenda. Ad primū primi ordinis respon. illud confirmare nostram opinionē qui asserimus in relatis tertij ordinis terminum esse naturam aliquā

Ad 2. absolutam. Ad secundum concedimus propositionem in rebus absolutis, negamus vero eā in relatiuis, nam in his pars diffinitionis non

Ad 3. est prior re diffinita, sed simul cum illa. Ad tertium respon. in primis actum illum, & potentiam, non esse vere relata, & catego. de quibus nūc loquimur, sed esse relata transcendentia: diuagantur enim per omnes catego. in omnibus enim illis datur proprius actus, & propria potentia.

Respon. secundo, actum posse sumi, vel secundum suam entitatem, & naturam, vel ea ratione qua terminat relationem potentiæ, primo modo actus prior est potestate, non autem secundo, quo quidem, simul natura est cum ea. Ad primum secū di ordinis, respon. per particulam illam (ad aliud) intelligi debere termi Ad 1. num relationis abstrahendo à correlato, vel absoluto, nam huiusmodi 2. gene. terminus in relatis primi, & secundi ordinis est correlatum, secus vero est in relatis tertij ordinis, est quippe ille natura absoluta, concepta tamen per intellectum sub relatione opposita. Ad quintum negamus propos. ad cuius confir. dicimus terminum relationis posse sumi duobus modis, in se nimirum, & absolute, vel vt ab intellectu concipitur sub ratione terminantis. Ad perfectam igitur cognitionem alicu Ad 5. ius relati non est necesse nouisse terminum in se & absolute, sat enim est nouisse illum sub ratione diffinientis, & terminantis: ad cognitionem itaque exactam creaturæ non necessario cognoscendus est Deus vt in se est, & absolute, sed sat est cognoscere illum sub ratione terminantis relationem creaturæ, quo modo accurate potest cognosci ab intellectu creato. Ad sextum dici- Ad 6. mus esse creatorem, & scibile, posse summi dupliciter, aut relatiue (vt aiunt) aut terminatiue. Deus ergo vt est creator terminatiue, terminat ipsam relationem creaturę, ante omnem intellectum, non autem vt est creator relatiue, idemq. de scibili sentiendum est: at esse creatorē vel esse scibile terminatiue, non est terminum harum relationum (scientię nimirum, & creaturæ) esse aliquid relatum.

QVAE-

QVAESTIO III. QVAE-nam sint relata eiusdem ordinis.

1. Opi. Reiici. IN hac quæstione explicanda quidam existimant illa esse vocanda relata eiusdem ordinis quæ continentur in hac catego. Verum opinio ista hoc modo confutatur. Quia per sonæ diuinæ sunt relata eiusdem ordinis, quæ tamen in nulla catego.

2. Opi. reiicitu. continentur. Alij proinde censent illa esse relata eiusdem ordinis quorum fundamenta continentur in eadem catego. Cæterum neq. hæc opinio constare potest, eo quod in humanis pater, & filius, sunt relata eiusdem ordinis, quorum tamen fundamenta in eadem catego. minime sunt contēta, paternitatis enim fundamentum est actio generandi in patre, & filiationis in filio est eius

3. Opi. reiicitu. passio: at actio, & passio in eadem catego. non comprehenduntur, immo constituunt duo genera suprema. Non desunt præterea qui docent relata illa esse eiusdem ordinis, quæ in vtroque extremo denotant aliquam perfectionem. Quorum etiam opinionem in hunc modum reijcimus. Inter percutiens, & percussum, est relatio eiusdem ordinis, at esse percussum, nullam perfectionem denotat sed imperfectionem. Præterea. Inter suadentem ad peccā dum, & eum qui suadetur est relatio

4. Opi reicitur. eiusdem ordinis, cum tamē esse suasum nullam exprimat perfectionē, sed defectum liberi arbitrij. Sunt denique & alij qui constituunt illa esse relata eiusdem ordinis, quæ à se in uicem mutuo dependent, cuiusmodi sunt pater, & filius, dominus, & seruus: diuersi vero interquos nō intercedat mutua dependentia. Nihilominus tamen neq. hæc opinio cōstare vllo modo videtur, hi enim authores vel loquuntur de dependentia secundum fundamenta, vel de dependentia secundum ipsam relationem: si agant de priori dependentia, ita argumentor. Inter duo similia affecta candore, intercedit relatio eiusdem ordinis: at vnius fundamētum non dependet ab alterius fundamento, nā albedo vnius albi non dependet ab albedine alterius albi. Quod si de dependentia secundum relationem loquantur hoc item alio pacto insurgo. Inter creatorem, & creaturam est mutua dependentia, cum tamen creator & creatura non sint relata eiusdem ordinis. Dictum autem est creatorem dependere à creatura non secundum rem, sed secundum intellectum, eo quod relatio creatoris ad creaturam, est relatio rationis.

His itaq. opinionibus propositis Expli. explicandum restat iuxta rei veritatem quænam vocentur relata eiusdem ordinis. Hanc rē explicabat M. Medina 1. p. q. 13. ar. 7. his tribus assertionibus, prima est huiusmodi In relatis tertij generis non dantur relata eiusdem ordinis, eo quod nō fit mutua dependentia inter extrema, nam mensura secundū rem nō dependet à mensurato. Secunda. In relatis primi generis illa dicuntur relata eiusdem ordinis quæ habent fundamentum eiusdem categoriæ, vt sunt similia, & æqualia, quæ fundantur in vnitate, nam fundamentum duorum similium (vt albedo) continetur in catego. qualitatis sub tertia eius specie. Tertia. In relatis secundi generis illæ dicuntur esse eiusdem ordinis, quæ fundantur in vera actione, & passione physica, cuiusmodi est relatio ignis calefaciē tis, ad aquam quę calefit, est enim calefactio vera actio physica transmutans materiam in qua est. Ex quibus assertionibus colligimus nonnulla, ex prima inter mensuram, & mensurabile non esse relationē eiusdem

Medi. de hac quæst. 1. asser. 2. asser. 3. asser.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem ordinis quia sunt relata tertij generis: ex secunda vero inter cautam homonymam, & effectum, non esse relationem eiusdem ordinis, eo quod fundamentum vtriusque non sit eiusdem speciei, & rationis: sicut inter Deum, & hominem similitudo, non est relatio eiusdem ordinis, quia natura diuina, & humana, quæ sunt fundamenta huius similitudinis, nō sunt eiusdem categoriæ aut speciei: ex tertia demum colligitur inter facultatem videdi, & patrietem visum, non esse relationem eiusdem ordinis, quia relatio visi fundatur in actione videndi, quæ non est actio physica, & transmutatiua, sed metaphorica, vel metaphysica. Hancopinionem M. Medinę, nō reiicimus cum sit doctissimi viri, nihilominus rem hanc (nisi fallimur) multo breuius, & accuratius explicamus in hunc modum.

Relata eiusdem ordinis sunt illa quorum extrema sunt eiusdem generis & naturæ, & mutuo inter se dependent. Dicimus inprimis illa vocari relata eiusdem ordinis, quorum extrema sunt eiusdem naturæ, ad hunc sensum, si vnum eorū fuerit infinitum, alterum quoque debet esse infinitum, & ita in diuinis pater, & filius sunt relata eiusdē ordinis, quia quemadmodum pater est infinitus, ita quoque filius est infinitus: Et si vnum extremū fuerit ens rationis, alterum quoque debet esse ens rationis: vnde inter genus & speciem datur relatio eiusdem ordinis, eo quod quemadmodum genus est ens rationis, ita quoque species est ens rationis: Præterea vnū illorum fuerit finitū, alterum quoq. debet esse finitū. Tandē si vnū fuerit ens rei, alterum quoque debet esse ens rei: vnde pater, & filius, sunt relata eiusdē ordinis, quia quemadmodum pater est ens rei, & finitum ita quoque filius est ens rei, & finitum. Dicimus præterea inter illa extrema, quæ sunt eiusdem ordinis debere intercedere mutuam dependentiam secundum rem, vnde pater, & filius, dominus, & seruus, sunt relata eiusdem ordinis, quia inter ipsos est mutua dependētia: at uero inter Deum, & creaturam, non est relatio eiusdem ordinis, tum primo quia non sunt eiusdem naturę, quia Deus est ens infinitum, creatura vero est ens finitum. Tū secundo quia Deus non dependet à creatura secūdum rem, neque etiam relatio iuxta mensuram, & mensurabile est eiusdem ordinis, quia mensura secundum rem, non dependet à mensurabili.

expli. 1. parti.

2. partis

QVAESTIO IIII. AN MVLtiplicatis terminis multiplicetur relatio.

PArs aiens his argu. suadetur. Primum, Pater per quamlibet generationem comparat sibi aliquam entitatem: sed nullam aliam potest cōparare præter paternitatem: ergo in eodem patre qui genuit multos filios erunt multæ paternitates. Secūdum. Paternitas fundatur in actione generandi: ergo cum in patre habente multos filios, dentur multæ actiones generandi, dabuntur quoque multæ paternitates. Præterea. In patre habente multos filios, si vnus eorum pereat, perit habitudo paternitatis ad illum, remanente paternitate ad alios filios: ergo signum id est, quod erāt in illo plures paternitates ad alios filios. Probatur cōsequentia: quia corrupta paternitate ad filium qui interiit, adhuc supereſt paternitas ad alios filios. Adhæc. Talis est vis relatorū vt vno amoto vel corrupto alterum debeat etiam corrūpi: sed

1. Arg.

2. Arg.

3. Arg.

4. Arg.

pi: sed pater quilibet & filius sunt relata: ergo amoto quolibet filio (si in patre vnica tātum est paternitas) peribit etiam pater: at hoc dicere est absurdum: igitur asserendum erit multiplicatis terminis multiplicari etiam ipsam relationem.

1. opini. Scotus 3. senten. dis. 8. q. 1. & Scotistæ, existimant relationes esse multiplicandas ad multiplicationem terminorum, vnde tot inquit ille erūt paternitates in aliquo patre, quot sunt illius filij. Contrariam tamen

2. opin'. sententiam tenuit D. Tho. in eadē dis. 8. ex senten. q. 1. ar. 1. 3. p. q. 35. ar. 5. Capreolus 1. senten. dis. 31. q. 1. Caietanus & Medi in commen. 3. p. loco citato ex D. Tho Hanc autem vt rationi magis consonam hoc modo explicamus.

1. Conc. Prima conclu. Relationes quarū termini specie differunt debent multiplicari ad multiplicationem terminorū, vt in aliquo homine albo sunt constituendæ duæ relationes vna similitudinis ad alterū albū, & altera dissimilitudinis ad æthyopē, attrū eo quod termini harū relationum qui sunt æthyops & candidū specie differunt. Confirmatur. Relationes petunt vnitatem & distinctionem specificam à terminis, vt ostendemus deinde: ergo multiplicatis terminis specie diuersis, debent etiā & multiplicari relationes eidē generis. Animaduertendum est tamen hanc assertionem esse intelligendam de his relationibus quæ habent diuersum modum fundandi, vt sunt similitudo, & dissimilitudo, nam dissimilitudo fundatur in numero, vel multitudine, similitudo vero in vnitate. Vnde hæ sunt relationes multiplicatæ ad multiplicationem terminorum, nam si modus fundandi non fuerit diuersus sed vnus, & idem, ad multiplicationem terminorum etiam specie differentium, non multiplicantur relationes, quemadmodum in vno filio est vnica filiatio ad patrem, & matrem, quamuis sint extrema specie diuersa, eo quod in filio tantum est vnicus modus fundandi qui est generatio passiua, respectu patris, & matris, & ita tantum est vnica filiatio.

Obser.

2. Conc. Secunda conclu. Relationes eiusdem speciei numero diuersæ non multiplicantur in eodem subiecto multiplicatis terminis, vt in eodem patre non sunt multæ paternitates ad plures filios quos genuit, sed vnica duntaxat paternitate ad omnes illos refertur. Confirmatur in primis. Nequeunt in aliquo subiecto esse plura accidentia eiusdem speciei numero distincta: nam in Petro non est vna albedo, per quam est in capite albus, & alia per quam in toto corpore, sed per eandem albedinem est in capite albus, in manibus & in toto reliquo corpore, vnde nō poterunt in eodē subiecto esse multa accidentia numero diuersa eiusdem speciei: at omnes paternitates sunt eiusdem speciei, solo c. numero differentes: ergo non poterunt multiplicari in eodem patre ad multiplicationem filiorum. Deinde vbi est forma multiplicata, debet multiplicari paronymum: ergo si in eodem patre sunt multæ paternitates, debent etiam paronyma multiplicari: vnde cum paronymum paternitatis sit pater, erunt in eodē homine multi patres: sed hoc est absurdum: ergo, &c. Reliqua quæ hic poterant addi in q. sequenti proponentur.

1. Arg.

2. Arg.

Ad argu. ad primum dicimus falsum esse assumptionem: nam pater per priorē generationē qua genuit primum filium, comparauit sibi paternitatem per alias vero sequentes nullam, sed iam comparatā per priorem, auget, maiorem reddit, ad plu-

Ad 1. argumen.

Ad 2. resq. terminos extendit. Ad secundum negamus consequen. ad probationem dicimus, relationes specificas multiplicari ad multiplicationē fundamentorum, numericas tamen ad multiplicationem subiectorum, in quibus sunt, & ita in eodem homine numero quamuis multiplicē-tur actiones generandi, non erit multiplex paternitas. Ad tertium respō. Ad 3. paternitatem secundum rē esse vnā ad omnes filios, secundum rationē tamen esse multiplicem, quia terminatur ad multos, vt docuit D. Tho. 3. senten. dis. 8. q. 1. ar. 5. ad 4. vnde quando perit vnus filius, non perit paternitas, sed habitudo rationis quæ erat paternitatis ad illum tanquā ad terminum. Vel (vt alij dicunt) non perit paternitas, sed minuitur, vel contrahitur ad pauciores terminos. Ad quartum respon. Ad. 4. duplicem esse terminum adæquatū vnum, alterum in adæquatum, sicut in paternitate, filius est termin' adæquatus, at uero hic filius est in adæquatus. Vnde corrupto vno relato si quis sit terminus adęquatus, & necessarius, corrumpitur quoque alterum relatum: si vero fuerit in adæquatus, haudquaquam corrumpitur, & ita cum quilibet filius sit terminus inadæquatus, corrupto vno, vel altero, non peribit pater, sed in eo casu duntaxat periret in quo omnes etiam illi perirent.

QVAEST. V. AN VNVM *relatum per eandem relationē possit ad plures terminos referri.*

1. Arg. ET quidem non posse confirmatur in primis ex D. Tho. 1. p. q. 32. ar. 2. asserente diuersos terminos & specie differentes, non posse vnā, & eandem relationem terminare. Secundo. Arist. 5. metaphy. cap. 15. 2. Arg. inquit non posse aliquod relatum bis referri: at si per eandem relationem referretur in plures terminos, idem relatum bis referretur, semel in vnum terminum, & iterum in alium: ergo non poterit aliquod relatū per eandem relationem ad plures terminos referri.

De hac q. Scotus in 3. dis. 8. q. 1. 1. Opin. (agēs num in filio vnica tantū, vel duæ potius filiationes reperiantur, vna ad patrem, & alia ad matrem) inquit in illo duas esse filiationes, & non vnicam. Primo quia in patre 1. argu. est diuersa ratio terminandi relationem filiationis, quam in matre, pater enim terminat velut principium actiuum, mater vero tanquam passiuum. Secundo quia vno ex his extremis (vtpote patre, vel matre, per empto) adhuc super est in filio relatio filiationis ad extremum quod remanet, nam si v. g. mater pareat adhuc est in filio relatio filiationis ad patrem, quæ certe nullo modo rēmaneret, si tantum esset in illo vnica filiatio ad vtrumq. extremum, etenim cum destructo termino, etiā & relatio destrui debeat, si tantum esset in filio vnica filiatio, destructo patre, vel matre, illico illa in filio euanesceret. 2. Arg.

At cōtra sentit idē D. Tho. 3. p. q. 35. 2. parti. ar. 5. inquiens posse idem relatū per eandem relationem referri ad terminos specie diuersos, profertq. exemplum de filio qui vna filiatione fertur in patrem, & matrem, tanquam in terminos specie diuersos. Idē sentiunt illius interprætes Caietanus, Bañez, Torres, çumel, & alij 1. p. q. 32. ar. 2. & 3. p. q. 35. ar. 5. M. Medina cū alijs in illius Commenta.

Animaduertendū igitur est hanc quæst. in qua quærimus an idem relatum referri possit per eandem relatio-

relationem ad diuersos terminos intelligi posse, aut de terminis solo numero differentibus, aut de terminis 2. obser qui specie distinguntur. Secundo animaduer. est terminos specie differentes posse summi, aut vt sunt partiales, & in adequate terminātes aliquam relationem: aut vt sunt totales, adæquate scilicet relationem aliquam absoluentes. Nam quemadmodum in causis quædam sunt totales, & aliæ partiales, ita in terminis relationum philosophandū erit, quosdam esse totales, & alios partiales.

His animaduersis sit prima con- 1. Cone. clusio. Idem relatum per eandem relationem referri potest in plures terminos numero differentes. Confirmatur. quia idem pater per eandem paternitatem refertur ad plures filios, & idem album per eandem similitudinem ad plura alba, iuxta opinionem quam in superiori q. ex D. Tho. proposuimus.

Secunda conclu. Idem relatū per 2. Con. eandem relationem referri potest ad plures terminos specie diuersos, in adæquatos, & partiales. Confirmatur quia idem filius per eandem relationem filiationis refertur in patrem, & in matrem, tamquam in terminos partiales, & inadæquatos relationis filiationis. Et quidem in filio tantum esse vnicam relationem, per quam referatur ad patrem, & ad matrem constat primo. Quia pater, 2. Arg. & mater concurrunt ad generationem filij, tamquam vnum totale & adæquatum principium: ergo filius vnica tantum filiatione referetur ad illos. Confirmatur consequentia quia quando duæ causæ partiales concurrunt ad eundem effectum producendum, effectus vnica tantū relatione refertur ad illas, vt si ad aliquam statuam conficiēdam duo artifices concurrant, certe non refe-

retur illa vna relatione ad vnum artificem, & alia ad alterum, sed vnica duntaxat relatione ad illos duos referetur: cum igitur pater, & mater, concurrant tanquam vna causa totalis ad generationem filij, vnica tā tum relatione, & non duabus filius referetur ad illos. Iam si in filio es- 2. Arg. sent duæ filiationes, vel illæ essent specie, vel numero diuersæ: numero solo distingui non possunt, quia accidentia habent vnitatē ex subiecto, ac proinde quæ sunt in eodem subiecto, nequeūt solo numero differre: neque specie, quia in his quæ specie differunt, fundamentum proximū debet quoque specie differre, at in filio vnicum dumtaxat est fundamentum relationis filiationis, nimirum generatio passiua: nō igitur erunt in illo plures filiationes. Et tā dem quia si in filio essent duæ filiationes, vere, & proprie, esset duplex filius, quemadmodum si in aliquo homine essent duæ albedines, esset vere, & proprie, duplex album, quod certe nullus vnquam admittet. 3. Arg.

Tertia conclusio. Non potest ali- 3. Con quod relatum per vnam, & eandem clusio. relationem, referri ad terminos specie differentes totales, & adęquatos. Hāc confirmant duo illa argu. quæ in principio proposuimus, ex authoritate D. Tho. & Arist. Confirmari que potest, quia relationes à terminis in quos feruntur naturam, & essentiam desumunt: si igitur termini specie differunt, & relationes quæ in illos feruntur, specie quoque different, neque poterit vna relatio ad illos qui specie differunt terminari.

Ad argumenta igitur ex his con- Ad arg. stat quid respondere debeamus. Ad alia vero duo quæ referentes opinionem Scoti in illius patrocinium proposuimus respon. ad primum has rationes terminandi esse in adequatas, & non totales neque adæquatas

Universidad de Salamanca Biblioteca

nam ex ratione principij actiui, & passiui adæquate coalescit ratio vna terminandi in patre, & in matre relationem filiationis. Ad secundum respon. negando sequi incommodum quod inferebatur, etenim quamuis in terminis totalibus, & adæquatis, verum sit pereunte termino relationem perire, hoc tamen in terminis inadæquatis non est verum, quæmadmodū pereunte actu perire quoque debet potentia, si fuerit actus adæquatus, non tamen si fuerit in adæquatus, vt cōspicimus in materia prima, quę (cum sit pura potentia) non perit pereunte vna forma, quæ est actus illius inadæquatus.

Ad 2. argum.

QVAEST. VI. A QVO RELATIO obtineat unitatem

HAnc disputat Soncinas 5. metaphy. q. 32. quæ de vnitate numerica, specifica, & generica est explicanda. Sit igitur prima conclu. Quælibet relatio ex subiecto cui inhæret, & ex fundamēto sortitur vnitatem numericam. Hanc profitetur D. Tho. in 3. dis. 8. q. 1. ar. 5. quæ confirmatur primoque sumere vnitatem à subiecto. Commune est omnibus accidētibus rei à subiecto desumere vnitatem, nam iuxta Arist. 5. metaphy. cap. 6. illa dicuntur esse vnum numero quorum materia (id est subiectum) est vnū numero: ergo cum relatio prædicamentalis de qua hic agimus sit accidens rei, à subiecto desumet vnitatem. Confir. deinde, eandem etiam à fundamento haurire. Vnitas est proprietas entis, ergo ab eadem causa aliquid habebit vnitatem à quo habet entitatem: sed relatio habet suam entitatem à fundamento: ergo ab eadem habebit vnitatem. Scotus tamen in 3. dis. 8. q. 1 arbitratur hanc vnitatem à termino esse petendam, vnde illa erit iuxta ipsum vna numero relatio, cuius terminus est vnus numero, & illa multiplex cuius terminus est multiplex numero: cuius opinio potest hoc argu. demonstrari. Relatio prius natura respicit terminum quam fundamentum, & subiectum, sed in illo priori est vna numero: ergo vnitas numerica à termino, & non à subiecto, vel fundamēto petetur. Cui respon. falsam esse propositionem, quia tam intima est relationi, habitudo ad fundamentum, & subiectum, quam ad terminum, nam cum illa, & sit accidens, & tale accidens, (quod vtrumque est de intima, & essentiali ratione ipsius) vt est accidens, respiciet subiectum, vt autem est tale accidens, quod refertur ad aliud, respiciet fundamentum, & terminum. Ordine tamen prius enim fundamentū, quā terminum intuebitur, nam prius est in effectu, ab aliquo fluere, quam ad aliud terminari, at relatio à fundamento fluit, & terminatur in terminum, in quem fertur.

1. Conc.

2. argu.

Arg.

Opinio Scot.

Solutio.

Secunda conclusio. Vnitas generica generis supremi huius catego. peti debet ex peculiari quodam modo afficiendi substantiam, nimirum ex eo quod est ipsam referre in aliquem terminū. Confirmatur. Quia omnes catego. hauriunt entitatem & naturam ex diuerso modo afficiendi substantiam, vt quantitas ex eo quod afficit eam tamquam mensura, & qualitas tamquā affectio, vt diximus in antecategorijs sed à quo aliquid habet entitatem, habet etiā & vnitatem: ergo ex hoc modo afficiendi substantiam, qui est ipsam referre ad terminum, sortietur hæc categ. vnitatem genericam

1. Conc.

Confir.

Tertia conclusio. Vnitas specifica relationis ex vnitate termini est colligenda. Itaq. illa erit vna specie relatio, cuius est vnus terminus secundum speciem. Confirmatur quia relatio est quædam via ad terminum prę se ferens quandam motus similitudinem: sed vnitas specifica motus, est ex vnitate specifica termini haurienda: ergo vnitas specifica relationis quoque ex vnitate specifica termini erit postulanda. Vnde omnes paternitates sunt eædem secundum speciem, quia omnes filiationes in quas feruntur sunt etiam eædem secundum speciem. Animaduertendum est tamen non esse hoc ita intelligēdum quasi terminus sit de intrinseca ratione vnitatis relationis, hoc enim dici nullo modo potest, cum sit ille quid extrinsecū relationi: sed quia habitudo ad ipsum, est quæ confert vnitatem, que madmodum & essentiam specificā relationibus.

3 Conc.

4. Conclusio.

Quarta conclusio. Hæc eadē vnitas specifica non a solo termino, verū etiā & à fundamentis peti debet. Vnde illæ relationes aterunt eædē secūdum speciem, quarum fundamenta erunt eadem secundum speciem, & illa diuersa quarum fundamenta erunt quoque diuersa, atque ita omnes paternitates sunt eædem secundum speciem, quia omnes actiones generandi quæ sunt fundamēta proxima, sunt eædem secundum speciem. Præterea similitudo & dissimilitudo specie different, quia fundamenta proxima harum relationum, specie differunt: nam fundamentum similitudinis, est vnitas specifica duarum qualitatum: dissimilitudinis vero, est multitudo specifica qualitatum, at vnitas & multitudo in qualitatibus specie diuersis, specie differunt. Contra tamen dicet aliquis. Albedo est fundamentum proximum relationis similitudinis, & dissimilitudinis, nam per eandem albedinem cignus est similis niui candidæ, & dissimilis æthyopi nigro: sed albedo est vna secundum speciem, & non multiplex: ergo relatio non habebit vnitatem, & distinctionem specificam a fundamentis. Resp. negādo propositio. Quia albedo fundamētum est remotum, & non proximum, hoc enim in similitudine est vnitas specifica, in dissimilitudine vero multitudo: quæ duo specie differunt, vt iam in q. mo nuimus

Obiect.

Solutio.

QVAESTIO VII. AN ENTIS ad non ens possit esse relatio rei.

IAm supra q. 2. sect. 1. hanc tetigimus controuersiam, quam eandem paulo altius repetentes, libuit in hoc loco diffusius explicare. Et certe inter hæc extrema interuenire relationem rei his argu. possumus demonstrare. Primum. Oppositio rei, est relatio rei: at inter ens, & nō ens datur oppositio rei, ergo inter ens, & non ens, dabitur relatio rei. Maior nota est, minorem ita confirmamus. Inter contradictoria datur vera & legitima oppositio rei: sed inter ens, & non ens, datur oppositio contradictoria, vt inter hominē, & nō hominē, prout author est Arist. in Post. Catego. cap. de contrarijs, ergo inter ens, & non ens dabitur vera, & legitima oppositio rei. Secūdo. Mensurabilis ad mensuram (vt scientiæ ad scibile, & intellectus ad rem intellectam) dantur relationes rei ex Arist. 5 meraphy cap. 15. sed intellectus aliquando intelligit non ens (chimeram v. g.) & scientia aliquando refertur ad ens rationis, vt est dialectica, quod ens, nō est à parte rei, ergo inter ens, & non ens, potest relatio rei interuenire. Tertio. Relationes primi ordinis quæ fundantur in vnitate, sunt relationes

1. Arg.

2. argu.

3. Arg.

rei : at illarum extrema feruntur ad non entia: ergo inter ens, & non ens, poterit esse relatio rei. Confirmatur assumptio. Terminus in quem fertur extremum huius relationis, est alterum extremum, vt est vnũ vnitate specifica cum illo, vt exempli causa, extremum similitudinis inter duo candida, est alterum extremum candidum, ea ratione qua est vnum secundum speciem cum priori candido: sed huiusmodi vnitas est non ens, nam est specifica, quæ tantum habet esse per intellectum, ac proinde erit non ens à parte rei iam ergo, &c. Et confirmatur quia hęc vnitas est priuatio diuisionis specificæ: at priuatio est non ens, secundũ Arist. 4. metaphy. c. 2. Iam Arist. 5. Metaph. c. 15. inquit relata secundi ordinis, esse distribuẽda secundũ tres tẽporis differentias, præteriti, præsentis, & futuri, vt inter calefaciens, & calefactum præteritum, præsens, & futurum, intercedit relatio realis secũdi generis: ex quo ita argumentor. Inter calefaciens, & calefactum, datur relatio realis: sed calefactum præteritum non est: ergo entis ad non ens potest esse relatio realis.

4 argu

5. argu. Vltimo. Inter effectum, & causam datur relatio realis ex parte effect⁹, sed aliquando causa non est, vt relatio effectus ad finem (v. g. actionis voluntatis ad opes, & ingentes thesauros qui nõ sunt) ergo inter ens, & nõ ens poterit intercedere relatio rei.

2. opin. His & aliis argumentis commoueri potuit Grego. Arimi. in 1. dis. 28. q. 3. art. 1. vt opinaretur inter ens, & non ens, intercedere veram, & legitimam relationem realem. At contra sentiunt grauissimi viri. D. Tho. 1. p. q. 13. art. 7. ad 4. in 1. dis. 30. q. 1. art. 1. & in multis alijs locis Capreolus in eodem 1. dif. 30 q. 1. ar. 2. Ferrari 2. c. Gent. cap. 11. Sontinas 5. Metaphy. q. 27. Caieta. in hac catego. Relatarum fere in fine, Niger 2. p. clypei q. 36. & omnes recentiores Thomistæ. Immo neq. Scotus in 1. dis. 31. ab hac sententia aborrere videtur.

Vt igitur nostram etiam sententiam de hac re proponamus, scien- 1 Ob.
dum est, non ens summi posse, vel in quadã late patẽte significatione, vt idẽ significat quod nihil, vel quod idẽ est vt significat illud quod neq. est, neq. esse potest, neq. habet in re fundamentũ vt sit, vt sunt chimerę, monstra animi, figmenta, & alia quę præter liberam effingentis voluntatem, nullum habent in re fundamẽtum: vel in alia contractiori, in qua sumitur pro illo quod non est actu, quamuis extiterit, vel futurum sit aliquando. In qua significatione dicimus rosam præteritam, & quæ futura est, esse non ens. Illud etiam sci- 2. obser
re opportet hoc inter esse inter non ens primi, & secundi generis, quia illud primum, neque immisit, neque immittit speciem aliquam intelectilem in intellectum patibilem, neque natum est immittere, vt possit illum excitare adueritatem aliquam de se ipso intelligendam, neque terminat ratione sui veram aliquam animi conceptionem, mons enim aureus nunquam immisit, nec immittet speciem aliquam intellectilem, cuius ope intellectus possit vera aliqua compræhensione in ipsum ferri. Cæterum non ens secundi generis immisit aliquando speciem, quæ valeat intellectum ad veritatem aliquam de se capiendam excitare, vt rosa quæ euanuit, immisit speciem intellectilem, quæ nata est ipsum ad se intelligendã mouere, & rosa quæ futura est nata est hanc speciem immittere. Reuocanda est etiam ad me- 3. Obmoriã distinctio illa in superioribus serua.
sæpe repetita, relationis intrãseẽdentem, & catego. vel prędicamentalẽ.

His

1. Conc. His igitur animaduersis sit prima conclusio. Inter ens, & non ens primi generis, datur relatio transcẽdẽs. Hanc argumento quod primo loco proposuim⁹ suadere possum⁹. Quia inter ens, & nõ ens, datur distinctio realis, vt inter hominẽ, & chimerã, at distinctio realis, relatio est realis, ex numero illarum quæ sunt transcendentes.

2. Conclusio. Secunda conclusio. Inter ens, & non ens eiusdem generis, nõ potest relatio vlla prædicamentalis interuenire. Hanc his argu. demonstramus, primoque. Inter relata rei hãc legem obseruandam præcepit Arist. vt vno posito, & alterum ponatur & amoto vno, & alterum quoque illico amoueatur: sed hæc lex inter ens, & non ens huius gene. obseruari nequaquam potest: nam posito ente, non ponitur non ens, neque illo amoto, non ens à mouetur, vt posito homine, non ponitur chimera, nec illo amoto, ipsa amouetur: ergo inter ens, & non ens, non poterit relatio aliqua realis interuenire. Secundo. Relatio non solum à fundamento, verum etiam & à termino dependet, nam si non dependeret, nõ posset vlla ratione per ipsum diffiniri: sed fieri nulla ratione potest, vt ens à non ente dependeat: ergo non ens, non poterit esse terminus realis ipsius entis, ac proinde, neque inter hæc extrema poterit hæc relatio realis interuenire. Iam. Non minus requirit relatio realis terminũ realẽ, quam relatio rationis terminũ rationis: sed omnis relatio rationis habet terminum rationis, vt terminus generis est species, & subiecti est attributum, quę sunt entia rationis, ergo teminus relationis realis erit quoq. ens reale: sed non ens, non est ens reale: ergo entis ad non ens relatio realis dari nulla ratione poterit Legendæ sunt aliæ rationes apud Soncinatem, & Nigrum vbi supra.

1. Arg.

2. Arg.

3. Arg.

Tertia conclusio. Inter ens, & nõ ens secundi generis, illud nimirum quod fuit, vel erit aliquando, vel cuius in intellectu remanent species intellectiles, vel natum est eas immittere, intercedit vera, & legitima relatio realis. Itaq. inter scientiam de rosa quæ euanuit, & ipsa rosam cuius sunt species in intellectu, dabitur vera relatio realis: & inter actionem voluntatis, & finem apprehensum per propriam, vel eiusdem generis speciem, dabitur vera relatio realis. Hæc certæ (ni fallor) à nemine rem probe perpendenti potest diffiteri. Primo quia inter scientiam, & huiusmodi non ens, nimirum rosam quæ euanuit, datur relatio mensurabilis ad mensuram: nam scientia de rosa, vere mensuratur à rosa præterita, talis si quidem est, qualis fuit rosa: at relatio mensurabilis ad mensuram, est relatio realis. Secũdo quia non minus terminat hoc genus nõ entis relationem realem, quam si esset ens reale, immo experimur eodẽ modo terminare relationem scientiæ quando est, & quando iam euanuit: si igitur ita terminat, poterit scientia vera relatione reali ad hoc genus non entis terminari. Et confirmatur quia hoc genus non entis exequitur per suam similitudinem in mente retentam muneraentis rei, nam excitat intellectũ, inflectit, voluntatem, & sic de alijs, & enim species rosæ excitat mentem, & species finis (vt aut apprehensi) inflectit voluntatem ad illum prosequendum: ergo poterit terminare relationem realem, cum non sit maior huius, quam aliorum munerum entis rei.

3. Conc.

1. Arg.

2. Arg.

Aequum est iam vt argu. in initio propositis satisfaciamus. Ad primum iam satisfecimus in 1 conclusio. Ad secundum respon. inter intellectum intelligentem chimeram, & ipsam

Ad 1. ar gumen.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsam chimeram nullam relationē realem interuenire: neque enim verum est, inter omnem intellectionē, & rem intellectam relationem mensurabilis ad mensuram interuenire, cum hoc tantum sit verum inter intellectionem, & rem intellectam, quę per propriam vel eiusdem generis speciem potest intellectum mouere. At chimera neque propriam, neque eiusdem generis speciem habet. Inter dialecticam autem, & ens rationis, dabitur vera relatio rei ex parte dialecticæ, mensurabilis ad mensuram, quia ens rationis per speciem impressam entis rei, ita excitat intellectum, ac si esset ens rei. Et certe ita obtinet conclusio, quæ de illo possunt sciri, & proprietates quæ de eodem possunt demonstrari, ac si esset

Ad 3. ens rei. Ad tertium respon. vnitatē illam quæ est fundamentum proximū similitudinis horum extremo. non esse vnitatem rationis, sed rei, nam est vnitas negatiua, vel conformitas attributo. essentia. inter illa extrema, quæ est à parte rei. Et quamuis admitteremus esse vnitatem rationis, non colligitur institutum, quia ens rationis, non est non ens, cum habeat in re fundamētum. Ad confirma. respon. priuationem non esse non ens, sed ens rationis; neque Arist. vnquam docuit illam esse simpliciter non ens, sed esse in habitudine ad ens rei, non ens, quia si conferatur cum illo, est tam exigue entitatis, vt non entis potius, quam entis, nomen possit sibi promereri. Ad

Ad 4. quartum respon. inter calefaciens, & calefactum præteritum, dari relationem rei, si referantur ad tempus in quo extiterunt, neque aliud docere voluit Arist. quando inquit inter agens, & patiens præteritum, dari relationem secundi generis, quam referendo vtrūque ad tempus in quo vel agebant actu, vel patiebantur. Et idem intelligendum erit de relatione agentis ad patiēs temporis futuri, esse nimirum realem, referendo illa ad tempus in quo actu erunt. In vltimo argu. dissoluendo digladiantur maxime nonnulli Philosophi, verum ex his quæ diximus perfacilis est satis solutio, iam enim in vltima conclu. docuimus relationē hanc effectus ad finem, esse realem, cum per speciem propriam, aut eiusdem generis inflectat voluntatem ad se prosequendum, ac si esset præsens, actuque existens in rerum natura.

Ad vlt.

QVAESTIO VIII. AN RELatio dicat aliquam perfectionem necne?

NOn est animus de relatio. diuinis, & infinitis aliquid agere, hoc enim Theologis 1. p. q. 28. art. 2. discutiendum prætermittimus, & de qua re in illo loco interpretantes D. Tho. nostram sententiam proposuimus: neque enim illorum sententiā probare vlla ratione possum, qui res Theologicas in Dialectica pertractare non verentur, quemadmodū neque aliorū, qui has quæstiones quæaditum præbent, viamque sternunt ad disputationes Theologicas capescendas, fastidiose nimis reprehendūt; sed ita has quæstio. pertractādas esse ducimus, vt omnib' artificibus & disputationibus suus locus concedatur. De hac tamē re alio loco diffusius, superiori aura fæliciter nobis arridēte. Vt igitur quæstio. proposita explicem', nō indicare relationes aliquam perfectionē, hoc modo possumus suadere. Primò, relatio denotat habitudinem ad aliud, nimirum ad terminum, & non ad subiectum, vt constat ex diffinitione relatorū ab Arist. proposita; sed perfectio exprimi-

1. argu.

primitur vt inhærēs subiecto quod perficitur, nam perfectio (iuxta commune, & protritum dictum) debet esse in perfectibili, iam ergo relatio non significabit aliquam perfectionem. Iam. Entia mathematica neq.

2. Arg. sunt bona, neque perfecta, quia nō sumuntur vna cum subiecto, sed vt separata ab illo, vt auctor est Aristo. 3. lib. metaphy. cap. 2. ergo cum relatio non sumatur vt inhærens subiecto, sed vt respiciens terminum, neque bona erit neque perfecta.

1. Opi. In hac quęstione sunt tres opiniones. Prima est Gabrielis in 1. dist. 7. q. 3. Bartholo. Torres 1. p. q. 28. art. 2. dispu. 3. in 2. p. in qua ferunt extitisse M. Cano, relationes iuxta propriā rationem denotare aliquam perfectionem. Secunda est Caieta. in eodem loco 1. p. q. 28. art. 2. qui existi-

2. Opin. mat illas in propria ratione abstrahere à perfectione, & imperfectione, significareque in relationibus rei aliquam perfectionem, in aliis vero rationis nullam. Tertia est Capreoli in

3. Opi. 1. dist. 7. q. 1. ad 3. contra. 1. conclu. & multorum aliorum, illam in propria ratione nullam denotare perfectionem.

1. Obser uatio. Sciendum est igitur relationem sumi posse in communi, vt præcise denotat esse ad, & in alia contractiori significatione, vt denotat esse ad, contractum per esse reale, id est per esse quod consequitur rem, ex natu-

2. obser. ra sui fundamenti. Iterum animaduertendum erit duplicem esse perfectionem alicuius formæ, vnam per modum actus primi, & alteram per modum actus secūdi, perfectio prioris generis, nihil aliud est quam formas conferre aliquod esse subiectis: perfectio vero alterius generis per modum actus secundi, est, vt ab illa promanent aliquæ operationes, tūc enim forma est perfecta in actu secūdo, quando aliquid agit, & molitur.

His sic obseruatis, sit prima conclusio. Relatio in communi vt tantum denotat esse ad, vel præcisam habitudinem ad terminum, nullam denotat perfectionem. Primo quia

1. Conc. 1. Arg. relatio ita sumpta non sumitur vt inhærens subiecto, sed vt terminū respiciēs: at perfectio significari debet, vt subiecto quod perficitur inhærens. Secundo, quia relatio hac ratione sumpta, amplectitur relationē

2. Arg. rationis: at nullum ens rationis est bonum, vel perfectum, vt ostendimus lib. 5. Transcen. cap. 2. quare hac ratione nō poterit esse perfecta.

Secunda conclusio. Relatio in alia angustiori significatione sumpta, vt denotat ad reale, perfectionē denotat in actu primo. Confirmatur. Quia relatio hoc modo est bona, nam bonum est proprietas entis

1. Arg. rei, vt in eodem 1. lib. Transcen. docebamus: ergo erit perfecta nam bonum, & perfectum idem sunt. Deinde omnis forma inhærens subiecto

2. Argu. est perfectio illius, nam est actus, eius, at actus perfectionem aliquam præ se ferre videtur: sed relatio rei est forma quædam inhærens subiecto: ergo erit perfectio illius.

Tertia conclusio. Hęc eadem relatio non significat perfectionem per

3. Conc. modum actus secundi. Confirmatur quia forma ea ratione est perfectio per modum actus secundi, qua

1. Arg. est principium agendi, & operandi: sed relatio non est principium alicuius actionis, nam ad illam neque est per se motus, neque ipsa est principium alicuius motus, ex Arist. 5. metaphy cap. 2. ergo relatio hoc genus perfectionis non indicabit. Iam. For-

2. Argu. ma quæ indicat hanc perfectionem est potentia quædam agendi, esse enim principium actionis est posse aliquid agere: at relatio non est potentia agendi, omnis enim huiusmodi potentia sub limitibus qualitatis

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatis comprahenditur, sub quibus relatio comprahendi nequaquam potest. Itaq. relationes paternitatis, & filiationis, aliæq. huius generis, in communi ratione, vt tantum denotant esse ad, nullam perfectionem immo neq. imperfectionem significabunt, & vt denotant esse ad reale, significabunt perfectionem in actu primo, quia sunt actus subiectorum quibus inhærent, nõ tamen in actu secundo, quia non sunt principia agendi, & operandi.

Ad 1. argum. Ad argum. ex his facilis est solutio. Ad primum enim dicimus illud tantum concludere de relatione vt præcise denotat esse ad, hac namq. ratione, non denotat habitudinem ad subiectum quod perficitur, sed ad terminum: nihil tamen concludere de relatione reali, quia hæc nõ tantum ad terminum, verum etiam & ad subiectum denotat habitudinem. Ad secun. dicimus admittendã esse consequentiam (quidquid sit de antecedente de quo abunde egimus 5. lib. Transcen. cap. 3.) si agamus de relatione vt tantum denotat esse ad, hãc enim nos libẽter admittimus, non denotare vllam perfectionem: neganda est tamen si agamus de relatione vt denotat esse ad reale, & ratio discriminis est, quia relationes huius generis, denotant habitudinem ad subiec. ac proinde significa. aliquam perfectionẽ: at res mathematicę (vt Mathemati. cõsiderantur) nõ denotãt habitu. ad subiectũ ob quam causam nullam perfectionem indicabunt.

Ad 2.

Multi parum ingenuorum adolescentum vtilitati consulentes, de relationibus diuinis multa hoc loco proponũt. ex ipsis fontibus Theologorũ petita: quorum sane institutũ vituperatione maxima dignum esse iudico, nam quid obsecro rudes adhuc adolescentes, & rerum Theologicarum omnino ignari, de his rebus quæ superiorem postulant (quã Dialecticam) cognitionem, mente poterunt aprehãndere? Illa igitur consulto prætermittimus, ne in aliorum vitiũ merito incidam⁹. Poterit qui voluerit ea apud Theologos 1. p. q. 13. cõsulere. Hactenus igitur de relatis, illorumq. natura, & proprietatibus.

DE

DE QVALITATE & quali caput quartum.

ARGVMENTVM CAPITIS.

IN hoc c. quatuor præstat Arist. in quæ poterit totũ caput diuidi. In prima parte qualitatis diffinitionẽ, & quatuor eius species proponit, in secunda disputat de quali, in tertia tres illius proprietates nobis tradit: & tandẽ in vltima quandam dubitationem dissoluit.

A QValitatem autẽ uoco, ex quæ quales nominamur Qualitatis autẽ genera sunt plura. B. Vnum, habitus & affectio. Sed habitus hoc differt ab affectione, quòd habitus longinquior est, & permanentior, quales sunt scientia, atque uirtutes. Scientia enim in eis est, quæ permanent, diuturnaq; sunt, etiam si scientia aliquis sit mediocriter instructus: nisi ui morbi aut alicuius eiusdẽ generis permagna inciderit mutatio. Eadem est ratio uirtutis. Vt iustitia, ut temperãtia, & cætera eiusdem generis, non facilẽ euelli mutariq; possunt. At uerò affectiones facilẽ commutari, celeriterque euelli possunt & distrahi: ut calor, ut frigus, ut morbus, ut bona ualetudo, omniaque quæ sunt generis eiusdem. Nam & his homo quodammodo afficitur, & celeriter ex calore in frigus commutatur, & ex bona ualetudine in morbum. Quod idem in cæteris talibus contingit, nisi aliqua eorum longinquitate temporis in naturæ habitum sic transferantur, ut uel omnino tolli nõ possint, aut ægrẽ eiici: quæ tum habitus appellari licet. Illud autem perspicuum est, ea demum in habitibus censeri solere, quæ diuturniora sunt, quæque permanentiora. Nam qui in scientiarũ cognitione non ita ualdè sunt confirmati, sed facilè adhuc dimoueri queunt, in iis habitum esse non solemus dicere quanquam quodammodo affecti sunt scientia, aut deterius aut melius. Hoc igitur inter habitum & affectionẽ interest, quod hæc facilè desistere potest, ille diuturnior est difficulterq; diuellitur. Habitus uero etiam affectiones sunt: affectiones autem non necesse est uicißim esse habitus. Nam ij in quibus habitus insunt iis etiam afficiuntur. At qui affecti sunt, ij non continuo habitibus sunt præditi. C. Alterum genus qualitatis est, ex quo aliquos ad pugilatum aptos, & ad cursum: alios ad bonam ualetudinem & ad morbos procliues esse dicimus, & omnino ea omnia quæ à ui & facultate naturali, aut imbecillitate appellantur. Non enim ex eo hæc dicuntur, quòd affecti sint quodam certo genere, sed quia uim quandam

quandam aut imbecillitatem eis natura tribuit. qua apti sunt ad facilè aliquid faciendum, nihilue patiendum. Vt cursorios dicimus, & pugilares, non ex eo quòd affecti sunt quodammodo, sed quòd naturalem habent facultatem ad aliquid facilè faciendũ. Valentes etiam appellantur quòd uim habeant naturalem, ut non facilè, nec leui de causa de statu suæ ualetudinis dimoueantur. Imbecilli autẽ, quòd tam infirma sunt ualetudine, ut statim quauis ex causa commoueantur. Similis est ratio durorum & mollium. Durũ enim dicitur ex eo, quòd in eo uis insit quædam innata impediens quominus facilè secari queat. Molle autem quòd ad hoc ipsum imbecillitatem habeat. D. Tertium qualitatis genus conficiunt patibiles qualitates ac perturbationes, affectusue: in quo genere sunt dulcedo, amaror, acerbitas, quæque sunt eiusdem generis: itẽque calor, frigus, cãdor, atror. Has autem esse qualitates hinc perspici potest, quòd ea in quibus insunt qualia ex eis nominantur. Vt mel, quia dulcedine perfusum est, dulce appellatur: & candidũ corpus, quòd candore sit præditum. Quod idem in cæteris contingit. E. Sed patibiles qualitates uocantur, nõ quòd ea quæ eas receperunt aliquid perpessa sint, neque enim mel ex eo dulce dicitur, quòd aliquid passum sit nec quicquã tale. Itemque calor & frigus qualitates uocantur patibiles, non ob eã causam quòd ea in quibus insunt, passa sint aliquid: sed patibiles qualitates ex eo dicuntur, quòd in sensibus omnes hæ qualitates, quas modò nominaui, passionem quandam efficiant. Nam & dulcedo quandam permotionem affert gustatui, & calor tactui, & cæteræ eiusdem generis. At uerò candor & nigror aliique colores nõ eodem modo, quo ea que diximus, patibiles qualitates dicuntur, sed quod à perturbationibus motionibusq. natæ sint. Nam commutationes multæ colorum ex perturbationibus oriri, hinc intelligi potest, quòd quando quis pudore afficitur, ruber fit, & qui metuit, pallidus, itemque cæteris eiusdem generis. Quo circa si cui natura aliquem talem euentum aut permotionem tribuerit, ueri simile est eum simili fore colore. Quæ enim, cùm pudore aliquis affectus est, in corpore nascitur affectio, eadem à naturæ institutione existere potest, ut naturæ etiam similis color oriatur. F. Quot quot ergo huius generis accidẽtia ortum habent, & originem, à perturbationibus quæ uix tolli possunt, ac permanent, patibiles qualitates nominantur. Siue enim à prima constitutione naturæ pallor, aut atror, extitit, qualitas dicitur (quales enim ex eis appellamur) siue longo morbo, aut ardore eædem comparatæ sunt qualitates, nec facilè corrigi possunt, aut per omne tempus ætatis ualent, qualitates etiam hæ patibiles nominantur, siquidem ex iis quales appellamur. Quæ autẽ ab iis quæ facilè euelli possunt oriuntur, permotiones ac perturbationes dicuntur, qualitates non item, quandoquidem non ex iis homines quales nominantur. Neque enim

enim qui erubuit ob id ipsum quòd pudore affectus est, ruber uocatur: nec qui metu expalluit pallidus: sed potius non nihil perturbatus fuisse dicitur. Ita perturbationes sunt hæc quidem omnia, qualitates non sunt. Similiter in animo & patibiles qualitates dicuntur & perturbationes. Quæ enim simulac orti sumus, ex motionibus quæ difficulter euelli possũt, oriuntur, eæ etiam qualitates nominantur: ut mentis è sua sede amotio, ut ira & cætera eiusdem generis. Nã quales ex iis nominamur ut amentes, ut iracundi. Itemque omnes mentis ex suo statu depulsiones, quæ non natura, sed aliis quibusdam casibus hominibus eueniunt, si uix euelli possunt in qualitatum numero hæc etiam habẽtur. quippe cùm ex iis quales nominemur. At quæ constant ex iis quæ facilè ac citò dissipari possunt, uocantur perturbationes, ut si quis ira commotus, fiat iracundior. Neque enim iracundus appellatur ex eo quòd in hac perturbatione iracundior existat sed potius quòd aliquid acceperit, & quasi passus sit, dicimus. Perturbationes igitur hæ, non qualitates uocantur. G. Quartũ qualitatis genus est figura, & ea quæ in quoque est forma, itemque rectitudo, & obliquitas & si quid aliud his simile est. Nam ex his aliquid quale dicitur. Nam & triangulum & quadratum & rectum & obliquum esse, quale quiddam nominatur. Atque etiam ex forma quale aliquid nominatur. H. Rara autem & crassa, aspera & læuia quale quiddam illa quidem uidentur significare, sed aliena sunt ab ea quæ qualitatis propria est affectione. Situm enim potius uerba ita declarant. Crassum enim quid dicitur quòd eius partes inter se propè cohæreant. Rerum autem id cuius partes inter se disiunctæ sunt. Leuia, quòd partes quodammodo in rectum sitæ sint. Aspera, quòd partes aliæ emineant, aliæ superentur. Alia etiam fortasse sunt genera qualitatis, sed hæc sunt ferè quæ maximè in omniũ ore uersantur. Ac qualitates quidem hæ sunt, quas diximus. I. Qualia autem sunt ea quæ ab eis sunt cognominata, aut quoquo alio modo deducta: pleraque enim ac ferè omnia ab iis nomina duxerunt, ut à candore candidus, à Grammatica grammaticus, à iustitia iustus, itemque cætera eiusdem generis. Sunt autem quædam, quæ, quoniam nomina nulla imposita sunt qualitati, nomina sua ab ea non trahant, uelut cursorius & pugilaris qui ex usu innata nominatur, nomen non traxit ab ulla qualitate. Neque enim impositæ sunt facultatibus nomina ex quibus quales hi appellantur, perinde atque scientiis, à quibus hi pugiles aut palæstrici nominantur propter affectionem. Pugilatus enim & palestra eæ artes appellantur, à quibus quales ij nominis contugatione appellantur. Interdum impositum nomen est qualitati, cum interim id quod quale ex ea dicitur nomẽnõ mutuatur ab ea, ut à uirtute uirtute præditus. Virtute enim præditus dicitur aliquis, quod uirtutẽ habeat, nec est simplex à uirtute cognominatum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

natũ. Idq; in paucis cõtingit. Sũt igitur qualia ea, quæ nomina sua ab iis qualitatibus de quib⁹ disserui, sumpserunt aut alio quodãmodo ab iis sorta sunt.

K. Est autẽ qualitatibus inter ipsas aduersorũ repugnãtia, ut iustitiæ iniustitia aduersa est, & candor atrori, itẽque cætera eiusdẽ generis. Eadẽ est eorũ ratio quæ ex iis qualia nominantur: uelut iusta iniustis cõtraria sunt, & nigra cãdidis. Nec hoc in omnibus contingit. Rubris enim aut fusco coloribusue talibus, nihil aduersum est, cùm sint qualia. Illud etiam intelligẽdum est, si unum aduersorum in qualibus est, alterum etiam in iis fore: quod singulatim cæteras categorias intuenti perspicere licet: uelut, si iniustitiæ contraria sit iustitia, iustitia autem sit qualitas, qualitas iniustitia sit necesse est. Nulla enim categoria præter qualitatem iniustitiæ conuenit, & accommodatur: ut nec quantitas, nec ad aliquid, nec ubi, nec omnino cæterarum ulla. Similis est ratio cæterorum omnium quæ in qualitate contraria sunt. L. Recipiunt etiã intensionem & remissionem qualia. Nam & album aliud alio albius dicitur, & aliud alio magis minusue iustum. Atque etiam incrementum ipsa ad se cõparata recipiunt: quod enim album est, fieri potest albius. Sed in plerisque id fit, non in qualibus omnibus. Nam iustitiane alia, alia magis minusue iustitia dicatur, quæstio est.

Quod idem in cæteris affectionibus contingit. Nonnullis enim hæc in dubium ueniunt. Iustitiam enim iustitia minorem maioremue, aut sanitate sanitatem dici non putant oportere. Alium quidem alio & saniorem dicunt, & iustiorem quod idem fit in grammatica cæterisque affectionibus omnibus. Sed ea quæ ex ipsis nominãtur, sine ulla controuersia magis & minus sibi adiungunt. Nam & alius peritior grammaticus est, & sanior, & iustior. At uerò triãgulus, & quadratum, illud magis & minus non admittunt, neque ulla alia figura. Ea enim in quæ trianguli orbisq; definitio ualet, omnia æquè trianguli orbesq; sunt. Eorum autem quæ trianguli orbisque non recipiunt definitionem, nihil aliud alio magis dicetur. Nam nihilo magis quadratum quam altera parte lõgius, est circulus, quippe cum in neutrum ualeat circuli definitio. Omnino autem, nisi utraque rationem eius rei de qua agitur, recipiant, nunquam alterum altero magis minusue dicatur. Nõ igitur in omnibus qualibus illud magis minusue dicitur. At eorum quidem quæ adhuc commemorata sunt, nihil est qualitatis proprium.

M. Similia autẽ aut dissimilia aliqua ex solis qualitatibus dicuntur: præsertim cùm nihil simile aut dissimile dicatur alia re ulla, nisi ex qua illud quale appelletur. Est igitur qualitatis proprium, ab ea aliquid simile aut dissimile nominari.

N. Sed nihil est quòd uerear nequis nos dicat cùm de qualitate disputare mus, multa enumerasse eorum quæ in iis esse dixerim quæ cum aliquo cõferantur. Etenim habitus & affectiones ad ea retulimus, quæ cum aliquo conferuntur. Nam in omnibus ferè qualitatibus, genera ipsa ex iis sunt quæ cum aliquo conferuntur, cùm res singulæ nullæ in iis reperiantur. Nã & scientia quæ genus est, quicquid ipsa est, alterius esse dicitur (alicuius enim scientia uocatur) at singulæ nullæ quicquid ipsæ sunt, ad aliud referunt. Vt grammatica non dicitur alicuius grãmatica, nec musica alicuius musica: nisi fortè hæc ipsa per genus, in iis sunt quæ cum aliquo conferuntur. Velut grammatica, alicuius rei scientia dicitur, non alicuius rei grammatica: & musica alicuius scientia, non alicuius musica. Non sunt igitur scientiæ singulæ in iis quæ cum aliquo conferuntur. Quales autẽ ex singulis scientiis nominamur, quoniam eæ sunt quæ in nobis insunt: scientes enim ex eo dicimur, quòd quibusdam ex singulis scientiis præditi sumus. Quare singulæ scientiæ etiam qualitates erunt ex quibus quales appellamur, nec in iis sunt quæ cum aliquo conferuntur. Iam uerò si idem sit & in qualitatibus & in iis quæ cum aliquo conferuntur, non alienum est id ipsum in utroq. genere collocare.

COMMENTARIA.

METho. sequens diffi. hanc categ. ab illius diffini. auspicatur, illi co qualitatis diffinitionem sub his verbis proponens.

1. Pars capi. Quid sit quali.

A *Qualitatem autem voco, &c.* In prima parte huius cap. Aristo. diffinit qualitatem ita dicens. *Qualitas est ex qua quales nominamur.* Quemadmodũ candor, & sapientia, sunt qualitates, nam à candore candidi, & à sapientia sapiẽtes vocamur. Hac diffinitione explicata, Aristo. progreditur ad exponendas singulas species qualitatis, quas omnes duobus nominibus circunscribit.

1. Species quali.

B *Vnus habitus, &c.* Prima species qualitatis est habitus, & affectio. Verum antequam de his speciebus agamus, erunt breuiter variæ vtriusq. significationes proponendæ. Habitus igitur (qui deriuatur à verbo habere) tria significat quemadmodum & ipsum verbum, nam primo significat rem aliquã possidere, qua rõe dicimus habere seruũ, i. ẽ. possidere seruum. Secũdo significat relationẽ significatam per modum actionis, & passionis, inter rem quæ habet, & inter rem quæ habetur, quæ significatio constituit propriam categoriam habere. Tertio significat aliquo modo rem esse affectam, & ita communi modo loquendi interrogamus aliquem vti habes? id est quomodo es affectus, valesne: an ægrotas: in qua. postrema significatione cõstituitur habitus prima species qualitatis in hoc loco. Dispositio præterea vt colligimus ex Arist. 5. metaphy. cap. 19 tria etiam significat, nam primo significat ordinem partium in loco, quę significatio reuocanda est ad categ. situm esse. Secũdo denotat ordinem partium alicuius formæ leuiter, & imperfecte acquisitæ, quã vocat Arist. dispositionem secundum facultatem, vt ordo partium in calore leuiter in aqua cõparato, vocatur dispositio. Tertio significat ordinẽ partium secundum formam perfecte comparatam in subiecto, vt ordo partium caloris perfecte comparati in aqua, vocatur dispositio. Cũ ergo sint hæ tres significationes affectio, vel dispositio tantum constituit hanc speciem in secunda significatione: nam in prima reuocatur ad categoriam situm esse, & in tertia nõ differt ad habitu. His in mediũ productis de habitus, & dispositionis significa-

3. Signifi. habitus.

4. Signifi. dispositio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gnificationibus regrediamur ad Aristot. qui hoc assignat discrimen inter habitum, & affectionem. Habitus inquit eo separatur ab affectione, quia est qualitas diuturna, & difficile mobilis à subiecto, vt sunt omnes scientiæ, artes, & virtutes, nam si quis sem̃el cõsequutus fuerit fastigium alicuius artis, non poterit nisi cũ difficultate magna illam amittere, vel interueniẽte vi alicuius morbi, vel obliuione lõgi temporis intercedente. At vero affectio non est qualitas diuturna, sed facile remouetur à subiecto, quemadmodum calor, & frigus, morbus, & valetudo, nam calor ab exteriori principio prouenies nõ diu perseuerat in corpore, sed statim remouetur ab eo. Ex quo discrimine colligere poterimus vtriusq. diffinitionẽ, nã habitus definitur. Qualitas diuturna difficile mobilis à subiecto. Affectio vero. Qualitas nõ diuturna, ac facile mobilis à subiecto. Adhibet tamẽ Arist. hanc particulam omnẽ habitũ esse affectionem, non tamen omnem affectionẽ esse habitum, quæ verba sunt interpretanda. Affectio duo significat nam significat primo omne accidẽs, nam accidentia omnia afficiunt aliquo modo subiectum: secundo significat quandam qualitatem, quæ facile potest à subiecto remoueri. Vnde quando Arist. docuit omnem habitum esse affectionem, loquutus est de affectione in prima significatione: at vero quando deinde docet affectionem non esse habitum, sumpsit affectionem in secunda significatione. Sub hac specie continentur omnes artes, scientiæ, species intellectiles, vitia, & virtutes, tam nostris actionibus comparatæ, quam etiam nobis à Deo Opt. Max. infusæ, vt sunt fides, spes, charitas.

Discri. inter habitus & affect.

2. Species quali.

C *Alterum genus qualitatis est, &c.* Secunda species qualitatis est naturalis vis, & imbecillitas, vel (vt alij dicunt) potentia, vel impotentia, naturalis. Naturalis vis diffinitur facultas quædam à natura tributa ad aliquid agendum, vel ad resistendũ alicui: ad agendum vt est facultas in quibusdam hominibus ad pugnam, ad resistendũ vero alicui, vt est in quibusdam hominibus robur corporis ad resistendũ omnibus ægritudinib⁹, & in ferro duritas, etiãq. in lapide. Imbecillitas quoque naturalis diffinitur ineptitudo naturalis vel ad aliquid agendum, vel ad resistendum alicui: ad agendum vt in quibusdam hominibus est ineptitudo ad luctam, & pugnam, & ad alia huiusmodi: ad resistendum vero, vt est in aliis qui statim succumbunt omnibus ægritudinibus, & in mollibus ad resistendum corrumpenti, nam res molles statim illi cedunt. Sub hac specie continentur omnes virtutes lapidum, plantarum, & metallorum, omnes proprietates, sicut in homine aptitudo ad ridendum, in equo ad hinniendum, & in cane ad latrandum: omnes potentiæ & facultates animæ, tam vegetantis cuiusmodi sunt facultates generãdi, nutriẽdi, & accrescẽdi: quã sentientis, vt facultas appetendi, secundum locum mouendi, & sentiendi, sicut omnes sensus tam externi quam interni, quã etiã intelligentis, vt sunt memoria, intellectus, & voluntas.

D *Tertium qualitatis genus &c.* Tertia species qualitatis est patibilis qualitas & perturbatio. Patibilis qualitas hoc modo diffinitur *Qualitas difficile mobilis à subiecto, & afficiens sensum.* Vt rubor qui est quibusdam hominibus à natura tributus, est patibilis qualitas. remouetur enim difficile à subiecto, & afficit visum. Perturbatio vero diffinitur *qualitas facile mobilis à subiecto, & afficiens sensum*, sicuti rubor contractus ex verecundia dicitur perturbatio, eo quod euanescit statim à subiecto, atque afficit visum. Confirmat Aristo. patibilem qualitatem esse qualitatem hoc argu. Qualitas est à qua quales nominamur: sed a patibili qualitate nominamur quales, vt à rubore naturali rubei & mel à dulcedine dulce, & corpus à candore candidum nuncupatur, ergo patibilis qualitas, qualitas erit. Sub hac specie continentur omnes qualitates primæ calor, frigus, siccitas, & humiditas, & omnia genera saporum, & colorum.

3. Species quali.

1. Discrimen inter patibilem qualitatem, & perturbationẽ

E *Sed patibiles qualitates, &c.* Animaduertit tamen Arist. duobus modis vocari posse aliquas patibiles qualitates. Primo modo ex eo quod tantum afficiant sensum, non tamẽ subiectum, cuiusmodi sunt primæ qualitates calor, frigus, siccitas, & humiditas, nam hæ non mutant vllo modo subiectum in quo sunt, quem admodum in melle dulcedo eius nõ mutat mel sed facultatem gustandi. Aliæ vero dicuntur patibiles qualitates eo quod oriantur ex aliqua perturbatione, vel affectione subiecti, & non tantũ quia afficiunt sensum, vt sunt colores, nam hi non sunt in subiecto nisi per aliquam transmutationem illius. Quod ita confirmamus. Color rubeus & pallidus in homine verecundo, vel timente non sunt in illo nisi per aliquam transmutationem: ergo & alij colores nõ erũt in suis subiectis nisi per aliquã transmutationem.

F. *Quotquot ergo, &c.* Constituit deinde Arist. duo discrimina interuenientia inter patibilem qualitatem, & perturbationem. Primum: Patibilis qualitas est diuturna in subiecto, & difficile remouetur ab eo, at vero perturbatio non est diuturna sed facile mobilis à subiecto. Hanc rem explicat Arist. exemplis propositis in

accidentibus tã corporis, quam animi, nam si quis inquit habeat ruborem insitum à natura, qui difficile remouetur & est diuturnus in subiecto, dicimus illum esse affectũ patibili qualitate: si vero contrahat ruborem ex verecundia dicimus illũ esse affectũ perturbatione, eo quod rubor ille non sit in eo diuturnus sed statim ab illo euanescat. Idipsum rursus explicat in perturbationibus animi, nam si quis ex natura sua proclivis ad iracundiam statim irascatur, huiusmodi iracundiam dicimus patibilem qualitatem, in his namq. hominibus est diuturna, & difficile mobilis: at vero iracundiam in homine miti, qui aliquando irascitur ex iusta causa, vocamus perturbationem. nam illa, neque est diuturna, neque cũ difficultate mobilis, imo statim euanescens à subiecto. Secundo differunt patibilis qualitas, & perturbatio ex eo, quia à patibili qualitate vocamur simpliciter, & absolute quales, nequaquam tamen à perturbatione simpliciter quales denominamur, sicut in eisdem exemplis, à rubore à natura insito, vel ab iracundia naturali vocantur homines rubei, vel iracundi: cæterum à rubore cõtracto ex pudore, & ab iracundia in homine miti non vocantur homines simpliciter, & absolute rubei, vel iracundi.

2. Discrimen.

G *Quartum qualitatis genus, &c.* Quarta species qualitatis est figura, & forma, vt quadratura rectitudo & obliquitas alicuius anguli, & alia id genus. Confirmat autem Aristo. hoc argu. figuram esse speciem qualitatis. Qualitas est à qua quales nominamur: sed à figura res nominantur figuratæ, vt à quadrato quadratæ: ergo figura erit species qualitatis. Quid autem nomine figuræ, & formæ intelligat Arist. & an duę hæ species differant in quæstionibus se-

Quarta species qualita.

quentibus explicabimus.

H *Rara autem & crassa.* Quærit tamen Arist. an rarum, & densum asperum, & lene contineantur sub aliqua specie qualitatis, ex his quatuor assignatis, videntur enim contineri debere sub tertia specie patibili scilicet qualitate, cum moueant hæc vtraq. ipsum sensum. Docet nihilominus Arist. hæc in categ. qualitatis comprehendēda non esse, imo contenta esse in catego. situm esse. Hoc vero confirmat Arist. ex eorū diffinitionibus, diffinitur namque densum cuius partes inter se minus distant: rarum autem cuius partes inter se magis distant: lene prēterea diffinitur cuius partes sunt æquales, asperum tamen quod habet partes inæquales, & ex quibus quædā magis eminent quam aliæ: at habere partes magis, aut minus distantes, æquales, vel inæquales in loco, continetur in catego. situm esse: ergo & hæc vtraque continebuntur in illa. & non in catego. qualitatis. Quod intelligendum est secundum ordinē partium in loco, non autem vt asseruiunt sensum, hac enim ratione in ista proculdubio catego. qualitatis sunt contenta, vt ipse met Arist. 2. lib. de Ortu cap. 2. ingenue profitetur. Ex his concludit Arist. fortasse esse plures species quam sint hæ assignatæ, has nihilominus esse tantū propositas eo quod versentur maxime in ore omnium Philosopho. Ex quibus verbis ansam sumunt interpretes dubitandi dentur ne plures species qualitatis necne? quam dubitationem etiam & nos inferius exagitabimus.

I *Qualia autem sunt ea.* Exorditur Arist 2. partem huius cap. proponens diffinitionem qualis, quæ est huiusmodi. Quale est quod à qualitate denominatur quale, vt grammaticus, candidus, & iustus, nam grammaticus denominatur à grammatica, quæ est qualitas, & eodem modo iustus à iustitia, & candidus à candore. Adnotat tamen quædam esse qualia quæ quidem deriuantur ab aliqua qualitate non tamen ab ea denominantur, vel quia nondū est impositum nomē illi qualitati à qua deriuantur, sicut pugil, & cursor: nā pugil deriuatur à facultate luctandi à qua tamen nō denominatur quia non est illi hactenus aliquod nomē impositum, sed potius denominatur pugil ab arte luctandi, quia pugil ille dicitur qui tenet artem palęstrem: vel ideo istud contingit, quia forma à qua deriuatur quale, nequit obtinere paronymum quod denominetur ab ea, quemadmodum studiosus deriuatur à virtute, & est quale virtutis, non tamen denominatur ab ea, sed à probitate, vel studiositate, eo quod virtus caret paronymo.

2. parscapitis.

K *Est autem qualitatis, &c.* Proponit Arist. tres proprietates huius catego. Prima est. Qualitati aliquid est contrariū, nam iustitiæ aduersatur iniustitia, & candori contrariatur atror, quæ proprietas non solum cōpetit qualitati, verum etiam quali, nam iustum contrariatur iniusto, & candidum aduersatur atro. Animaduertit tamen Arist. hanc proprietatem non conuenire omnibus qualitatibus, etenim qualitatibus medijs vt sunt medij colores, viridis nimirum, cæruleus, & alij id genus, nihil cōtrariatur, nā medio composito ex extremis contrariis neutrum ex extremis potest aduersari. Adnotat præterea Arist. hanc legem esse obseruandam in contrarijs, vt si vnū eorum fuerit contentum in hac catego. & alterum etiam debeat in eadē contineri, quemadmodum quia iustitia est in hac catego. contenta, & iniustitia quoq. debet contineri in eadem, & quia candor continetur in eadem

3. parscapitis.

eadem catego. etiam & atror, est in eadem comprehensus. Huius autē rei nullam rationem assignat Arist. nos vero hanc proponendam censuimus. Cōtraria iudicio omnium Philosophorum sunt illa quæ sub eodem genere posita inter se maxime distant: si ergo vnum contrariū contentum fuerit sub genere alicuius Catego. necesse est vt & alterum in eadem etiam catego. contentum inueniatur. Vnde colligit Caieta. ad indagandum qua ratione aliquod contrarium contineatur in catego. & qua non inspiciendum esse eius contrarium, in ea namque catego. in qua alterum ex eis fuerit comprehensum etiā & aliud continebitur.

2. Proprietas.

L *Recipiunt etiam intentionem, &c.* Propriū deinde qualita. est recipere magis & minus, sicuti cādor recipit magis & minus quędā n. magis sunt candida, alia vero minus. Habet autem ortum hæc proprietas ex superiori proprietate, nā ex Arist. 5. Physico. cap. 2. omnia illa quæ habent contrarium suscipiunt magis, & minus, vnde cum qualitati aliquid sit contrarium, sequitur ei competere hanc proprietatem, quamuis nō sit proprietas eius quarto modo. Dubitat tamen Aristo. an hæc proprietas cōueniat qualitati, vel potius quali, formæ, vel paronymo. Platonici vt testatur Porphy. docuerunt hanc proprietatem vtriq. conuenire, & qualitati, & quali. At Arist. è contra censet illam primo, & per se, quali dumtaxat, & non qualitati conuenire, neque enim dicimus vnam albedinem esse alia magis albā, sed vnū album esse alio albius. Ita enim est proprium substantiæ, non suscipere magis, & minus, vt non solum illa, verum & quidquid habet modum ipsius, huiusmodi proprietatis expers sit, at qualitas prout in abstracto significatur, ad modum per se cohærentis significatur, qui quidē modus proprius est substantiæ, & ita nihil mirum, si hæc proprietas illi denegetur, & soli quali concedatur, ac tribuatur.

3. Proprietas.

M *Similia autem aut dissimilia.* Tertia proprietas est. A qualitate res dicuntur similes, vel dissimiles, vt à candore duo homines vocantur similes, & ab ipso & atrore dissimiles quæ proprietas in qualitate ortum habet ab vnitate, & multitudine, nam vnum in qualitate facit simile, multiplex vero dissimile.

4. proprietas. Dubita.

N *Sed nihil est quod verear.* In postrema parte capitis dissoluit Arist. huiusmodi dubitationem. Dictum est enim in catego. relatorum habitum, & scientiam contineri in illa: perperam ergo dictum est habitum, & scientiam contineri in hac catego. Cui dubitationi duobus modis satisfacit Arist. primo scientiam in communi contineri in catego. relationis, nam id quod est alterius esse dicitur, scilicet rei, quæ scitur: at uero priuatas scientias vt Grammaticam, Musicā vel Medicinam, non esse in illa contentas, sed in hac catego. nisi ratione tantum sui generis, qua scilicet scientiæ sunt, medicina enim quamuis ea ratione qua est scientia sit alicuius rei scientia: attamen vt medicina est non dicitur alicuius medicina, sed optima qualitas mentis cuius beneficio rem aliquam apprehēdimus, & idem est de grammatica, & Musica. Respon. Secundo scientiā contineri in vtraq. catego. alio tamen, & alio modo, nam secundum essentiam, & quo ad significatum formale, ac præcipuum, continetur in hac catego. at vero per accidens & iuxta significatum minus præcipuū comprehenditur sub catego. relatorum.

Solutio.

2. Solu.

Scholia in caput de qualitate.

1. Obser vatio.

A 1. Qualitatis (cuius nomen se prius inuenisse testatur Plato in Theeteto si credimus Simpli. in hoc loco) varię sũt significationes, quas nos eas prætermittentes, quas Stoici eodem Simplicio auctore tradiderunt, ex Arist. fontibusque Peripateticorum haustas proponemus, tres enim sunt potissimæ illius significationes. Prima est in qua significat omnem differentiam substãtialem, vt docet Arist 5. metaphy. cap. 14. & 28. Secunda est in qua significat omne accidens, quia omne illud prædicatur in quale de substantia, & non in quid. Tertia est in qua exprimit peculiare genus entis distinctum ab aliis catego. iuxta quam vltimam qualitatis significationem, aliis duabus prioribus prætermissis tanquã minus accommodatis, est nobis de ipsa in præsenti sermo. institutus.

2. Obserua. Lege Villalpãdum.

A 2. Agendum esse prius de qualitate, quam de sex vltimis catego. ex eoconstare poterit quia qualitas effertur de substantia intrinsece, vel per inhærentiam, vltimæ vero catego. prædicãtur de illa extrinseca denominatione: at vero attributa quę prædicanturde substantia per inhærẽtiam priora sunt his quę prædicãtur extrinseca denominatione. Agẽdum itaque est in hoc cap. de qualitate, & quali, de paronymo scilicet, & forma, ita enim inscribitur titulus catego. Quamuis enim Acasius & Alexan. teste Simplicio, opinentur tantum esse inscriptum hoc caput ab Arist. de qualitate, à posteriore tamen quodam Peripatetico inscriptum esse de qualitate simul, & quali: errant nihilominus maxime, quia inscriptio proposita est valdeaccõmodata, & ita legunt Ammo. Boet. B. Albert. Magimo & D. August. in suis catego. Cum enim tituli capitũ explicent quid contineatur in capiti. & in hac categ. non de quali solũ, sed & de qualitate etiam disputarit Aristot. merito præsens istud caput inscribi debuit de qualitate, & quali. Quod si quis inquirat ob quam causam ita titulum Arist. proposuerit. Respondendum erit primo cum Porphy in interrogationibus, quia hoc nomen quale, aliquando subiectum affectum qualitate, & aliquando ipsam qualitatem apud veteres significabat: vt album aliquando pro corpore affecto albedine, & interdum pro eadem albedine vsurpabatur: vt igitur vtramque huius vocis significationem amplecteretur, titulum proposuit de qualitate, & quali, quasi diceret, parum referre, siue de quali, siue de qualitate titulum proposuerimus. Secundo dicimus cum Ammonio hoc ideo effectum esse, quia qualitas cum sit occultior quali, debuit per illud nobis nota fieri, ac proinde non de sola qualitate, sed de quali, simul titulũ proposuit, vt intelligeremus, non de sola forma, verum etiam & deparonymo esse disputandum, vt ex illo ad formam ipsam, & qualitatem latentem intelligendam manu duci possemus. Tertio resp. cum Seueri. Boet. cum hoc nomen quale aliquando pro subiecto, & aliquando pro ipsa qualitate sumatur, ne fortasis posset aliquis falli, putãs hic agi de quali ratione subiecti, ob hanc causam vtrumque coniunxit, nimirum qualitatem cum quali, vt ita intelligere possemus, in hoc loco agi de quali, non ratione sui, & subiecti, sed ratione qualitatis, & formę quã significat Legẽdi sunt M. Soto Mercado Villalpãdus Toletus, & alij. Nõnulla alia quę obseruare poteram', in quæstionibus discutienda prætermittimus.

Interr.

1. Causa

2. Causa

3. Causa

Dispu-

Disputatio de Qualitate vnica Sectione comprehensa.

ARGVMENTVM.

LIbuit totam hanc disputationem vnica sectione cõprehendere, in qua de natura, proprietatibus, speciebus & formis & de his quæ in illa continentur disputabimus. Verum quia illud quod primo sese offert in qualibet disputatione explicandum est rei, de qua est suscepta disputatio, essentia, & natura, ab ea quæstione, quę qualitatis naturam exprimit, auspicabimur: vnde sit quæstio prima.

Sect. vnicæ in Catego. Qualitatis. Quæstio 1. Sitne qualitas recte ab Aristotele diffinita.

QVualitatem hiseverbis in principio capitis diffinierat Arist. *Qualitatem autem voco ex qua quales nominamur.* Quam certe esse vitiosam his argu. ostẽdimus. Primum. Vitiũ est in diffiniendo committere circulum: sed in hac eadem catego. diffinit Arist. quale per qualitatem, inquiens quale illud esse, quod à qualitate tale dicitur, ergo non debuit committendo circulum qualitatem per quale diffinire. Secundo. Lex est optimæ diffinitionis vt per ea quæ sunt priora, & notiora tradatur: at quale nec prius, nec notius est qualitate, ergo non debuit qualitas per quale diffiniri. Cõfirm. minor. Effectus neque est notior, neq. prior sua causa, imo est illa ignotior atq. posterior: sed quale est effect° qualitatis: ergo neque erit notior neque prior qualitate. Iam. Si hæc diffinitio optima esset, etiam licitum esset quantitatem, & relationem, eodem modo diffinire, vt quantitatem à qua quanti dicimur, & relationem à qua relati nominamur: neque enim est maior ratio, ob quam liceat qualitatem ita, & non quantitatem, vel relationem diffinire: at neque Arist. neque alius vnquam hæc accidentia in hunc modum diffiniit: ergo neq. licitum fuit ita qualitatem diffinire. Iterum à virtute non dicimur quales, neque enim ab illa virtuosi nominamur: præterea neque à pertur-

1. Arg.

2. Argu.

3. Arg.

4. Arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

batione dicimur quales, non enim à rubore contracto ex verecundia, rubei nominamur, vt in hoc ca. docet Arist. at virtus, & perturbatio ipsa, veræ, ac legitimæ sunt qualitates: ergo non erit optima proposita qualitatis diffinitio.

2. Conc. Explicatur con.

Sit tamen in explicationem prima conclusio. Hæc diffinitio qualitatis ab Arist. proposita est optima. Hanc auctoritate Arist. & communi consensu omnium Dialecticorum esse optimam possumus confirmare, omnes si quidem illam, & laudãt. & admittunt. In qua diffinitione adnotant Beatus Albert. Mag. Caieta. & alij in illo verbo *dicimur* latere mysterium, intelligi si quidem debet de nobis hominibus, & non de substantiis spiritualibus, neque de aliis corporeis præter hominem. Etenim cũ ex qualitatibus quædam sint corporeæ, & aliæ spiritales, in substantiis corporeis, tantum possunt esse qualitates corporeę, in spiritualibus vero, tantum reperiri queunt qualitates spiritales: at in homine qui ex corpore, & spiritu conflatur, vtræque qualitates, reperiuntur: nam in corpore afficitur calore, frigore, aliisq. qualitatibus corporeis, in spiritu vero, scientiis, artibus, speciebus intellectilibus, & aliis huius generis spiritualibus. Itaq. qualitas est à qua nos homines, quales iuxta vtramque qualitatem corpoream, & spiritalem nominamur.

2. Conc.

Secunda conclusio. Hęc diffinitio non est essentialis, sed descriptiua. Ita Porphy. in interrogatio. Ammoni. Simpli. Boetius, B. Albert. M. Caieta. & fere omnes recentiores in Commentariis profitentur. In primisque non esse essentialem confirmamus, quia diffinitum huius diffinitionis est genus supremum catego: at genera suprema, nequeunt diffinitione essentiali diffiniri. Deinde esse descriptiuam ostẽdimus primo, quia hæc diffinitio traditur per effectum formalem qualitatis: nam vt optime ad notat Caieta. particula illa *à qua vel secundum quam, &c.* denotat habitudinem causæ formalis, idemq. pollet ac si diceremus, qualitas est à qua in genere causæ formalis, quales dicimur: at diffinitio quæ traditur per effectum formalem, vel quemlibet alium descriptiua ab omnibus appellatur. Secundo. Quia illa diffinitio quæ traditur per ea quæ sunt priora, & nobis notiora, ignotiora tamen, & posteriora natura, est descriptiua: sed hæc diffinitio est huiusmodi, traditur enim per quale, quod est nobis notius, & prius qualitate, primo quia est magis compositum: at cõpositiora sunt sensibus magis familiaria, nobis q. notiora: tum secundo, quia notior est nobis Grammaticus, quam Grammatica, & sapiens, quam sapiẽtia: erit igitur hæc diffinitio descriptiua. Itaque quemadmo dum diffinitio naturę ab Aristotele proposita 2. Physicorum capit. 1. per principium & causam motus & quietis, tradita est per effectum, nimirum per motum, & quietem, ob quam rationem non est essentialis, sed descriptiua: ita & hæc altera qualitatis tradita per eius effectum formalem, non erit essentialis, sed descriptiua.

Secunda vero 1. Confi.

Confir. secundo.

Ad argu. æquum est iam respon. Ad primum dicimus, in diffinitionibus essentialibus (præsertim rerum absolutarum) vitium esse circulum committere: at in diffinitionibus accidentarijs, & descriptiuis, hoc nulli vitio verti debet, maxime vero cum non eodem modo fuerit vtraque diffinitio proposita, nam hæc qualitatis, tradita est per ea quę sunt priora, & notiora nobis, vt pote per effectum formalem: altera vero qualis tradita

Ad 1. argum.

Confir. 1. pars.

tradita est per ea quæ sunt priora, & notiora natura, nimirum per qualitatem, quæ hoc modo est prior, & notior ipso quali.

Ad 2.

Ad secundum dicimus duobus modis esse aliqua notiora, & priora, natura scilicet, & nobis: igitur cum duplex sit diffinitio, vna essentialis, & alia accidentaria, essentialis, tradi debet per ea quæ sunt priora, & notiora natura, accidentaria vero è contra, per ea quæ sunt priora, & notiora nobis. Vnde cum sit hæc diffinitio accidentaria, tradita fuit per ea quæ sunt priora, & notiora nobis, per quale nimirum quod certe multo notius est, & familiarius qualitate. Ad tertium in primis respon. licitum quoque esse quãtitatem, & relationem per suos effectus formales eo modo, quo & qualitas ipsa fuit diffinita, diffinire. Et ita in catego. quantitatis in Scholiis cum Louanien sibus, fuit à a nobis in hunc modum quantitas diffinita *A qua quanti nominamur*, & eodem modo relationem possumus diffinire. *A qua dicimur relati.* Veldicere possumus in qualitate nullum alium effectum esse, quam reddere substantiam qualem, ac proinde per huiusmodi effectum fuit illa diffinita: at in quantitate præcipuus effectus est reddere substantiam diuisibilem, & in relatione referre ipsam ad suum terminum. Et ob hanc causam non fuit quantitas diffinita à qua quanti dicimur, & relatio à qua relati nominamur, sed fuit quantitas 5. Metaphy. cap. 13. per diuisionem diffinita. *Quę diuidi potest in ea quæ insunt, quorum vnumquodque, vel vtrumque natum est hoc aliquid esse*: & relata in superiori catego. diffinita fuerunt. *Quorum tota vis & natura in eo sita est, vt ad aliud referantur.* Ad quartum dicimus etiam à virtute nos quales dici, etenim quamuis non dicamur virtuosi, dicimur tamen virtutis amatores vel studiosi. Et quãuis à patibili qualitate non dicamur simpliciter, & absolute quales, dicimur tamen secundum quid. Neque Arist. docuit nos non dici quales à perturbatione, sed non dici simpliciter, & absolutè, vel collatione facta cum patibili qualitate. Si enim perturbationem cum illa conferamus, nomen qualitatis omnino amittere ipsa videtur. Cæterum de hac re tertiam speciem qualitatis explicantes iterum erit sermo diffusior repetendus.

Ad 3.

Ad 4.

QVAESTIO II. SINTNE *tantum quatuor species qualitatis.*

PRimũ cõf. esse plures ex Arist. qui in hac catego. docet fortasis esse multo plures species qualitatis quã sint hæ assignatæ: iam ergo cõstat illas esse multo plures. Deinde Arist. ipse 5. metap. c. 14. agens de qualitate prætermisit naturalem vim, & imbecillitatem: ergo non erunt hæ duę species qualitatis, cum ab Aristo. in eo loco prætermittantur, in quo de rebus disputat accurate. Rursus. Pulchritudo cõstituitur quarta species qualitatis contenta sunt forma & figura: atqui secundum Arist 7. physico. cap. 3. pulchritudo continetur sub prima specie qualitatis, nimirũ sub habitu: ergo pauciores erunt species qualitatis quam assignatæ. Addo figuram cum omnibus aliis speciebus confundi, quæ si tenacius inhæreat est habitus, si facile labatur dispositio, si fuerit ad aliquid diuidendũ apta potentia, & si fuerit inepta impotentia dicetur: erunt igitur pauciores species qualit. Iam. Caliditas frigidi. & aliæ qualitates sunt habitus quidam, nam sunt dispositiones

1. Argu.

2. Argu.

3. argu.

4 argu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiones quædam ipsius naturæ, sunt etiam potentiæ naturales, nam sunt principia agendi, & tandem sunt patibiles qualitates, nam afficiunt sensum, & subiectum: confundetur igitur hæ species qualitatis inter sese, & ita erunt pauciores quam fuerint propositæ ab Arist.

His igitur, & aliis id genus argumentis hic quaternarius specierũ qualitatis propositus ab Arist. euerti poterit, atque ita in hac re explicãda diuersæ sunt inter se Philosophorum sententiæ. Prima est Simplicij, Boetij, & quorundam aliorum, esse plures species qualitatis, quam sint hæ assignatæ, idque propter verba Arist. in 1. argu. proposita in quibus haud obscure illud indicare videtur Quod si Aristo. tantum fecerit quatuor in hoc cap. hæc est causa, quia scilicet rudi, & crassa minerua, de qualitate in hoc loco disputauit, multa prætermittens, quæ merito poterant in hoc loco de qualitate recenseri. Contrariam tamen opinionem nimirũ nec plures esse nec pauciores sequũtur grauissimi viri Porphy. in interrogatio. Ammo. in commenta. D. Tho. 12. q. 49. art. 2. B. Albert. Mag. in hac catego. cap. 9. & omnes recentiores horum vestigia imitati, quam sententiam tanquam verissimam his assertionibus explicamus. Prima sit. Tantum sunt hæ species qualitatis recensitæ ab Arist. Hæc certe nota fiet si rationes proposuerimus, quæ colligant hunc numerũ specierum illius, nam si illæ traditæ fuerint luce clarius supererit explicatum, neque esse plures, neque pauciores his quatuor speciebus. Simplicius igitur ita hunc numerum colligit. Omnis qualitas competit rei vel à natura, vel ab extrinseco: si ab extrinseco est prima species qualitatis, habitus nimirum, & affectio: si vero conueniat à natura, vel conuenit illi secundum potestatem, & est secunda species, naturalis nimirum vis, & imbecillitas: vel conuenit illi secundum actum, etiam in timum, & est tertia species, patibilis nempe qualitas, & perturbatio, vt calor & frigus, nam hæ etiam in intimis partibus rei continentur: vel denique adaptatur illi penes actum externum, & est quarta species qualitatis forma vtpote, & figura. Hæc nihilominus Simplicij ratio est vitiosa in duobus. Primo in eo quod constituit habitum & affectionem prouenire ab extrinseco, quod tamẽ est falsum, quia morbus, & optima valetudo, continentur sub habitu, & affectione, quæ duo proueniunt à principio intrinseco, à primis scilicet qualitatibus nobis inhærentib⁹. Deinde in eo quod constituit formam, & figuram, esse qualitates à natura tributas, quod etiam est absurdissimum, nam formæ rerum artefactarum, continentur sub quarta specie qualitatis, quæ tamen non sunt à principio intrinseco, & à natura, sed ab arte. Huiusmodi ergo Simplicij ratione prætermissa, ea nobis elegans videtur quam D. Tho. in loco superiori proponit, qua in hunc modum huiusmodi specierum qualitatis numerum colligit accurate. Qualitas est modus quidam, & determinatio subitantiæ, vnde & differẽtias vocam⁹ qualitates, quia sunt quidam modi determinantes genera, ad species: iam ergo quot modis continget determinari subiecta per qualitem, totidem erunt species qualitatis: at quatuor modis contingit subiecta determinari per qualitatem: ergo quatuor erunt species qualitatis. Confirmatur assumptio. Substantia vel potest determinari secũdum naturam, vt recte, vel male sese habeat: vel secundum actionem, & passionem: vel secundum quantitatem.

1. Opi.

2. Opin.

2

1. Conc.

tatem. Si determinetur secundum naturam est prima species, nimirum habitus, & affectio. si secundum actionem, & passionem, aut determinatur secundum potentiam agẽdi, & patiendi, & est secũda species qualitatis, scilicet naturalis vis, & imbecillitas: aut secundum eandem actionem, & passionem, & est tertia species qualitatis, patibilis qualitas, & perturbatio, nam quædam qualitates dicuntur patibiles per passionẽ subiecti, & aliæ per actionem quæ afficit sensum, vt diximus cum Arist. in catego. Tandem si est determinatio substantiæ secundum quãtitatem, est quarta species scilicet forma, & figura, nam figura determinat substantiam ad aliquam diffinitam quãtitatem. Quatuor igitur modis qualitas determinabit substantiam, & ita quatuor erunt illius species, & non plures neque pauciores.

2. Conc. Secunda conclu. Qualitatis diuisio in has quatuor formas, est vniuoci in vniuocata, & generis in species. Simplicius & quidam ex veteribus (vt testatur B. Albert. Mag. cap. 3. huius catego.) opinabantur hanc diuisionem non esse generis in species, sed in modos quosdam accidẽtarios, ac proinde non esse exactam absolute diuisionem, sed (vt ita loquar) modalem in modos scilicet accidentarios, vnde erit veluti diuisio subiecti in accidentia. Quæ opinio non displicet Scoto q. 1. huius catego. & in 4. dist. 6. q. 10. aduersus quos hanc cum Porphy. Ammo. Beato Alberto & cõmuni sententia proponimus conclusionem. Quam confirmamus primo ex Arist. in hac categ. prouonente has species sub nomine generis haudduble intermedij, inquit enim primum, secundũ, tertium, & quartum qualitatis genus est, &c. sed genera intermedia sub alio superiori genere quod in ipsa diuidatur sunt comprehensa: ergo diuisio qualitatis in has formas, erit generis in species. Iam. Si esset diuisio accidentaria in illos modos quos alij faciebant, fieret qualitatẽ secundum essentiam non dici dehis formis, sed accidentaria quadam ratione, quod certe nullus (quantum opinor) admittet. Præterea. Qualitas est genus supremum alicuius categorię, debet igitur sub ipsa aliqua series generum, & formarum comprehendi, est siquidem catego. series generum, formarum, & indiuiduorum: at præter seriem harum quatuor formarum sub qualitate nulla alia collocari posse videtur, quod si aliqua collocari potest, assignent nobis aduersarij, quænam sit illa, quæ hucusq. Arist. & alios Philosophos latuerit: erit ergo qualitas verum genus ad has formas, ac per cõsequens hæc diuisio qualitatis in ipsas erit generis in species. Legendi sunt Villalpandus in hac catego. & Fonseca 5. metaphy. cap. 14. q. 1. sect. 2.

1. Arg.

2. Arg.

3. Arg.

Tertia conclusio. Hæ species qualitatis non sunt species infimæ, sed intermediæ. Confirmatur. In prima specie qualitatis continentur artes & scientiæ, virtutes & vitia, at omnia hæc specie differunt: in secunda præterea continentur naturales facultates, inter quas multæ differunt specie, sicut intellectus specie differt à voluntate: in tertia etiam sunt contentæ patibiles qualitates, calor v. g. & frigus, quæ specie differunt: in quarta denique sedem obtinent, triangulum, quadrangulum ac aliæ figuræ, quas certum est specie diuersas esse inter se: iam ergo hi quatuor propositę species, non erunt infimę sed intermediæ.

3. Conc.

Quarta conclusio. Optime ordine fuerunt hæ species ab Arist. numeratę. Paulus Venetus putat Arist.

4. Conclusio.

in his speciebus tradendis, non obseruasse ordinem naturæ: sed vel ordinem nostræ cognitionis, illa prius proponens quæ sunt nobis notiora, habitum scilicet, qui est nobis notior quam potentia naturalis, vel ordinem dignitatis & excellētiæ, quia idem habitus nobilior multo, & excellentior est potētia, & impotentia naturali, nam est veluti quædā forma, & actus, potentiæ tanquā subiecto inhærens. Contra tamen arbitramur naturæ ordine habitum priorē esse potentia naturali, & hanc patibili qualitate, & patibilem qualitatem forma, vel figura. Quod in hunc modum ostendimus quia habitus est dispositio quędam subiecti in ordine ad naturam, vt pulchritudo, & sanitas, potentia vero naturalis est dispositio subiecti in ordine ad aliquid agendum: at prius natura est subiectum esse dispositum in ordine ad naturam, quam in ordine ad actionem: quare habitus prior natura erit potentia naturali. Deinde potentiam naturalem esse priorem patibili qualitate, ostendere possumus ex ottu vtriusque, quia potentia naturalis ortum habet cum subiecto: at patibilis qualitas orto iam illo, ex alteratione quadam sæpe oritur in ipso. Secundo quia principiū agēdi prius est actione vel passione, quæ ab illo promanat: at potentia est principium agendi, patibilis autem qualitas est semper cum aliqua passione coniuncta: quare illa erit posterior naturali potentia. Tandem formam vel figuram vltimum sibi locum vendicare ex eo colligi poterit, quia reliquæ species vel ad naturam, vel ad id quod ipsam consequitur spectant: at forma itidem & figura soli quantitati quæ extrinseca est à ratione subiecti potest in esse. Aliam rationem tradit Ammonius quam poterit qui voluerit apud eū consulere.

Nostra huic cōtra.

Confir. 1 pars.

Secunda

Vltima.

Occurramus iam argu. quæ in initio proposuimus. Ad primū respon. cum Ammonio Arist. non protulisse illa verba, quasi vellet docere plures esse species qualitatis, his quas proposuerat, sed vt excitaret torpētia Philosophorum ingenia, ad inuestigandum sintne aliæ præterhas quatuor recensitas. Ad secundum respon. Arist. has species prætermisisse in Metaph. quia in eodem 5. li. iam paulò antea egerat tam de potentia actiua, quæ est naturalis quædam vis, quam de passiua, quæ sub imbecillitat naturali continetur. Ad tertium dicimus pulchritudinem diuerso modo consideratam contineri sub prima & quarta specie qualitatis, etenim vt denotat dispositionē subiecti in ordine ad naturam, sub prima specie continetur: vt tamen significat decentem aptitudinem & compositionem membrorum, cum venustate aliqua, sub quarta specie comprehendetur, neque enim est absurdum eandem rem diuerso modo sumptam, sub diuersis, speciebus eiusdem categoriæ contineri. Ad confirmationem eodem modo respon. figuram his variis modis vsurpatā, posse sub diuersis speciebus eiusdē categoriæ collocari. Ad quartum eodem modo satisfacimus, calorem, frigiditatem, & alias patibiles qualitates, vt afficiunt subiectum contineri sub patibili qualitate: vt autem sunt principia calefaciendi, vel frigefaciendi, sub naturali potentia cōprehendi. Verum de hoc argumento in disputatione, quam de tertia specie qualitatis proponemus, erit iterum diffusior oratio repetenda.

Ad 1. ad argum.

Ad 2.

Ad 3.

Ad 4.

QVAESTIO III. AN HABITUS & affectio sint species qualitatis.

Arguamus iam de singulis speciebus qualitatis ab habitu, & dispositione auspicantes. Imprimisq. inuestigandum sese offert, sintne habitus & affectio species qualitatis necne: nam non esse illius, sed relationis species, hęc argumenta demōstrant. Primum. Illud à quo non potest remoueri esse ad aliud, secundū essentiam est relatum: atqui nō potest (à scientia nimirū) remoueri esse ad aliud, scilicet ad scibile, ergo habitus secundum essentiam continebitur sub relatione. Deinde. Arist. in hac categoria constituit scientiā in communi contineri in categoria relationis, igitur & habitus erit etiā in illa contentus. Iterum. Aristo. 7. Physic. cap. 3. ita argumentatur. Ad relationem nō est per se motus, sed habitus & affectio sunt relationes, ergo ad habitum & affectionem, nō erit per se motus: iam igitur habitus iuxta Aristo sententiam continebitur in categor. relationis. Demum. Arist. in catego. Relatorum post traditam primam diffinitionem proponit exemplum de habitu & dispositione, hæc enim id quod sunt aliorum esse dicuntur: igitur habitus & affectio non qualitatis, sed relationis species erunt constituendæ.

1. Arg.

2. Arg.

3. Arg.

4. Arg.

Heruęus acerrimi vir ingenij Quod libe. 3. q. 7. refert quosdam in ea opinione extitisse, vt arbitrarentur habitum secundum essentiam esse relationem. Niger vero 2 p. clypei quæs. 44. inquit Scotum in 1. dist. 17 hanc sententiam amplexum fuisse. Contrariam tamen sententiam hi grauissimi viri tuentur, imo omnes quot quot sunt Græci, Arabes, & Latini, cuius explicationem à diffinitionibus habitus auspicandam censuimus. Habitus ergo diffinitur imprimis iuxta Aristo. 7. physico. cap. 3. *Dispositio perfecti ad optimum*. Id est perfecti subiecti ad optimam eius operationem. Complectitur autem hæc diffinitio solos virtutum habitus: si tamen illi addatur, hæc particula vel ad vitiosam operationem, complectetur, & habitus vitiorum.

1. Diffi.

Diffinitur deinde iuxta ea, quæ traduntur ab eodem Arist. 5. metaph. cap. 20. *Affectio rei secūdum naturam, vel ad aliud*. Id est ad operationem. Huiusmodi autem diffinitio comprehendit, suo ambitu duo habituū genera, & eos nimirum qui disponūt rem secundum naturam ad id, vt recte illa vel vitiose, sese habeat: & eos etiā qui sunt principia aliquarum actionum, cuiusmodi sunt artes, & scientiæ. Tertia diffinitio habitus petitur ex lib. 2. Ethico. cap. 5. & 6. *Habitus est quo bene, vel male operamur*. Quæ quidem diffinitio solos habitus operatiuos, siue rectos siue vitiosos, sub se continet. Quarta diffinitio traditur à D. Augustin. in lib. de bono coniugali cap. 21. & ab Aristo. 3. de anima. *Habitus est quo quis vtitur cum voluitur*. Quę certe diffinitio nihil amplius continet præter quam habitus operatiuos, his enim vtimur quando nobis libet, ne quaquam vero habitus destinatos ad essendū, cuiusmodi sunt pulchritudo, & optima valetudo, hi nāque habitus non ordinantur ad operandum nec nobis sunt vsui pro libito.

2. Diffi.

3. Diffi.

4 Diffi.

5. Diffi.

Addit etiam Gabriel suam diffinitio. lib. 3. senten. dist. 33. q. 1. ea vero est. *Habitus est qualitas genita ex pluribus actionibus inclinans ad easdem actiones exercendas*. Quæ profecto omnibus habitibus haudquaquam adaptatur. Imprimisque habitibus qui ad essendum tantum destinantur minime competit, nam id genus habitus, sunt v.g. pulchritudo, & valetudo, quæ tamen vtraque ad aliquid operandum non inclinant. Neque habitibus præterea operatiuis naturalibus attribui potest, cuiusmodi

Universidad de Deusto
Biblioteca

modi est habitus primorum principiorum, nam hic habitus nequaquã variis actionibus solet comparari. Possumus tamen magis accommodare ad institutum Aristo. illum sic definire. *Habitus est qualitas diuturna, & ex sua natura difficile mobilis à subiecto, ad naturam, vel ad operationem aliquam destinata.* In qua diffinitione. *Qualitas.* Quæ est verum illius genus habet locum generis. Secunda. *Diuturna, & difficile mobilis à subiecto* proponit nobis discrimen inter habitum, & affectionem intercedens, nam affectio qualitas est facile labilis, & inconstans in subiecto, at habitus diu inhæret, difficileque ab eo diuelli potest. Tertia particula. *Ex sua natura* indicat non omnem qualitatem difficile mobilem esse habitum, sed illam quæ ex se, suapteque natura, habet principia, quorũ opedu subiecto inhærere queat, nam sunt nonnullæ qualitates quę ex aliquo accidente sunt diuturnæ, vt morbus inueteratus, quę non sunt habitus, sed dispositiones. Vltima particula proponit nobis duas species in quas habitus est distributus. Ex habitibus siquidem, quidã sunt destinati ad naturam, & non ad operandum, vt sanitas, pulchritudo, optimaque corporis cõstitutio: alij vero ad aliquid agendum, tanquam in finem referuntur vt scientiæ, virtutes & tandem artes omnes.

Optima diffini.

6. Alia Diffini. multo accuratior

Sit iam his animaduersis conclusio. Habitus & affectio, non sunt secundum essentiam relationes, sed qualitates in hac catego. contentę. Hęc est aduersus Scotum (si tamen ille in proposita extitit opinione, ego enim, vt ingenue fatear, nunquam eam apud ipsum legi, solumque illi à Petro Nigro tributam vidi in loco citato) cuius exposita opinio siue illius, sive alterius extiterit, vetus saltim est cum ab Herueo explodatur in quodlibeto citato, ex quo arg. quę sequuntur hausimus. Primum est. Arist. in hac catego. constituit habitum & affectionem esse primam speciem qualitatis: signum igitur est vtrumq. illorum esse qualitatem. Deinde. Quando ex variis actionibus sępe repetitis generamus in nobis habitum temperantiæ, huiusmodi actiones feruntur in habitum veluti in terminum: igitur vel feruntur in rem aliquam absolutã, vel in rem aliquam relatam: at non est dicendum ferri in rem relatam: iam ergo feretur in rem absolutam, & ita habitus res absoluta erit. Confir. assump. Ad relationem neq. est motus, neque actio: ergo hę actiones viuendi temperate non terminabuntur ad aliquod relatum. Consequentia satis videtur manifesta antecedens autem est Arist. 5. physico. cap. 2. Præterea. Nulla relatio est principium operationis, vt omnes philosophi vno ore profitentur: at plęri que habitus sunt operatiui, sicut virtutes, & vitia: habitus igitur nõ erit relatio. Tandem. Relatio ex sua natura non exprimit perfectionem aliquam, vel bonitatẽ, quia non significat aliquid vt inhærens subiecto, quod solum censetur perfectio: at multi habitus existunt perfectiones potentiarum, vt pote quibus illæ maxime illustrantur, sicuti scientię sunt perfectiones intellectus, & virtutes morales voluntatis: nõ igitur habitus erit relatio nec sub illa continebitur.

1. Conc.

1. Arg.

2. Arg.

3. argu.

4. Arg.

Ad argumenta igitur. Ad primum distinguimus propositionem, duobus namque modis contingit non posse à re aliqua separari esse ad aliud, primo modo fundamentaliter, secundo vero modo formaliter: si igitur propositio intelligatur fundamentaliter, illam negamus, etenim nequit remoueri ab albedine esse illam relatam fundamentaliter, cum tamen sit illa quidpiam absolutum, & non relatum, & in qualitatis, non vero relationis catego. contenta: quod si eadem propositio intelligatur formaliter, eam admittimus: at scientia non est ad aliud formaliter, sed fundamentaliter dumtaxât, secundũ essentiam enim qualitas est mentis, cui deinde aduenit esse relatam formaliter ad scibile.

Ad 1. argumen.

Ad 2. Ad secundum respond. scientiam penes significationem suam per accidens, ac minus præcipuam, contineri in catego. relationis, quo ad significatum tamen eiusdem magis præcipuum, & ipsi essentialem in categoria qualitatis habere locum.

Ad 3. Ad tertium dicimus aliquando ita euenire, vt nomina aliquarum rerum tribuantur etiam similitudinibus earum, sicuti animal depictũ propter similitudinem quam habet cum animali viuo, appellatur interdum animal. Cùm igitur habitus obtineat similitudinem aliquam cũ relationibus: nam quemadmodum motus non terminatur primo & per se ad relationem, sed ad illius fundamentum, ita neq. terminatur ad habitũ, sed ad alias qualitates, quæ sunt veluti fundamenta habituum, vt motus v.g. ad valetudinem, non terminatur primo & perse ad ipsam, sed ad calorem, & alias primas qualitates, ex quarum debita proportione sanitas ortum habet, vt testatur D. Tho. 12. q. 52. ad 3. propter hanc similitudinem habitus ab Arist. relatio nuncupatur.

Ad vlt. Ad vltimum, iam cum Ammonio in superiori categoria satisfecimus Arist. non ex propria opinione, sed ad euertendam diffinitionem primam à Veteribus traditam, hoc exẽplo vsum fuisse, nam cum habitus id quod est alterius esse dicatur, si hæc diffinitio optima esset, fieret hauddubie habitum esse relationẽ, quod cum sit falsum, non erit prior illa diffinitio à Veteribus tradita recte, & accurate proposita.

QVAESTIO IIII. AN HABITUS & affectio specie differant, necne?

SEquitur difficilis quæstio, num habitus & affectio specie differãt necne? Et quidem illa non esse specie diuersa, hæc confirmant argumenta. Primum est. Arist. in hac categoria inquit primam speciem qualitatis constituere habitum & affectionem, ergo iudicio Arist. habitus & affectio non different specie. 1. Arg.

2. Arg. Secundum. Aristo. in hoc cap. ait omnem habitum esse affectionem: igitur habitus & affectio non erũt species diuersę.

3. Arg. Tertium. Affectio transit in naturam habitus, vt morbus inueteratus fit habitus, quemadmodum docet Aristo. in categoria, ergo cum vna species non possit transire in naturam alterius, habitus & affectio erunt vnum, & idem specie.

4. Arg. Iterum. Quæ differunt differentiis accidentariis non differunt specie: at habitus & affectio sunt huiusmodi, nam facile & difficile mobile, per quæ distinguuntur, sunt quædam accidentia ipsorum, ergo habitus & affectio non different specie.

5. Arg. Rursus quæ distinguuntur tanquã perfectum & imperfectum non distinguuntur specie: at habitus & affectio sunt huiusmodi, affectio enim est qualitas imperfecta, habitus vero qualitas perfecta, ergo habitus & affectio non distinguentur specie.

6. Arg. Ad hæc. Scientia in tyrone est affectio & in artifice consumato est habitus, vt de diale. fieri põt manifestũ: sed dialectica sicut & quælibet alia scientia in tyrone & in homine consumato

Universidad de Buenos Aires
Biblioteca

to est eiusdem speciei: iam igitur habitus & affectio erunt eiusdem speciei. Præterea. Nigredo corui differt
7. Arg. à nigredine parietis per facile & difficile moueri ex sua natura à subiecto, in coruo nãque est difficile mobilis, in pariete vero facile ab ea separabilis: at nigredo parietis & corui non distinguuntur specie, igitur nec habitus & affectio different inter se specie. Tandem. Quando ali-
8. Arg. quod attributum competit alicui secundum naturam contrarium illius eidem nulla ratione potest conuenire, quemadmodum quia particeps rationis competit homini ex sua natura, nequit vllo modo eidem conuenire expers rationis, quod est participis rationis contrarium: at interdum experimur habitus remoueri à subiecto, ergo non conueniet illis ex sua natura difficile à subiecto separari.

In hac quæstione explicanda est
1. Opin. prima opinio Græcorum Porphyrij, Simplicij, Ammonij, & quorundam Latinorum, vt D. Seuerini Boet. & D. Alber. Magn. in comment. huius catego. constituentium habitum & affectionem esse eiusdem speciei atomæ, & indiuiduæ, solumque differre inter se tanquam perfectum, & imperfectum intra eandẽ speciẽ. Quẽmadmodum enim vir, & puer differunt in eadem specie humana, quia puer est homo imperfectus, vir autem perfectus & cõsumatus: ita quoque affectio est qualitas quædã imperfecta, habitus vero perfecta intra eandem speciem.

2. opin. Secũda opinio est D. Th. 12. q. 49. ar. 2. ad 3. Caieta. M. Soto, Francisci à Toleto, M. Iustiniani in suis institutionibus cap. de qualitate, asserentium habitum & affectionem esse qualitates specie atoma diuersas, cõtentas proxime sub aliquo genere qualitatis intermedio. Hanc autem opinionem etiam & nos libenter amplectimur.

Animaduertimus igitur in illius explicationem, quædam esse facile
1. Obser uatio. vel difficile mobilia à subiecto ex sua natura, alia vero ex accidente, vel ex conditione subiecti in quo huiusmodi qualitates reperiuntur. Opinio v. g. ex sua natura, & ex propriis principiis, facile mobilis est à subiecto, cum progrediatur per argumen. probabilia, quæ non coniuncunt intellectũ ad sui assensum, obindeq. facile eã remoueri contingit à subiecto: euenit nihilominus interdum ex conditione subiecti & per accidens, vt hęc eadem non sine maxima difficultate á subiecto diuellatur, vt vsu, & experimento comprobatur in hominibus proteruis, nimisque suæ sententiæ, ac iudicio addictis à quibus valde mirum est si quando opinio semel concepta, etiam vel maxima argum. vi & efficacia deponatur. E contra tamẽ sese offert de scientia iudicandum, quæ quidem ex se, & suapte natura & ex propriis principiis, difficile remoueri potest à subiecto, vt potecũ progrediatur ex principiis certis, ac euidentibus, quæ intellectum cogunt ad cõclusionum assensum. Nihil tamen prohibet euenire aliquando per accidens, ac ex ratione subiecti, siue ob vim alicui⁹ maximi morbi, siue ob nimiam obliuionem, vt ipsamet scientia facillime à subiecto separetur. Inter habitum igitur & affectionem hoc discrimen intercedit, quia habitus est qualitas quæ ex sua natura, & ex propriis principiis difficile remoueri aptã est à subiecto, quamuis alioqui, per accidens nimirum, vel ex conditione subiecti facile illã contingat remoueri: secus vero est de affectio., quæ quidẽ est qualitas, ex sua natura propriisque ac innatis principiis facile à subiecto

Discri men inter habi tum & affectio.

iecto separabilis licet alioqui ex accidenti, nẽpe ex nimia tenacitate subiecti in quo illa reperitur, eandem difficile separabilem reddi contingat.

2. obser. Animaduert. est deinde dari habitum qui est secundum rem, ac essentiam, & secũdũ modum habitus, & habitũ qui certe solũ secundũ modum habitus est, nullatenus vero secundum rem. Habitus primi generis dicitur qualitas illa quæ suapte natura est difficile separabilis à subiecto, ac in eodem diuturna, cuiusmodi est scientia in homine qui ipsi diutius addictus extitit, illa quippe quia scientia est difficile mobilis est ab ipso subiecto, & quia diuturnitate tẽporis ab eo acquisita est diu in eo perseuerat. Secundi autẽ generis habitus existimatur qualitas illa, quæ diuturna est in subiecto, nec ab eo sine difficultate remouetur, id tamen nõ ex sua natura, sed ex aliquo dumtaxat prouenit accidente, siue ex conditione subiecti in quo illa reperitur. Id genus habitus censetur morbus in homine valetudinario, nec enim morbus hic nomen habitus aliter quam secundum modum promeretur, si enim diu perseuerat in illo, & non sine maxima difficultate ab eo remouetur, id non ex natura ipsius morbi prouenit, qui quidem natus est statim à subiecto euanescere, sed ex accidenti, nimirum ex principiis indiuiduantibus, vel ex natura vitiata huiusmodi hominis.

Conuenien. inter habi. & affec. Pari etiam ratione licet de affectione philosophari, quædam enim affectio & secundum rem & secundum modum est affectio, alia vero secundum modum tantum affectio iudicatur, & non secundum rem. Morbus exempli causa, qui statim expellitur à subiecto, est affectio secundũ essentiam, & modum, at scientia in tyrone est affectio secundum modũ tantum eo quod statim euanescat non ex sua natura, sed ex conditione illius quia est parum exercitatus in ipsa. Habitus itaque secundũ essentiam, & modum, & affectio secũdum essentiam & modũ specie differunt: habitus autem secundum modum tantum, & affectio etiam solũ secundum modum, non distinguntur specie. cum idem esse possit habitus secundum essentiam, & affectio secundum modum, vt scientia tyronis, & è contra idem etiam affectio secundum essentiam, & habitus secũdum modum existat, qualis est morbus inueteratus. Hæc proculdubio est opinio D. Tho. & quidem verisima, quæ his argu. suadetur. Primum. Quæ differunt per facile, & 1. Arg. difficile ex sua natura, differũt specie: atqui habitus & affectio differũt per facile & difficile mobile ex sua natura à subiecto: ergo habitus & affectio specie distinguentur. Confirmatur assumptio. Idem secundũ naturam nulla ratione potest esse facile, & non facile mobile, quia sunt termini contradicentes: igitur quæ differunt penes hoc quod est facile & difficile moueri à subiecto, specie distinguentur. Secundum. Fa- 2. Arg. cile & difficile mobile oriuntur ex diuersis principiis essentialibus: sed quæ oriuntur ex diuersis principiis essentialibus, specie differunt: ergo facile & difficile mobile specie ab inuicem distinguentur. Tertium. Si ha- 3. Arg. bitus & affectio tantum differrent sicuti perfectum, & imperfectum, sequeretur scientiam imperfectã, quæ est in tyrone, esse affectionem & consumatam esse habitum, quemadmodum etiam aduersarij profitentur: atqui hoc contrariatur Arist. in principio huius categorię constituenti scientiam etiam mediocrem, & non consumatam, esse habitum: iam igitur spe

tur specie different & non sicut perfectũ, & imperfectum. Quartũ. Vel esse facile aut difficile mobile sunt
4. Arg. accid. cõia, habitus, & affectionis, vel proprietates, vel deniq. differẽtiæ essentiales: at non sunt accidentia communia, quia sine accidentibus communibus res intelligi potest, nequit vero habitus vllo modo intelligi, nisi intelligatur simul esse qualitas difficile mobilis, nec affectio etiã nisi cognoscatur esse qualitas facile mobilis: erunt ergo vel proprietates, vel differentiæ essentiales. Quodcunq. autem ex his duobus concedatur, sequitur habitum & affectionem specie differe. Confirmatur. Imprimis si sunt differentiæ essentiales, cum ea quæ differũt differentiis essentialibus specie differant, habitus & affectio specie different. Deinde si fuerint proprietates: cum proprietates contrariæ differant specie, & naturæ etiam ex quibus illæ oriuntur different specie, & ita cum esse difficile mobile oriatur ab habitu, & esse facile mobile proficiscatur ab affectione, habitus profecto & affectio specie etiam inter se distinguentur.

Ad 1. arg. Iam Ad argu. Ad primum respon. Aristo. intelligendum esse de specie
argum. subalterna, non de infima, nam habitus & affectio constituunt vnam speciem subalternam, & innominatam contentam immediate sub qualitate, quamuis inter se specie differant. Ad 2. Ad secundum dicimus Aristo. non sumpsisse hoc loco affectionem proprie, vt significat qualitatem facile mobilem, sed communi quadã ratione vt significat naturam accidentis. Ad 3. Ad tertium negamus antecedens si loquamur de habitu secundum rem, & modum, nam Arist. intelligendus est de habitu secundum modum tantum, hic autem non distinguitur ab affectione, sed est eiusdem speciei cum illa vt diximus. Ad 4. Ad quartum negamus assumptionem quamuis enim facile, & difficile mobile in communi, censeantur differentiæ accidentariæ, nihilominus tamen facile & difficile mobile ex sua natura, differentiæ sunt essentiales, sicque habitus, & affectio inter se separantur ac secernuntur. Ad 5. Ad quintum concedimus propositionẽ de his quæ continentur intra eandẽ speciem, puer enim, & vir, qui sub humana specie continentur non distinguntur specie, licet secundum esse perfectum & imperfectũ distinguantur: at eandem negamus de his quę sub diuersis spe. sunt contenta, nam in omni genere vna species est perfecta, & altera imperfecta: sicut in animali homo est perfectum animal, formica vero imperfectum, quę tamen specie differunt, habitus itaque & affectio licet differant penes perfectum & imperfectum, hoc tamen non est in eadem specie, sed in eodem tantum genere. Ad sextum negamus propositionem, scientia nãq. in tyrone est verus habit⁹. Ad 6. Quod si dicas Aristo. docere in hac catego. scientiam mediocrem qualis est ea quę reperitur in tyrone esse affectionem, respondeo esse illum intelligẽdum de affectione secũdum modũ, hæc autem non distinguitur specie ab habitu. Itaque scientia tyronis secundum rem & secundum essentiam habitus est, secundum modũ autem affectio. Ad septimum negamus assumptionem, nigredo enim corui, & nigredo parietis specie dis- Ad 7.
tinguũtur, id vero facile fiet intellectu si animaduerterimus has nigredines sumi posse vel vt ad facultatem videndi referuntur, quam quidem afficiunt, vel vt à suis principiis oriuntur. Dubium enim nemini esse debet, quod quamuis hæ vtræque nigredines primo modo nõ

differant specie, quia pari ratione ambæ congregant visum, secundo tamen modo specie distinguuntur, ab aliis namque principiis siue essentialibus & specificis siue indiuiduantibus ortum habet nigredo in coruo, ab aliis verò eadem nigredo in pariete. Quemadmodum facultas videndi in homine, & in equo, vt referuntur ad colorem, tãquam ad obiectum formale, nequaquam specie distinguntur, vt autem à diuersis principiis essentialibus & specificis fluunt diuersarum sunt specierum.

Ad 8. Ad octauum respon. imprimis negãdo propositionem, aquæ enim ex sua natura competit esse frigidam, graui etiam ex se cõpetit ferri deorsum, cum tamen & aquæ nonnunquam competat calefieri, & graui in sublime ascendere. Respon. deinde contrarium attributum ei quod est difficile remoueri à subiecto ex propria vi, & natura, non esse hoc quod est remoueri absolute à subiecto, sed facile remoueri ab eo, & hoc ex meritis propriæ naturæ ac essentiæ qualitatis mobilis: hoc autẽ habitui conuenire nullo modo potest, quãtumuis enim habitus euanescat interdũ ab ipso subiecto, nequaquam tamẽ ex se, & suapte natura ab eo euanescit, sed hoc fit ex accidenti, nimirum vel propter vehementem vim alicu-
Obserս. ius morbi, vel propter diuturnam obliuionem. Animaduersione tamẽ dignum est, habitum, & affectionẽ, & species esse, & non infimas sed interiectas species, vt iã supra aliquatenus innuere visi sumus. Quod si aliquando vocatæ sunt à nobis species atomæ, hoc solum dictum est à nobis ex eo, quia aduersus eos qui habitum & affectum vnius & eiusdem speciei asserunt esse, plusquã satis nobis est demõstrasse esse diuersę speciei, nec opus habuimus etiam præter hoc confirmare esse eiusdem speciei interiectæ, & non atomæ & indiuiduę.

QVAESTIO V. ANSE-cunda species qualitatis à prima distinguantur. necne?

RAtiones, quibus ad hoc inquirẽdum cõmouemur sicse habẽt. 1. Ratio.
Prima est. Potentia absque habitu potest operationes suas exercere: nõ igitur ad eas ẽdendas aliquo habitu ægebit & ita non est quod præter potentiam habitus constitui debeat.
Secunda. Optima valetudo, & morbus sunt contenta sub prima specie 2.
qualitatis, quemadmo. docet Arist. in hac catego. at optima valetudo nullius operationis proximum extat principium, sed remotum dumtaxat, illa enim primo & per se potẽtiam tantummodo disponit, hęc vero ipsa per se si recte affecta sit est principium operationis: minus ergo accommodate dicemus habitũ esse principium proximũ operationis, potentiam autem remotum. Tertia. Intellectus est habitus, est namque 3.
qualitas difficile ab anima intelligẽte mobilis, eandemque ad operationes suas ædendas præcipueque ad intelligendum præparans, ac disponens: at idem contentus est in secunda specie qualitatis, cum sit naturalis potentia: nõ igitur prima species qualitatis à secunda distincta est, atque diuersa. Præter. Quod est prius priori loco est pertractandum: at naturalis potentia est prior habitu, cũplerique habitus in ea tanquam in subiecto reperiantur: debuit igitur Arist. non habitum, sed potentiam naturalem primam qualitatis speciẽ constituere, eiusque disputationem tractationi de habitu præponere. Tãdem. Secunda species qualitatis, ea 5.
constituitur qualitas quæ principiũ

est operationis: at habitus (vt inferius demonstrabimus) principium etiam est operandi: prima ergo & secunda species qualitatis nullo modo erunt censendæ distinctæ.

1. Opi. Hanc quæst. diuersi variis modis explicatam reliquerũt. Quidã affirmarunt secundũ speciem qualitatis esse principium operandi a natura inditum, primam vero esse etiam principium operandi, acquisitũ tamen: vnde penes hoc duæ hæ species ab inuicem distinguentur, quia vnius esse est naturale, alterius vero est principiũ acquisitum. Hęc nihilominus opinio ita reiicienda esse nobis videtur. Habitus primorum principiorum est verus habitus, vt Arist. 6. Ethic. cap. 3. est testatus: sed huiusmodi habitus non est principium actionib⁹ nostris comparatũ, quin potius à natura hominum intellectibus insitũ, ergo iam habitus non erit principium operandi labo ribus ac studio assiduo comparatũ.

2. opini. Alij è quorum numero est M. Sotus quæst. vnica huius categoriæ cõstituunt huiusmodi discrimen inter primam & secundam speciem qualitatis, quia secunda est principium operandi absolute abstrahendo à recta, vel vitiosa operatione: at vero habitus est principium operationis non secundum substantiam, sed secundum modum, vt scilicet recte illa vel vitiose fiat, quemadmodum innuere videtur Arist. 2. Ethic. cap. 5. & 6. ita dicens. *Per potentiam naturalem aliquid agere possumus, per habitũ vero recte vel vitiose agere.* Sed neque Reiicit. hæc opinio nobis placet. Imprimis primo. quia habitus supernaturales, vt fidei, spei, & charitatis, non sunt tributi ad recte operandum, sed ad simpliciter operandum, quemadmodũ fides non est tributa ad melius credendum, sed ad simpliciter credendũ. Deinde species intellectiles iuxta opinionem fere omnium Philosophorum, præsertimque D. Tho. & Thomistarum sunt veri habitus intellectus, quæ tamen non sunt concesse ad rectius, sed ad simpliciter intelligendum. Præterea. Habitus primorum principiorum est verus habitus, qui tamẽ non est tributus ad rectius intelligendum prima principia, sed ad eadem simpliciter & absolute intelligenda. Iam igitur constare poterit ex his, non differre habitum, qui est prima species à naturali vi, quæ constituitur secũda species, quia secunda species est principium simpliciter operandi, habitus vero est principium recte, vel vitiose operandi. Secũdo. Tertia.

His igitur aliisque huiusmodi opinionibus prætermissis, hoc discrimen offert se nobis inter primam & secundam speciem qualitatis assignandum, quia nimirum secunda species, quę est naturalis vis est principium primum & remotum operãdi, at habitus est principium proximum, & immediatum operationis. Vt ad erigendam v. g. domum deseruit tanquam principium primum intellectus artificis: tanquam proximum autem, & immediatum, ars illius intellectui inhærens, nam posita arte potest artifex proxime & immediate operari. Itaque habitus & potentia naturalis hoc tantum distinguentur, quia ille est principiũ proximum, hæc vero remotum operationis principium. Discrimen iuxta 1. opi. Obser.

Intelligi vero hoc debet de habitibus qui sunt facultates & potẽtię quædam operandi, quales sunt hi qui inhærent immediate facultatibus naturalibus, vt scientia, & virtutes, non autem de his qui nõ sunt potentiæ, & facultates operandi, sed qualitates disponentes rem in ordine ad naturam, vt sunt morbus, & valetudo. Sed quia non remanet hinc

hinc discussum satis an habitus sit principium attingens proxime operationem necne, hanc vnicam subijciendam esse putauimus conclusionem.

Vnica conclu. Habitus sunt principia operationis attingentia ipsam, vel opus confectum per eam. Hãc statuimus præcipue contra Scotum 1. lib. sentent. dist. 17. q. 2. & Durandum in 3. distin. 29. q. 1. aliosque nonnullos constituentes habitus tantummodo esse collocandos in potentiis, ad amouẽdas difficultates, easdemque reddẽdas aptas, & accommodatas ad operandum, non autem in eisdem debere constitui ad aliquid agendum, habitus enim, inquiunt ipsi, nihil operantur. Nihilominus conclusionem propositã fere omnes Theologi profitentur cum D. Tho. 12. q. 49. arti. 3. quam quidem & nos his argumentis nitimur suadere. Primum. Prudentia, & ars secundum Arist. 6. Ethic. cap 3. sunt habitus intellectus: atqui habitus hi operantur aliquid, vt ex eorum diffinitionibus aperte poterit constare, prudentia enim diffinitur recta ratio agibilium, ars vero recta ratio factibilium: habitus ergo aliquam operationem edunt. De inde. Potentia est principium operationis, auctore Arist. 9. Metaph. cap. 1. at eodem teste in cap. 2. eiusdem libri, artes, & scientiæ, vt medicina (quæ sunt quidam habitus intellectus) sunt quædam potentiæ actiuę rationales, ergo habitus erunt principia operationis. Præterea. Arist. 5. lib. metaphy. cap. 2. & 2. Phys. cap. 3. ait Policletum esse causam statuæ per accidens, statuarium vero esse causam per se eiusdem, assignatq. rationem, quia Policletus non exprimit artem statuarij, statuarius vero illam exprimit ac declarat: ergo ars quæ est habitus erit verum principium operandi. Tãdem. Experimur

1. Arg.

2. Arg.

3. Arg.

4. Arg.

homines sine artibus, & habitibus ineptos esse omnino ad exequenda opera alicuius artis, è contra vero intuemur eosdem cum primum aliquam consequuntur artem, aptos, ac idoneos reperiri ad illius opera conficienda: non tantum igitur reddent habitus potentiam aliquã ad operandum idoneam, ac dispositam, verum etiam, & ipsi erunt principia elicitiua operationum.

Iam rationibus in principio propositis est satisfaciendum. Ad primam aimus posse quidem naturalẽ vim, aliquas ædere actiones imperfecte absque habitu, nullas tamen perfecte ipso destitutam. Ad producendam itaque perfecte aliquam actionem, necessaria sunt duo principia, proximum vnum, alterum vero remotum, è quibus vtrisq. proximum, & immediatum, habitus ipse est, remotum, vero naturalis ipsa potentia. Ad secundum respon. habitus in duplici esse differentia, quidam enim sunt destinati ex sua natura ad aliquid operandum, sicut virtutes, & artes, cęteraq. id genus, alij sunt ad essendum tantum tributi, per se quidem, & primo, cuiusmodi sunt morbus, & optima valetudo, quamuis hi iidem possint secundario alicuius operationis principia existere. Inter quos vtrosque hoc interest quia habitus primi generis, absolute donantur nomine potentiæ, cum ex natura sua alicuius operationis existant principia: habitus vero secundi generis minime potentię nomine ornantur, cum ex se meritisq. propriæ naturæ, ad operandum minime destinentur, sed tãtum ad essendum. Cum igitur sint hæ duæ habituũ species, naturales potentię differunt penes hoc, quod est esse principium remotum, ac primum, & non proximum, ab habitibus qui sunt destinati ad operandum, quia hi so-

Ad 1. ratio. Ad 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hi soli sunt potētiæ, & nullo modo ab aliis qui ad operandum minime inclinant, qui potentiæ nomē haud certe promerentur, de quibus solis potest dumtaxat controuersia oriri: at morbus & optima valetudo habitus sunt primo, & per se non ad operandum, sed ad essendum destinati.

Ad 3. Ad tertiam negamus propositionē quia intellectus non est principium immediatum intelligendi, quin potius habitus scientiæ vel species intellectiles, quare non habitus, sed facultas & vis naturalis censendus

Ad. 4. erit. Ad quartam negamus assumptionem quamuis enim plerique habitus cuiusmodi existunt illi qui sunt in potentiis tanquam in subiecto, sint posteriores illis generatione, eisdem tamen priores existunt excellentia, & dignitate. Multique præterea dantur habitus etiam generatione priores qualibet potētia, cuiusmodi existimātur illi qui disponunt naturam in ordine ad essendum, quemadmodum enim natura prior est potentia ipsa, ita etiam & habitus disponentes naturā præcedere oportet potentias ipsas. Vnde Arist. iure optimo noluit naturalem vim constituere primam speciem qualitatis, sed potius habitum verum de hac re iam supra diximus.

Ad vlt. Ad aliud vero vlti. argumen. quo etiam nitebamur probare habitum à naturali potentia non distingui ex proposita assertione eiusque confirmationibus satis superque superest nostro iudicio satisfactum.

Dubiū. Quod si aliquis denuo roget nū naturalis vis, & imbecillitas specie distinguantur necne? Respondendū erit specie illas distingui, eo quod naturalis vis attinet ad potentiam actiuam, & imbecillitas ad passiuam at potentia actiua, & passiua specie differunt, non atoma sed intermedia.

QVAESTIO VI. AN PATIBILIS qualitas & perturbatio sint distinctæ species qualitatis.

PRimoque has non esse species distinctas ab habitu, & affectione, confirmatur quia calor, & frigus, quæ sunt qualitates sub habitu & affectione comprehensæ, ab Aristo. inter patibiles qualitates numerantur. Secundo. Patibili qualitati, & perturbationi (vel vt alij dicunt) passioni, conueniunt diffinitiones habitus, & affectionis: ergo non differunt ab habitu, & affectione. Consequentia nota est, quia cui competit diffinitio etiam & diffinitum debet conuenire: antecedens confirmatur. Patibilis qualitas est qualitas ex sua natura difficile mobilis à subiecto, perturbatio vero est qualitas facile mobilis, vt calor in igne difficile ab eo amouetur, in aqua vero facile labitur: sed hæ sūt diffinitiones habitus, & affectionis: ergo diffinitiones primæ speciei qualitatis, conuenient patibili qualitati & perturbationi. 1. Arg.

Deinde perturbationem seu passionem, non esse speciem qualitatis, confirmatur primo testimonio Aristo. qui sæpe repetit in hac catego. perturbationem non esse qualitatem, nam cum de rubore, & pallore ageret, qui ex verecundia vel metu contrahuntur, hæc verba subiungit. *Ita perturbationes sunt quidem hæ omnia, qualitates non sunt.* Et infra his verbis concludit hanc tertiam speciem qualitatis. *Perturbationes igitur hæ non qualitates vocantur.* Deinde à qualitate quales nominamur vt Arist. in primis verbis capitis proponit, sed à perturbatione non dicimur quales, vt à rubore ex verecundia in ore perfuso, ex eodem Aristo. 2. Arg. 2. Arg.

in hac

in hac catego. ergo perturbatio non erit species qualitatis.

Iam patibilem, qualitatem & per 2. Arg. turbationem specie distingui, aliis duobus argumētis ita ostendimus. Primum. Quia Arist. eodem modo loquitur in hac specie, sicuti in præcedētibus, illam in duo membra distribuendo: sed aliæ species diuidūtur, earum quælibet in duo membra specie atoma, & indiuidua distincta, nam habitus & affectio specie differunt, tum etiam naturalis potentia, & impotentia, vt in superioribus quæstionibus docuimus, ergo patibilis qualitas, & perturbatio specie quoque different.

2. Arg. Secundo. Habitus & affectio ex eo differunt specie, quia distinguūtur per facile, & difficile mobile ex sua natura, sed patibilis qualitas, & perturbatio distinguuntur quoque per facile, & difficile mobile ex sua natura, ergo hæ duæ etiam erunt species inter se omnino distinctæ.

In hac quæstione tria inuestigamus. Primum, an patibilis qualitas sit species qualitatis: secundum, an idem iudicium sit de perturbatione: & vltimum, an sint species inter se distinctæ, atque diuersæ. Verum vt hanc rem commode intelligere

Obser. possimus, obseruandum erit ex Cajetano duplicem esse qualitatem vnam secundum rem, & modum, & aliam secundum rem, non tamen secundum modum. Qualitas primi generis est illa quæ & in se est qualitas, & à qua subiectum quale nuncupatur. Qualitas vero alterius generis illa dicitur, quæ quamuis in se sit qualitas, subiectis tamen quæ afficit qualitatis nomen non cōicat. Eadem distinctione vsi fuimus agētes de habitu & affectione nimirum quendam esse habitum secundum rem, & modum, & alium secundum rem, non tamen secundum modū: idemque est de affectione. Hoc animaduerso quæstionem propositam his assertionibus diffinimus. Sit prima.

Paribilis qualitas vera est, & legi- 1. Conc. tima species qualitatis. Hanc cum Arist. in hoc cap. omnes quotquot sunt Philosophi profitentur, confirmarique illa potest, quia à qualitate quales nūcupamur: at à patibili qualitate etiam quales nominamur, nā à candore dicimur candidi, & à calore calidi, ergo erit patibilis qualitas vera ac legitima species qualitatis.

Secunda conclusio. Perturbatio 2. Conclusio. est etiā vera & legitima species qualitatis. Hanc aduersus Ammonium propter argumenta secundo loco effecta, cum Simplicio, Porphy. B. Albert. mag. D. Th. 12. quæst. 49. art. 2. Caieta. Soto, Villalpando, & deniq. cum communi Schola profitemur, confirmamusque ex Arist. qui tertiam speciem qualitatis constituit esse patibilem qualitatem, & perturbationem sic enim habet. *Tertiū quæ litatū genus conficiunt patibiles qualitates ac perturbationes.* Iam. A perturbatione quales dicimur, vt à pallore pallidi, & à rubore rubei, & tandem ab omni perturbatione perturbati nominamur, erit igitur perturbatio vera qualitas.

Tertia conclusio. Perturbatio nō 3. Conc. est qualitas secundum modum. Hāc profitetur acutissimus Caieta. quæ certe absque vllis ambagibus est aperta sententia Arist. etenim quamuis à perturbatione dicamur quales, non tamen simpliciter & absolute tales dicimur, sed secundū quid, vt inquit Aristot. quemadmodum quamuis à pallore ex metu aliquo in ore contracto pallidi dicamur, nō tamen simpliciter, & absolute, sed secundum quid: at qualitas secundum modum illa dicitur, quæ simpliciter & absolute denominat subiectum

iectum quale, ergo perturbatio non erit qualitas secundum modum.

4. Conclusio. Quarta conclusio. Patibilis qualitas, & perturbatio non differunt specie. Canterus contrariam sententiã amplexus propter argumentum vltimo loco effectum, aduersus quẽ hanc statuimus assertionem cum M. Soto, Caieta. Villalpando, & aliis.

1. Arg. Confirmatur vero primo. Color v. g. pallidus ex timore contractus, & qui in subiecto diu inhæret, vt est ille quem in nonnullis herbis conspicimus, tantum differunt sicuti perfectum & imperfectum intra eandẽ speciem: sed quæ hoc modo differunt sunt eiusdem speciei, vt vir, & puer, qui tantũ differunt iuxta perfectũ, & imperfectũ in specie humana, ergo patibilis qualitas & perturbatio erũt vnius, ac eiusdẽ speciei.

2. Arg. Secundo. Duæ differentiæ nulla ratione possunt diuidere naturas specie diuersas, sed facile & difficile mobile ex sua natura diuidũt habitũ, & affectionem, ergo non poterunt diuidere patibilem qualitatem, & perturbationem, quod si non diuidũt, per has igitur differentias non distinguẽtur specie patibilis qualitas, & perturbatio, vt aduersarij profitentur.

Ad 1. argum. Iam ad argumenta quæ in initio proposuimus. Ad primum dicimus vnam & eandem rem diuerso modo sumptam sub variis speciebus contineri: ac proinde calorem, & frigiditatem diuersa ratione, & sub habitu & affectione, & sub patibili qualitate contineri profitemur. Etenim vt est dispositio subiecti in ordine ad naturam, vel vt est consona, aut dissona naturæ, caliditas sub habitu & affectione continebitur: eadem tamen vt afficit sensum infra limites patibilis qualitatis comprehendetur. Solutio est ex D. Thom. 12. qu. citata collecta,

Ad secundum respond. negando minorem propositionem: nam habitus non est quælibet qualitas difficile mobilis à subiecto, & affectio facile mobilis, sed habitus est qualitas ex sua natura difficile mobilis, affectio vero ex sua natura facile mobilis: at patibilis qualitas nõ habet ex sua natura vt sit difficile mobilis, neque perturbatio ex sua natura obtinet, vt facile à subiecto remoueatur, sed ex aliquo accidẽte, vt ex natura conditioneque subiecti hoc sibi vendicant, quæ certe differentia cum sit accidentaria non constituet naturas specie diuersas. Ad 2.

Ad argum. quę secundo loco proposuimus. Ad primum dicimus Arist. non simpliciter, & absolute, sed collatione facta cum patibili qualitate, ab speciebus qualitatis reiecisse perturbationem: etenim si perturbatio cum patibili qualitate conferatur, vix, ac ne vix quidem, qualitatis nomine insigniri posse videtur. Ad 1. argumen.

Ad secundum aimus ex his quæ cum Caietano diximus, illud tantũ colligere qualitatem nõ esse perturbationem secundum modũ, ac proinde ab ea nos non posse quales nominari. Vel dicimus à perturbatione nos quidem dici quales, non tamen simpliciter, & absolute, sed secundum quid, nam à pallore ex metu contracto pallidi dicimur, non quidem simpliciter sed ex parte, & secundum quid: at Arist. quando inquit à perturbatione nos non dici quales, intelligi debet simpliciter, & absolute, & non secundum quid. Ad. 2.

Ad extremum ad argumenta vltimo loco proposita. Ad primum dicimus ex eo ipsum proposuisse hãc speciem duobus nominibus, ipsamque in duo mẽbra distribuisse, quia patibilis qualitas, & perturbatio modo essendi differunt, quamuis sint vna Ad 1. argum.

vna eademque natura. Quod autẽ alias species sub duobus membris proposuerit quę specie differant, causa est, quia differunt illa differentiis essentialibus: verum hæc duo hisce differentiis distingui nulla ratione possunt. Ad secundum respon. falsum esse patibilem qualitatem, & perturbationem distingui per facile, & difficile mobile ex sua natura, sed ex vi, & natura subiecti cui inhærent. Quæ certe differentia cum sit accidentaria, & non essentialis non poterit has duas qualitates, inter se natura & essentia separare. Ad 2.

QVAEST. VII. AN HAEC *tertia species qualitatis à prima distinguatur.*

EX his quæ hactenus enarrata fuerunt, constare equidem poterat patibilem qualitatem, & perturbationem natura, & specie ab habitu, & affectione maxime distingui. Verum quia in hac re vrget illud argu. caliditatem, & frigiditatem, quæ inter patibiles qualitates recensentur, sub habitu etiã contineri, quod certe præ se ferre videtur has duas species nulla ratione esse inter se distinctas, erit hæc disputatio repetenda quamuis breuiter, & succinte. In qua re aliorum refutatis opinionibus nostram sententiam proponemus. Est igitur prima opinio quorũ dam philosoph. vt testatur D. Tho. 12. q. 50. ar. 1. ad 3. qui putant tantũ distingui has species iuxta fieri, & factum esse, vna etenim ac eadem qualitas vt est in fieri patibilis qualitas, vel perturbatio nuncupatur, eadem tamen vt est in facto esse dicitur habitus, vel affectio. Sit exemplum in calore qui vt est in fieri dicitur patibilis qualitas, vt tamen est in facto esse habitus nuncupatur. Argu. 1. opin.

Cęterum hæc sententia constare nõ potest, quia calor in fieri nondum est calor, sed calefactio, vel est via quædam ad calorem: in facto vero esse dicitur calor: sed Arist. calorem inquit in hac specie contineri, & nõ calefactionem: ergo calor in hac specie continebitur, ac proinde nõ calefactio quæ est via ad calorem in illa erit comprehensa. Confut.

Secunda est Porphy. referente D. Th. ex Simplicio has qualitates esse eiusdem speciei distingui tamen iuxta esse perfectum, & imperfectũ quia patibilis qualitas & perturbatio sũt qualitates quædam imperfectæ, nõ enim possunt qualitates sibi similes generare: at habitus & affectio sunt qualitates perfectæ, & quæ possunt sibi similes qualitates producere. Verum hæc sentẽtia falsa est, quia differentiæ essentiales habitus & affectionis, quæ sunt facile, & difficile mobile ex sua natura, non possunt esse differentiæ essentiales patibilis qualitatis, & perturbationis, cum conueniant ipsis ex conditione, & proprietate subiecti, quare non erũt vnius atque eiusdem speciei, sed diuersarum. 2. Opi. Confut.

Iamblicus vt profitetur Simplicius, docet primam, & tertiam speciem eo distingui, quia prima tantũ significat qualitates acquisitas, nostrisque laboribus comparatas: at tertia species denotat qualitates, à natura concessas, & non eas quæ nostris actionibus acquiruntur. Verũ neque hæc opinio scopum attingit, quia in prima specie qualitatis continentur multi habitus à natura in fiti, vt habitus primorum principiorum tam contemplatiui, quam operatiui, qui tamen sunt nobis à natura concessi. Iam calor, & frigus, sub habitu & affectione comprehendun tur ab Aristo. quæ tamen non sunt nostris actionibus acquisita, sed à 3. Opin. Confut.

Universidad de Buenos Aires Biblioteca

natura concessa.

His igitur reiectis opinionibus verũ discrimẽ quod inter has duas species intercedit, proponitur à D. Th. Simpli. & aliis. Est autem illud q habitus disponit rem in habitudine ad essendum vel operandum, vt optima valetudo disponit subiectum, vt illud diu in rerum natura persistere possit. at vero patibilis qualitas & perturbatio sunt quædam subiecti dispositiones, sensum ipsum vel substantiam afficiẽtes: quare distinguentur hę species iuxta illud quod est disponere naturã ad essendum, & afficere sensum vel eundem lædere. Vnde calor vt disponit subiectũ ad naturam, erit habitus, vt autem afficit sensum tactus, patibilis qualitas nuncupabitur. Ex his facile dissolui potest ratio dubitandi, quam in initio proposuim⁹, dicimus enim calorem, & frigus, si diuersa ratione sumantur, nihil prohibere quo minus possint indiuersis speciebus cõtineri, vt ex iis quæ in quæstio. superiori diximus, vnusquisque colligere, poterit apertissime.

Opi. D. Tho.

Solutio rationis propo.

QVAESTIO VIII. AN FORma & figura specie differant.

ET quidem non distingui specie nullus, quantum puto diffitebitur. Qua tamen ratione inter se distinguantur dubium est, & quidem non leue apud interpretes. Ammonius docet figuram esse effigiem exteriorem quæ in rebus inanimatis cernitur, vt in lapidibus, & elementis: formam vero esse eandem effigiem in rebus animatis, vt in plantis pecoribus & hominibus. Iamblicus vt refert Simplicius putat nomine figuræ intelligendas esse figuras mathematicas vt triangulum, vel quadratum, formæ vero nomine easdem in rebus naturalibus, vel ab arte confectis, ea ratione qua qualitatibus sensilibus afficiuntur. Vnde tantum different forma & figura iuxta esse coniunctum, vel abstractum à qualitatibus sensilibus, nam figura, vt consideratur à Mathematico est à qualitatibus sensilibus abstracta, forma vero est cum eisdem coniuncta, & applicatæ. Sequitur hanc M. Sotus, & alij. B. Albert. Mag. cap. 8. huius catego. opinatur formam, & figuram esse rem vnã & eandem solis diuersis habitudinibus distinctam. Adnotat enim ille formam, & figuram, solum denotare in aliquo toto debitam partium proportionem, & commensurationem, quæ sane proportio, si ad formam à qua fluit referatur dicetur forma: si vero ad extrinsecas qualitates, vel ad terminum quantitatis referatur figura nuncupabitur. Vnde in homine exterior illa partium commensuratio, vt fluit ab anima rationis participe dicetur forma, vt tamen terminatur ad terminos quantitatis, qui infra certos limites, ipsius quantitatem circunscribunt, dicetur figura. Est tamẽ vltima & fortasis multo verior quorundam recentiorum sententia, Arist. nomine formæ, & figuræ rem vnam, & eandem intellexisse: verum cum figura aliquando significet dignitatem, aliquando stylum orationis, & aliquando ornatũ & pulchritudinem, inquit Aristoteles iuxta illorum opinionem, hanc quartam speciem qualitatis constituere formam & figuram quasi aperte diceret, cum figura tot habeat significationes, non debemus putare in qualibet earũ constituere hanc quartam speciem qualitatis, sed in ea solum in qua decorem, ornatum, & pulchritudinem significat. Quæ certe species, & forma merito dicipo-

1. Opi

2. opin.

3. Opin.

4. Veriorque forte opinio.

potest, cum ab ea homines formosi, & decori nuncupentur.

QVAESTIO IX. AN *pondus sit qualitas necne?*

POstquam egimus de speciebus qualitatis, sequitur vt de nonnullis, de quibus est controuersum sint ne qualitates, necne differamus, vt de pondere, raritate, & densitate & aliis huius generis, explicandumq. imprimis id erit de pondere, sitne illud qualitas, vel quantitas potius, & quidem non esse qualitatem, sed quantitatem hæc argum. demonstrant. Primum est. Arist. 5. metaph. cap. 13. constituit graue & leue, esse proprietates quantitatis: sed graue, & leue, spectant ad ratio. ponderis: ergo pondus erit quantitas. Secundũ. Aequale, & inæquale sũt proprietates quantitatis: sed à pondere vocantur res æquales, vel inæquales, quemadmodum duo corpora eiusdem libræ vocantur ac denominantur ab eiusdem libræ pondere æqualia, at duo alia quorum vnum sit vnius libræ integræ, & alterum non sit vnius libræ, sed tantum dimidię dicuntur inæqualia: põdus igitur erit vera quantitas. Tertium. Esse mẽsuram est proprietas quantitatis: sed pondus est mensura corporum grauium, & leuium: ergo pondus erit quantitas. Quartum. Excessus & defectus conueniunt quantitati: sed à pondere res afficiuntur excessu, & & defectu vt est apertum: ergo pondus erit quantitas.

1. argu.

2. Argu.

3. argu.

4. Arg.

Duplex opin.

Nonnulli ex veteribus è quorum numero ferunt extitisse Architam Tarentinum, existimarunt pondus in catego quantitatis contineri. Cæterum alij graviores Philosophi vt D. Augusti 10. lib confessio D. Th. & Alexã. Aphrodisæus in commen. in cap. 13. & 14. 5. lib. Metaphysi. existimant pondus contineri in categoria qualitatis sub naturali vi, quia pondus est quædam facultas, vt ferantur corpora sursum, vel deorsũ. Quam opinionem tanquam omnino veram his argumentis confirmamus.

Primum petitum est ex Aristo. 5. lib. metap. cap. 14 vbi recensẽt graue, & leue inter species qualitatis, vnde cum graue, & leue pertineant ad rationem ponderis, pondus continebitur in categoria qualitatis.

1. Arg.

Secundum. Arist. recensens species quantitatis tam in Dialectica, quam in Metaphysica nullam fecit mentionem ponderis: ergo vel asserendum erit ipsum extitisse diminutum in proponendis speciebus quãtitatis, vel fatendum erit põdus nõ esse quantitatem, sed qualitatem.

2. Arg.

Tertium. Si pondus esset quantitas, vel esset coniuncta, vel deiuncta: at neutra esse potest, ergo pondus non erit quantitas. Imprimis non est quantitas coniuncta, nam decem vnciæ spectant ad rationem ponderis, quæ tamen non continentur sub quantitate coniuncta, sed sub numero denario. Deinde neq. est quantitas deiuncta, quia partes huius quantitatis non copulantur termino communi, neque sunt in eodem toto: at vero partes ponderis, vt lapidis vnius libræ, copulantur inter se termino communi, ergo põdus non erit quantitas deiuncta.

3. argu.

Ad argumẽta, ad primum aimus imprimis cum Alexandro graue, & leue posse sumi, vel vt significant propensionẽ naturalem ad locum superiorem, vel inferiorem, vel vt significant excessum & defectum: nã quædam sunt aliis graviora, & alia leuiora. Primo modo graue, & leue sunt qualitates contentæ sub secunda specie: secundo vero modo dici

Ad 1. argumen.

possunt qualitates, non secundum molem & magnitudinem, sed secundum virtutem, nam excessus hic, & defectus, tantum est in facultatibus & potentiis naturalibus. Resp. dein decum D. Tho. in cõmen. illius loci Arist. non fuisse loquutũ ex propria opin. sed Pytagoreorũ qui constituebant omnia corpora componi ex extremitatibus: vnde illa corpora vocabant grauiora, quæ componebantur ex pluribus superficiebus, & illa leuiora quæ ex paucioribus constabãt. Ad 2. dicimus duplicẽ esse æqualitatem, vnam secundum magnitudinem, & aliam secundum intensionem, & virtutem. Prima æqualitas ortum habet à qualitate, secunda vero diffunditur per omnes catego. nã duæ albedines quarum vtraque sit quatuor graduum sunt æquales, & nõ à qualitate, eodemq. modo à põdere duo corpora dicuntur æqualia, non quidem secundum magnitudinem, quia aliquando corpora æqualia vnius libræ, vt corpus vnius libræ stupæ, & vnius libræ ferri, sunt inæqualia secundum magnitudinẽ, sed vocantur res æquales, aut inæquales à pondere secundum virtutem, & intensionem. Ad tertium dicimus duplicem esse mensuram, vnam virtutis, & intensionis, & alteram molis. Esse mẽsuram primo modo, non est proprietas quantitatis, quia in quolibet genere datur vna mensura perfectionis, quemadmodum Arist. docet 10. lib. metap. esse vero mensuram secundum magnitudinem, est quantitatis proprietas, at pondus non est mensura molis, sed virtutis, & intensionis, & ita nõ erit quantitas. Ad 4. resp. excessum, & defectum secundum magnitudinem, prouenire à quantitate, excessum tamen, & defectum secundum virtutem, & intensionem, non prouenire ab illa: excessus autem & defectus prouenientes à pondere, non sunt secundum magnitudinem, sed secundum virtutem.

Ad 2.

Ad 3.

Ad 4.

QVAESTIO X. AN RARUM & densum, asperum, & lene in hac categoria contineantur.

HAnc dubitationem attingit Aristo. in contextu, nec tamen eam plene dissoluere visus fuit, ob quam causam merito dubitare possumus, sintne hæ qualitates, vel sub limitibus alterius catego. comprehensæ. Etenim idem Arist. 4. physic. cap. 9. & 2. de ortu inter species qualitatis numerat hæc quatuor quæ proposuimus. At contra in hoc cap. docere videtur referens hæc ad catego. situm esse. Est igitur opinio D. Augusti. in suis catego. cap. de qualit. has esse veras & legitimas qualitates, sub limitibus huius categ. cõprehẽsas. Verum Seueri. Boe. B. Alber. Gilbertus Porreta, Auerroes, M. Soto, Caieta. & alij multi arbitrantur, & in hac categ. & in categ. situm esse comprehendi. Cæterum vt hanc q. explicem°, auspicabimur à diffinitionibus horum accidentium, ita enim facilius multo sintne in hac, vel in alia catego. poterimus iudicare. Rarum illud putat esse D. Augu. quod est porosum, cuius scilicet, partes ita inter se sunt separatæ, vt inter eas corpus alterius generis possit admitti, cuius generis sunt pumices, & spõgię: Densum vero inquit esse illud, cuius partes ita sunt compressæ, vt ne queant corpus alterius generis intra se admittere, vt ferrum, plumbum, &c. Possumus tamen nos, ita illa diffinire. Rarum est cuius partes inter se longius distant, vel quod sub maiore quantitate minorem habet portionem materiæ: densum vero erit, cuius partes inter se minus distant, vel quod sub minori quantitate maiorem continet materiæ molem, vt in cera possumus has duas diffinitiones apertissime explicare, etenim illa tunctemporis rarefit, & dilatatur, quando sub maiori, & extensiori quantitate, minorem cõtinet materiæ molem, parteſque illius inter se longius distant: at tunc condensata dicetur, quando ita comprimentur partes illius, vt in minori quantitate maiorem cõtineat portionem materiæ, vel quando partes illius ita compressæ minus inter se distabunt. Asperum illud dicitur cuius partes sunt inter se inæquales, & cuius quædam eminent, aliæ vero deprimũtur: lene vero illud est cuius partes sunt inter se ita æquales, vt nulla emineat, nullaque deprimatur. Verũ de his omnibus in nostro primo libro de elementis vberius multo, superiori aura nobis fœliciter arridente.

Ratio dubi.

Cap. 2.

1. Opin.

2. opin.

1. Conc. His igitur sic statutis sit prima conclusio. Rarum & densum: asperum & lene, si iuxta situm partium, maiorem scilicet distantiam, vel minorem vnius ab altera, aut iuxta eminentiorem, vel depressiorem locum considerentur, non sunt qualitates, sed continentur in categoria situm esse. Hæc satis est nota cũ huiusmodi differentiæ partium in loco, in categoria situm esse tantum possint comprehendi. Et hoc præ se ferre videntur verba Aristotelis in hoc capite, quando inquit: Hæc quæ recensuimus videri magis partium quandam positionem, quam qualitatem significare.

2. Conc. Secunda conclusio. Si asperum, & lene sumantur ea ratione qua afficiunt sensum, illumque diuerso modo commuttant (nam asperum austeritatem generat, lene vero dulcedinem, experimur enim fructus immaturos, asperiores esse gustui, & ob hanc causam austeritatem in eo generare, ẽ contra vero mel, & lac esse corpora lenia, ac proinde eidem gustui dulcedinem quandam ingerere) si inquam hac ratione vsurpentur, huiusmodi accidentia in hac categoria qualitatis sub patibili qualitate comprehendentur. Confirmatur. Patibilis qualitas est quæ afficit, vel commutat aliquo modo sensum: at hæc accidentia ita sumpta sunt huiusmodi, ergo erunt patibiles qualitates.

3. Conc. Tertia conclusio. Eadem accidentia, vt diuersam efficiunt figuram, (nam aliam figuram cõspicimus in leni, & aliam in aspero, ex his enim quædam est magis curua, & alia magis recta) erunt qualitates sub quarta specie collocatæ. Confirmatur. Quia hac ratione exprimunt figuram aliquam, quæ quantitati certos limites perscribat: at quarta species forma est & figura.

Ex his facile cõciliare poterimus Arist. qui sibi prima facie in locis superioribꝰ aduersari videtur: etenim quindo in physicis docuit rarum, & dẽsum esse qualitates, loquutus est de his ea ratione qua afficiunt sensum, at quando in hac categoria hęc eadem ad situm esse reuocat, intelligi debet de eisdem, ea ratione qua habent partes eminentiores, vel depressiores, aut propinquius vel longius distantes.

Concilia tur sibi ipsi Arist.

QVAESTIO XI. DE HIS quæ in singulis speciebus qualitatis collocantur.

LEgendi sunt de hac re M. Soto, quæst. vnica Villalp. Tolet. vera cruce & alij in commenta. huius, categoriæ, quam certe quæstionem dilu-

dilucide explicatam proponemus, si iuxta methodum diuisionis in explicandis singulis speciebus progrediamur. Et vt à prima specie, habitu nimirum, initium ducamus, habitus prima diuisione sic erunt diuidendi, vt quidam sint animæ, alij vero corporis. Huius illi sunt, qui præcipue sunt in corpore, & ad aliquam operationem corpoream destinantur, ex quibus quidam sunt in toto illo, vt ægritudo, & optima valetudo, alij vero in aliqua parte vt habitus pulsandi in manibus, & psallendi in pedibus. Iam. Habitus animæ quidam sunt acquisiti quos scilicet proprio Marte, & labore nobis comparamus, vt sunt virtutes omnes, quas ex assiduis operibus in nobis generamus: alij vero sunt infusi, vt illi qui benigna manu à Deo Optim. Max. sunt nobis concessi, cuius generis sunt gratia, fides, spes, charitas, & reliqua Spiritus sancti dona, & charismata. Præterea ex adquisitis quidã sunt intellectua. qui sunt in intellectu tanquam in subiecto, ex istuntq. illi quinq. ab Arist. enumerati 6. ethy. cap. 3. Intelligentia, Sapientia, Scientia, Ars, & Prudẽtia, ex quibus tres priores sunt speculatiui, duo vero posteriores practici, qui in varias species & formas sunt distributi, de quibus abunde satis egimus q. 2. sect. 1. procemia. Morales vero sunt qui ornant voluntatem, & appetitum, vt sunt Iustitia, Prudentia, Temperantia, & Fortitudo, & multi alij qui sub istis tanquã generibus continentur.

1. Diuis. habituũ.

Habitus acquisi. & infu.

Acquisi. intellec. & mora.

De his quæ in secunda specie continentur.

EAndem methodum obseruantes per diuisionem quæ in hac specie continentur colligemus. Vis igitur (vel potentia naturalis) quędam est corporis, & alia animæ, corporis quædam est agens, vt est vis arboribus, plantis, & multis lapidibus ad aliquid agendum à natura concessa & alia est patiens, vt mollicies, duricies, optima corporis constitutio, & alia huius generis, quæ difficile cædunt corrumpenti. Adhæc animæ quædam est animæ, vegetantis, alia sentientis, & alia intelligẽtis. Vegetãtis duplex, præcipua vna, & alia ministra. Præcipua est triplex, nutriendi, accrescendi, & generandi: ministræ vero facultates quatuor sunt ab omnibus Philosophis, & Medicis collocatę, attrahendi, retinendi, concoquendi, & expellendi. Iam. Sentiẽdi facultates, quædam sunt interiores, & alię exteriores. Exteriores sũt quinque, visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus. Interiores sunt sensus communis, vis imaginandi, vel phãtasia, cogitatiua, & memoria. Deinde potentia appetitiua in eisdem animalibus est duplex, quædam concupiscibilis, & alia irascibilis, ex quibus tanquam ex duobus fontibus amor, odium, & multæ aliæ passiones deriuantur. Rursus in eisdẽ perfectis animalibus est facultas loci motiua, quæ iuxta diuersa instrumenta diuisa est in facultatem volandi, natandi, & progrediendi. Intelligentis vero animæ sunt tres aliæ facultates, intellectus, memoria, & volũtas siue appetitus intelligens. Reuocantur ad hanc speciem omnia genera instrumentorum gladius, ensis, dolabra, cithara, lyra, &c. Omnium generum & specierũ proprietates, vt risibilitas, rugibilitas & hinnibilitas, omnesque propensiones, & procliuitates ad aliquid agendum, qualis est in igne vt petat loca supera, & in terra vt in locum inferiorem feratur.

1. Diuis. Vis naturæ.

2.

3.

4.

5.

Quæ reuo. ad hãc spe.

Quæ

Quæ in tertia specie sint contenta.

SVB Hac specie imprimis colores omnes, qui ex constitutione corporis naturali oriuntur, continẽtur: deinde qualitates quæ tãgi possunt, tam primæ, vt calor, frigus, humiditas, & siccitas quam secundę, vt sunt illæ quæ ex his tanquã ex fontibus oriuntur, vt rarum, & dẽsum, asperum, & lene, molle, & durum, & aliæ huius generis qualitates. Iam omnes animi perturbationes, vel (vt cum aliis dicamus) passiones, siue à natura insint, vt est mẽtis quædam alienatio, & in nonnullis furor motusque animi ad iracundiam cõcitatus, siue fortuito & casu eueniant, dum tamen diu in subiecto persistant. Et vt vnico verbo finiã qualitates omnes, quæ vel ex passione subiecti oriuntur, vel eam in subiecto efficiunt, sub hac specie continentur. De lumine tamen controuersum est sub qua specie collocetur, nam quidam sub habitu. & alij sub patibili qualitate illud collocãt: verius tamen possumus asserere illud sub prima, secunda, & tertia specie contineri, quamuis alia diuersaque multum ratione, nã vt est dispositio astrorum in habitudine ad eorum naturam, vt nimirũ est qualitas quædam naturæ accommodata, sub habitu continebitur: vt autem est principium cuius ope astra influunt in hæc inferiora (nam lumine, & motu agunt in illa) in secũda specie collocabitur, est enim ita, potentia quædam naturalis, & instrumentum coniunctum, cum ipso medio varias nobis qualitates, influxusque celestes nobis astra impertiantur. Vt vero afficit sensum, interdum siquidem lędit ipsum, vt si oculorum aciem in solem ipsum conuertamus, sub tertia specie, nimirum patibili qualitate, collocabitur, sub illa etenim illæ qualitates comprehenduntur, vt sæpe supra diximus, quæ sensum commutare, aut lędere quoquo modo possunt. Præterea. De sono est etiam difficultas sub qua ex his speciebus contineatur. Dicimus tamen ad perturbationem posse reuocari, ortum enim habet expulsione, nimirum ex ictu duorum corporum solidorum, neque diu inhæret, sed statim labitur, & euanescit.

Dubiũ de lumi.

Dubiũ de sono.

Quæ sint in quarta specie comprehensa.

COntinentur in hac specie omnia genera figurarum. Ex figuris etenim quædam numeris, & quædam quantitati coniunctæ applicantur. In numeris enim datur triãgulum, quadratum, quadrangulũ, & sic de oibus aliis figuris: in quantitate, vero coniuncta dantur hæ eędem figurę, & omnes alię quę à Geometra cõtemplantur. Iam ex figuris quędam sunt planę & alię solidę. Planę sunt illę quę in aliqua superficie delineãtur, vt sunt triangulum, & quadrangulum, quæ in tabula aliqua, vel papiro describuntur: solidæ vero illæ dicuntur, quæ in corporibus ipsis conspiciuntur, vt sunt columnæ, pyramydes, globi, & huius generis multæ aliæ: collocantur etiam sub hac eadem specie nonnullæ aliæ figuræ Mathematicæ imperfectæ, vt rectum, & inflexũ, par, impar, concauũ, & conuexum, & huius generis nonnullę alię. Et tandem omnes figurę tam naturales quam beneficio artis effectæ, quæ in quantitate cernuntur, et in superficie quę exterius apparet conspiciuntur, ad hanc eandem speciem reuocantur.

1. Diuis. figu.

2. Diuis. eiusdẽ.

Quæ aliæ sint hic contentæ.

QVAE-

QVAESTIO XII. NVM *recte sint tres proprietates qualitatis ab Arist. assignatæ, necne?*

AD extremum sequitur vt nonnulla de proprietatibus qualitatis ab Arist. traditis in hoc loco proponamus. Prima igitur proprietas erat, qualitati aliquid esse contrariũ, nam candor atrori, et frigus calori vere contrariantur. Verum hæc proprietas (si de vera, & legitima contrarietate agamus, quæ s. intercedit inter species quæ sub eodem genere proximo contentæ inter se maxime distant, vicissimq. subiecto insunt, à quo mutuo se expellunt, nisi alterum insit à natura, vt ex instituto in Postcatego. cap. de contrariis ostendemus) nõ competit omni qualitati, bene tamen soli: non quidem omni, quia figuræ ratione sui nihil est contrarium, neque enim triangulum quadrato, aut quadratum circulo aduersatur: optime tamen soli, quia nullæ aliæ formæ à qualitate possunt eidem subiecto inesse, à quo mutuo se expellant, nisi alterum insitum fuerit à natura. Est tamen difficultas conueniatne hęc proprietas qualitatibus intermedijs, vt colori cæruleo, viridi, & rubeo, nam esse ipsis aliquid contrarium est expressa Arist. sententia 5. physi. cap. 1. vbi inquit non solum extrema verum etiam media extremis esse contraria & 2. Ethico. cap. 8. ac lib. 1. magno. morali. cap. 9. docet extrema vitiosa & inter se, & cũ virtute, quæ est in medio esse contraria: at cõtra sentit in hoc cap. inquiens hanc proprietatem tantum extremis, & non qualitatibus intermediis cõuenire. Huic tamẽ difficultati resp. duobus modis posse aliqua inter sese cõtrariari, vno modo ratione sui, & altero ratione alterius. Sit exemplum in igne & calore: ignis ratione alterius (nimirum caloris) cõtrariatur aquę: at calor ratione sui contrariatur frigiditati. Itaque qualitates intermediæ contrariantur aliis extremis nõ ratione sui, sed ratione alterius extremæ qualitatis, vt scilicet induũt rationem ipsius. Ex quibus facillimum erit consiliare loca Arist. allata quæ inter se quodammodo pugnare videntur, nam dicimus Aristo. docuisse in lib. ethicor. qualitates medias contrariari qualitatib. extremis, non ratione sui, sed ratione alicuius extremi: at quando in hac catego. docet non conuenire hoc qualitatibus intermediis, intelligi debet de ipsis ratione sui, & non ratione alterius qualitatis extremæ.

Ostend. 1. propri. non esse 4. mo.

Num cõue. qualita. mediis.

Satisfit huic dubio.

Secunda proprietas est qualitas recipit magis & minus, quam certe cõuenire qualitati ex superiori possumus ita suadere. Magis & minus, in qualitatibus, prouenit ex permixtione vnius cum altera, illud enim est albius v.g. quod est nigro impermixtius, vt auctor est Arist. 5. physico. cap. 2. quare cum contrarietas cõueniat qualitati, & recipere magis & minus debet eidem conuenire. Hæc tamen proprietas non conuenit omni qualitati, quia vnus circulus non est magis circulus, quam alius, neq. vnum quadratum, quam sit aliud, sed tãtum conueniet soli illi qualitati, cui aliquid natũ est cõtrariari. Est tamen difficultas num hæc proprietas quali vel qualitati cõueniat multi enim ex veteribus (vt testatur Porph.) sicuti Plato, & alij in ea extiterunt opinione, vt arbitrarentur qualitati, & non quali, formæ abstractæ non autem concreto conuenire. Arist. tamen contrarium verius esse putat, illam quali, & concreto conuenire, non autem qualitati. & formæ. Vt tamen hanc litem diffiniamus

Explic. secunda proprietas.

Difficultas.

Dissolutur difficult.

niamus sciendum erit, multum interesse, loqui de re ipsa absolute sumpta & à parte rei vel de eadem vt nomine concreto, vel abstracto significatur. Vnde profitemur in primis hanc proprietatem à parte rei qualitati conuenire, illa etenim est quæ susçipit incrementa, intensionem q. ac remissionem: & profecto si essentia accidentis est inesse subiecto, intensioque & remissio per maiorem radicationem qualitatis in subiecto fiat, qualitas ipsa erit quæ secundũ suam essentiam recipiet magis, & minus, vt sæpe animaduertit D. Tho. Profitemur secundo non eandem qualitatẽ in abstracto & veluti auulsam à subiecto, sed vt applicatam & inhærentem illi recipere magis, & minus. Huius rei egregiam sane assignat rationem Caietanus acutissimus, quia qualitas in abstracto significata, significatur per modũ substantiæ, & per se cohærentis, est autem ita proprium substantię non recipere magis, & minus, vt non solũ quæ vera fuerit substantia, sed quid quid obtinet modum illius, nulla ratione queat magis vel minus susçipere. Cæterum hæc sat fuerit aliquo modo attigisse, nam longior oratio ad libros de ortu, & interitu in quibus de intensione & remissione formarum agitur, est referenda.

Vltima proprietas est vt à qualitate res similes, vel dissimiles efficiantur. Intelligique debet de simili, & dissimili fundamẽtaliter: nam si formaliter sumpta fuerint, relationes sunt, non qualitates. Quæ proprietas, & omni, & soli quãtitati competit, ac proinde erit maxime propria affectio illius, nam quemadmodũ idem, & diuersum à substãtia: æquale & inæquale à quantitate deriuantur: ita simile, & dissimile a qualitate promanabunt: Quod intelligi debet non de vera tantum qualitate, verum etiam de omni habente modum illius, nam inter duas paternitates, est similitudo naturarum, & inter paternita. & filiationem dissimilitudo, quæ non sunt veræ qualitates sed relationes, quamuis in hac re modo qualitatis affici videantur. Atque hæc de qualitate dicta fuerint satis, nam quæ de habitibus, & de intensione ac remissione qualitatum, & de nonnullis aliis, quidã in hoc loco proponũt, cum sine extra institutum dialecticorum, & ad superiores artifices, nimirum Philosophum naturalem, & metaphysi. pertineant consulto hoc loco prętermittimus.

Vltima proprie.

DE

DE ACTIONE ET Passione. Caput 5.

ARGVMENTVM CAP.

IN hoc cap. in 1. illius parte duas tradit propriet. actionis, & passionis, in 2. vero de quatuor vlti. catego. differit tãtum exemplis quibusdam earum naturam nobis proponens.

ATque etiam agere patique & aduersorum repugnantiam recipiunt, & magis ac minus. Calfacere enim & refrigerare sunt inter se contraria, & calescere & frigere, & gaudere ac dolere. Reperitur igitur in his aduersorum repugnantia. Item magis & minus. Nam & calfacere magis ac minus licet, & minus calescere & magis, & maiorem minoremque percipere dolorem. Illa igitur agere & pati magis minusque accipiunt. Atque de his quidem hactenus. In ijs quæ cum aliquo conferũtur, situm esse, à situ nomen habere diximus. D. *De cæteris categoriis quæ sunt, quando, ubi & habere, quoniam apertæ sunt & non obscuræ, nihil aliud trado nisi id quod initio dixi. Habere, talem habere significationem, ut sit uelut uestitum esse & armatũ esse: & Vbi, ut in Lycæo, in foro, cæteraque omnia quæ de ijs dicta sunt. Ac de generibus quidem quæ nobis proposuimus, satis multa dicta sunt.*

COMMENTARIA.

SVmma breuitate in his catego. vltimis explicandis vtitur Arist. nãtribus fere verbis ab illarum explicatione se expedit, initium ducens ab actione & passione, in quibus duabus explicandis, prætermissis diffinitionibus duas tantum proponit proprietates.

2. Proprietas actio.

A *Atque etiam agere, &c.* Prima est. Actioni & passioni aliquid est contrarium, nam calefacere contrariatur frigefacere, & calefieri, frigefieri, aduersatur. 2. est. Actio & passio recipiunt magis & minus, nam ignis maior magis calefacit, quam minor, & vna aqua magis calefit quam alia.

4. Catego. exẽpli proponit.

B *De cæteris categoriis, &c.* In secunda parte cap. explicat Arist. quibusdam exemplis quatuor alias catego. quæ sunt vbi, quando, situm esse, & habere. De situm esse iam inquit supra in categ. de relatis sermonem habuimus. Habere inquit est esse vestitum, vel esse armatum. vbi vt esse in foro vel Lycæo, quando vero esse in tempore, vt esse in anno mense, vel die. Atque ita finem, inquit, imposuimus decem generibus supremis, quæ in initio huius operis explicare polliciti fueramus.

Scholia in caput 5. Catego. de actione, & passione.

A 1.

1. Observatio.

A 1. Ob quam causam Arist. tam breui sermone harum postremarum categoriarum naturam explicauerit, ex eo est, quia ex his quæ explicata fuerunt in superioribus categoriis facile est illarum naturam intelligere, nam ex substantia cum aliqua ex superioribus catego. hæ posteriores ortum habent: etenim ex illa, & loco, oritur vbi, ex eadem & tempore, oritur quando, ex qua etiam, & qualitate, oriuntur agere, & pati, & tandem ex ipsa cum relatione oriuntur situm esse, & habere. Verum quamuis tam breui oratione vsus fuerit in hac re Aristo. ex posterioribus tamen Philosophis nonnulli diffusiori multo & clariori sermone harum catego. naturam explicandam susceperunt, è quorum numero vnus profecto est Gilbertus Porretanus, qui ita dilucide, & accurate de illis disseruit, vt nihil queat amplius desiderari, ex cuius lucubrationibus quæ necessaria erunt nostro huic instituto mutuabimur.

2. Observa.

A. 2. Quamuis actionis, & passionis diffinitiones hoc loco prætermiserit Aristo. erunt nihilominus illæ hoc loco à nobis proponendæ, tam in abstracto quam in cõcreto. Actio in abstracto est motus fluens ab agente. Passio est idem motus qui recipitur in passo, vt calefactio est actio quædam, quia est motus quidã fluens ab igne calefaciente: calefieri vero est passio, nam est idem motus qui recipitur in aqua quæ calefit: in concreto vero ita diffinientur. Agere est vim suam immittere in rem quæ patitur: pati vero est recipere vim sibi immissam ab agente, vt ignis agit in aquam, quia in eam immittit vim suam, scilicet calorem, & aqua patitur ab igne, quia in se recipit calorem sibi ab igne tributum.

3. Observa.

A. 3. Variis modis potest diuidi actio, nam primo diuiditur in immanentem, & transeuntem. Immanens est quæ remanet in subiecto à quo fluit, vt visio, & intellectio transiẽs vero est quæ transit in aliud subiectum, vt calefactio, frigefactio. Secũ diuiditur in naturalem, liberam, artificiosam, fortuitam, & violentam, naturalis est cuius principiũ est natura, vt actio calefaciendi, libera est cuius principium est liberum arbitrium, vt legere & ambulare: artificiosa est cuius principium est ars, vt actio erigendi domum: fortuita vero est cũius principium est casus & fortuna, vt inuentio thesauri fodienti terram: violenta cuius principium est externum, ita vt patiens nullã conferat vim, qualis est proiectio lapidis in locum superum. Ercũ actioni correspondeat passio, totidẽ modis poterit illa diuidi in naturalem, liberam, artificiosam, fortuitam & violentam. Passio præterea ex 5. lib. metaphy. cap 21. multa significat primo ingentem aliquam calamitatem, quã perpetimur, vt naufragium, aut fortunarum amissionem. Secundo qualitatem corporis cito transeuntem, & ex aliqua mutatione ortam, qualis est pallor ex timore contractus: Tertio animi affectionem, vt iram, vel tristitiam, vt constat ex 2. Ethic. cap. 5. & ex 1. de anima cap. 1 Quarto mutationem in qualitatibus primis qua ratione Arist. 1. de ortu cap. 6. 7. & 8. de actione & passione disputauit: Quinto quemlibet motum naturalẽ in qua significatione de passione agens, simul de actione differuerat Arist. Vlti. functionem quamuis siue corpoream, siue spiritalem, siue naturalẽ, siue artificiosam, siue perficientem, siue corrumpentem, in qua significatione de passione agit hoc loco Arist. & de actione huius generis qui dem omni, sed de corporea, transeũte, & corrumpente.

4. Obserua. A 4. Præter has duas proprietates Gilbertus Porretanus duas alias tradit actionis, prima. In quocunque motu est actio, & vbicunque fuerit actio, vbi & motus fieri debet, quare actio, & motus mutuo se inferent, & consequentur. Ratio huius est perspicua, quia illa duo sunt vna, & eadem res, solaque ratione differunt: nam eadem res, vt est via ad terminum aliquem assequendum, est motus & eadem, vt fluit ab agente dicitur actio. Secunda est. Proprium est actioni inferre passionem. Quæ proprietas non est tantum intelligenda de illatione secundum consequutionem, ita vt recte sequatur est actio, ergo est passio, sed de consequutione secundū causam, quia actio causa est passionis. Sciendum est tamē has duas proprietates propositas ab Aristo. non conuenire omni actioni & passioni, sed illi tantum cuius terminus acquisitus habet contrariū potestque susci pere magis, & minus. Vnde ortui, & interitui, accretioni que, & decretioni, nihil contrariabitur (non loquor de oppositione priuatiua, nam ita ortus interitui, & accretio decretioni aduersatur: sed de contraria) quia substantiæ in qua fiunt ortus, & interitus, & quantitati in qua versantur accretio & decretio, neque est aliquid contrarium, neque recipiunt magis & minus: actioni tamen, & passioni, quæ tendunt ad qualitatē aliquid contrariabitur, quia qualitas, & contrarietatem, & magis, ac minus, nata est suscipere. Reliqua quæ de aliis categoriis proponere poteramus singulas categorias sigillatim, & seorsum explicantes proponemus.

Disputatio de sex vltimis categorijs vnica Sectione comprehensa.

ARGVMENTVM.

VT vltimam manum huic categoriarum disputationi imponamus, de sex vltimis categorijs, de quibus tribus verbis egit Aristoteles erit suscipienda disputatio, in qua paulo diffusius quam præstiterit Aristoteles, vim, naturā, & proprietates earum explicabimus: exordiemur autem ab hac generali quæstione, in qua quærimus.

(?)

Sect.

Sect. vnicæ. Quæstio prima. An sex vltimæ catego. significent rem absolutam.

ANtequam de singulis categoriis agamus operæprecium erit, ne sæpe eadem repetere cogamur, ab hac generali quæstione totam hanc de sex vltimis catego. disputationē præfari, inquirereque sintne relationes formaliter, vel naturæ quædam absolutæ, & extrinsecæ denominationes. Et certe non significare extrinsecas quasdā denominationes, confirma. Imprimis. Si hæ sex vlti. 6. Arg. catego. tantum differrent à primis quia denominant subiectum extrinsecæ, fieret vbi, & locum nullo modo distingui, locus enim denominat rem locatam extrinseca denominatione, nam in eo separatur à superficie, quia superficies denominat subiectum denominatione intrinseca, locus vero extrinseca: sed hoc omnino falsum est, nam locus in catego. quantitatis continetur, vbi vero in propria catego. ergo hæ sex catego. postremæ non eo solū ab aliis prioribus distinguentur, quia denomi. 7. Arg. nant subiectum extrinsece. Deinde. Illud denominat subiectum intrinsece, quod inhæret subiecto denominato: sed passio inhæret subiecto denominato, vt calefactio inhæret aquæ: ergo passio denominabit subiectum intrinsece, & ita non erit ab aliis per hoc distincta, quia denominet subiectum ipsum extrinsece, & cum ipsa sit vna ex sex vltimis catego. sicut ipsam confirmamus denominare subiectum intrinsece, etiam & alias asserere poterimus denomi- 8. Arg nare subiectum intrinsece. Præterea. esse in hoc loco, & esse hoc vel alio modo in loco non differunt, sed vbi est esse in loco, at situm esse est hoc, vel alio modo esse in loco, vt esse pronum, vel supinum, esse curuum vel erectum: ergo duæ hæ catego. vbi & situm esse non distinguentur. Vltimo D. Th. 5. lib. metap. c. 15. lec. 17. cōstituit expresis verbis has 4. Arg. vltimas catego. significare relationem, verum igitur erit has vltimas catego. ab aliis primis secerni quia significant relationem.

In hac quæstione est prima opinio Scoti in 3. sententia. quæst. 1. in 1. Opi. 4. distinct. 13. qu. 1. & Quodli. 11. distinguentis relationes in extrinsecus aduenientes, & intrinsecus inhærentes, extrinsecus aduenientes vocat illas in quibus posito termino, & fundamento, nondum sequitur relatio, vt in actione, & passione, posita causa agente igne v. g. calefaciē te, & aqua quæ potest calefieri, non sequitur statim actio calefaciendi, neque relatio calefacientis ad rem quæ calefacit: relationes vero intrinsecus aduenientes vocat illas, in quibus posito fundamento, & termino statim sequitur relatio, qualis est relatio similitudinis, nam posita albedine in Petro, & Ioanne albo in rerum natura, statim sequitur in vtroque relatio similitudinis. Hac distinctione constituta inquit Scotus, has catego. posteriores, non esse res absolutas, sed esse quasdam relationes extrinsecus aduenientes, & non intrinsecus, quia in illis posito termino, & fundamento non sequitur statim relatio vt in exemplo proposito, posito agente, & patiente, non sequitur statim relatio agentis ad passum. Cæterum hæc opinio falsa est, Reiicit. quam his duobus argu. cōfutamus. prima. Primum. Illæ sunt relationes intrinsecus aduenientes secundum eum,

in quibus posito fundamento, & termino, statim sequitur relatio, sed posito homine, & tempore, statim consequitur hominem esse in tẽpore: & posito eodẽ & loco, statim fit homiñ esse in loco, ergo cũ esse in loco sit categ. vbi, & esse in tẽpe categ. quã do, hę relationes tantũ erunt intrinsecus aduenientes, & non extrinsecus. Deinde. Relationes intrinsecus aduenientes, vel extrinsecus non differunt genere: sed hæ vltimæ catego. differunt genere à catego. relationis. ergo vltimæ catego. non per hoc distinctæ censebuntur a categoria relationis, quia sint ipsæ relationes extrinsecus aduenientes: quæ autem in categoria relationis sunt comprehensæ, tantum sint intrinsecus aduenientes. Assumptio est aperta, confirmatur propositio. Relationes tam intrinsecus aduenientes, quam extrinsecus, ad eum modum distinguũtur, quo accidens separabile & inseparabile, nam relatio intrinsecus aduenies remanente fundamento & termino nequit separari à subiecto: relatio vero extrinsecus aduenies, etiam (eodem Scoto teste) posito adhuc termino & fundamento, separatur à subiecto quia potest nondum esse in eo: sed accidens separabile, & inseparabile, non distinguntur specie, sicut albedo separabilis, & inseparabilis, ergo relationes extrinsecus, & intrinsecus, aduenientes, neque genere neq. specie vllo modo differunt.

Secũda.

2. Opi. Secunda opi. est Capre. in 2. sent. dist. 6. q. 1. in argu. secundo loco effectis aduersus secundam assertionẽ, præsertimque in solutione 1. constituentis has sex vltimas catego. neq. significare rem absolutam, neque aggregatum quidpiam ex absoluto, & relato, sed relationes præcisas, & puras. Quam eandem opinionem vt testatur Suesanus 5. lib. metaphy. q. vlti. sequutus fuit Burlæus, & nonnulli alij. Verum neq. hanc opinionem laudamus, sed illam reiicimus his argu. Primum. Relatio per se & præcise sumpta continetur in catego. relationis: sed hæ vltimæ categ. non continentur in catego. relationis, cum sint catego. ab ea distinctę: ergo hæ sex vltimæ catego. non significabunt puram relationem. Assumptio est aperta confirmatur propositio. Præcisæ, & puræ relationes, sunt illæ quarum tota vis, & natura est ad aliud: sed illæ relationes quarum tota vis est aliud, continentur in categoria relationis, quia hæc est diffinitio illius catego. proposita ab Arist. ergo relationes puræ continebũtur in catego. relationis. Deinde. Nulla relatio nisi fuerit transcendẽs potest fundari in alia relatione, alio quin si vna relatio haberet aliam pro fundamento esset progrediendũ in infinitum: sed relatio paternitatis fundatur proxime, & immediate, in actione generandi, filiationis vero in potentia, vel passione vt generetur: ergo actio, & passio, non erũt meræ relationes. Vnde cũ sint illę duę catego. ex sex vlti. iam non omnes saltim catego. significabunt relationes. Adhæc. Actio, & passio, secundum essentiam non differunt à motu, vt auctor est Arist. 3. lib. physico. cap. 1. sed motus non est relatio, sed res absoluta: ergo saltim actio, & passio, ex sex vlti catego. non significabunt relationem. Tertia opinio est quorundam (quos refert Herueus quodlibeto 1. q. 9 in qua ferunt extitisse Aegidium Romanum) constituentium has vltimas catego. significare quidpiam aggregatum ex qualitate & relatione continentiæ. Reiicimus tamen etiam, & hanc opinionẽ hoc pacto. Aggregatum ex ente absoluto, & relato, est ens per accidens nam est aggregatum ex rebus

1. Confuta.

2. Confuta.

Reiicit.

diuersarum catego quia absoluta, & relata, continentur in diuersis catego: at hę postremę catego. sunt entia per se: ergo non significabunt aggregatum ex absoluto, & relato.

4. Opi. His propositis simul, ac reiectis opinionibus, quarta opinio eaque verissima est has vltimas catego. ex significato præcipuo, & essentiali, significare rem absolutam, minus tamen præcipue, & ex significato quasi per accidens, denotare aliquam relationem, vnde poterunt vocari relata secundum dici. Hanc opinionẽ sequuti sunt Herueus Quodlibeto citato, Sonci. 5. lib. metaphy. q. 39. 40. & 41. Iauellus eodem lib. q. vlti. M. Soto in explicatione harum catego. & plerique alij. Eam vero vt intelligamus adnotandum est triplicẽ esse denominationem intrinsecam vnam, aliam omnino extrinsecam, aliam vero partim intrinsecam, & partim extrinsecam. Intrinseca est quando attribu. est in subiecto, siue secundum essentiam, vt est hæc, homo est animal, siue secundum inhæsionem vt est hæc altera, homo est candidus. Omnino extrinseca est, quando attribu. non est in subiecto denominato, qua ratione agens denominatur ab actione, quæ non est in agente sed in passo. Partim intrinseca, & partim extrinseca est quando attributum inest subiecto, depẽdet tamen illud ab alio extrinseco, quemadmodum homo denominatur pater à paternitate quę est in eo, dependet tamen ab extrinseco, scilicet à filio. Est igitur opinio horum grauissimorum Philosophorum vltimas categorias solum differre à tribus prioribus, quia quantitas & qualitas tantum denominat subiectum denominatione intrinseca, relatio vero denominatione partim intrinseca, partim extrinseca: at omnes sex vltimæ catego. denominant subiectũ denominatione extrinseca, quẽ admodum denominantur res locatæ à loco qui non est in corpore locato, sed in locante, & agens denominatur ab actione quæ non est in ipso, sed in passo. Vnde colligit Herueus has sex vlti. catego. non differre à primis, nisi secundam solam denominationem, quia eadem res vt denominat intrinsece est quantitas, vel qualitas, at vt denominat extrinsece est vbi, vel quando. Quemadmodum superficies corporis ambiẽtis, vt denominat corpus ambiens vocatur extremitas: vt vero denominat extrinsece corpus quod est in loco dicitur vbi. Verum addendum erit, non solum distingui has vltimas catego per extrinsecam denominationem à prioribus catego. sed quia præter hanc extrinsecam denominationem, connotant quandam habitudinem, secundario per ipsasmet significatam, nam ex denominatione extrinseca sequitur in denominante, & denominato, quædam relatio, per quam hę catego. vltimo separantur à prioribus. Nam si per extrinsecam denominationem tantũ separarentur hæ catego. à quãtitate, & qualitate, sequeretur locum non esse in catego. quantita. sed in catego. vbi, nam locus eo differt à superficie, quia superficies denominat subiectum intrinsece, locus vero extrinsece. Ex quibus oĩbus concludimus quod quemadmodũ album, & albedo ex eo distingũtur, quia albedo solam qualitatem significat, album vero in recto, & formaliter significat ipsam albedinem, extrinsece tamen connotat subiectum: ita etiam quantitas, & qualitas, præcise significant rem absolutam, relatio rem relatam: vltimæ vero catego. ex significato præcipuo significant rem absolutã, connotant tamen extrinsece præter hoc habitudinem quandam inter

Obser.

Similit. etiã explic. ista opinio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

naturas denominatas. Quæ sententia satis nostro iudicio supereſt confirmata ex his quæ in confutationibus aliarum opini. fuere propoſita, ſingulaſque categorias explicantes vberius multo illam explicabimus.

Ad 1. argumen. Iam ad argumenta. Ad primum dicimus locum, & vbi, nō diſtingui ſecundum rem, neque ſecundum de nominationem extrinſecā, ſed quia locus vt locus tantum denotat ſuperficiem continentem, Vbi vero præter hanc ſuperficiem continentem & extrinſecam etiam denominationem, cōnotat relationem quā dam, & habitudinem locati ad locum, & loci ad locatum, quæ quidē licet non ſignificetur per catego. vbi primo, & præcipue, ſignificatur tamen minus præcipue, & connotatiue, quemadmodum etiā licet corpus nō ſignificetur primo, & per ſe, ac præcipue per album, connotatur tamen ſecundario, ac minus præcipue per idipſum ſignificatur. Ad ſecundum reſpon. paſsionem vt calefactionem eo differre à calore, qui eſt qualitas, quia calor ſignificat abſolute accidens ſine habitudine aliqua ad principium à quo dimanat, aut ad ſubiectum in quo recipitur: ſecus autem eſt de calefactione quæ ſignificat eundem calorem, cum habitudine tamen & ad principium à quo oritur & ad ſubiectum in quo recipitur. Vnde quamuis calor denominet rem intrinſeca denominatione, calefactio tamen non denominabit, quia ex ſecundario ſignificato connotat habitudinem ad principium à quo fluit, tanquam ad quid piam extrinſecum, ac proinde denominabit patiens denominatione extrinſeca & non intrinſeca. Nonnulli aiunt paſsionem denominare rem aliquam intrinſece, quia iuxta illos hoc proprium eſt huius categ. inter oēs ſex poſteriores, differt tamen (in quiunt illi) à qualitate. vt calefactio à calore, penes fieri, & factum eſſe, quia calefactio ſignificat calorem in fieri, at vero calor qui eſt qualitas, ſignificat calorem in facto eſſe. Ad tertium negamus propoſitionem, nam remanente eodem numero loco, & eadem etiam re numero quæ eſt in illo contenta, poteſt locatum hoc vel alio modo eſſe in loco, vt eſſe pronum, vel ſupinum, eſſe curuum, vel erectum. Cum autem catego. diſtinguantur per modos afficiendi ſubſtantiam diuerſos, & hi modi afficiendi ſubſtantiam diſtinguantur ab inuicem, ſitum eſſe & vbi, diuerſæ proculdubio erunt categoriæ. Ad quartum reſpon. D. Tho. intelligendum eſſe de relatione ſecundum dici, non autem de relatione ſecundū eſſe, nam idipſum profitetur ille nō paucis in locis collectis à Iauello in in eadem quæſt. has nimirum catego. ex præcipuo ſignificato denotare rem abſolutam.

Ad 2. Ad 3. Ad 4.

Ad. 2. 1. Solu.

2. Alia quorum Solutio.

QVAEST. II. AN ACTIONES immanentes contineantur in categoria actionis.

NVlla ratione ipſas in aliqua alia præterquam in hac categoria eſſe contentas, ita poſſumus ſuadere. Primum. Ariſt. 10. lib. Ethic. cap. 2. inquit actiones virtutis non eſſe qualitates: ſed actiones virtutis ſunt actiones immanentes: ergo huius generis actiones in hac categoria erūt comprehenſæ. Secundum. Membra eiuſdem diuiſionis certum eſt, in eodem genere contineri debere: at actio tranſiens (quæ eſt alterum mē brum eius diuiſionis, qua actio in communi in ipſam actionem tranſeuntem, & in immanentem diſtribuitur) continetur in hac categoria, ergo

1. Arg.

2. Arg.

ergo & immanens erit in hac eadem comprehenſa.

Cum actiones omnes vel ſint animæ, vel corporis, animæ, vt intelligere velle, corporis vt verberare, calefacere: & hæ quædam immanentes, vt eæ quæ in eodem ſubiecto à quo fluunt continentur, vel tranſeuntes, vt illæ quæ non ſunt in ſubiecto à quo dimanant, cuiuſmodi eſt calefacere, quærimus ex his actionum generibus quęnam in hac categoria collocentur, num ſolæ trā ſeuntes, vel vtręque potius tranſeū tes, ſimul & immanentes. Quidam è quorum numero ferunt extitiſſe Flandrenſem, exiſtimant omnes actiones eſſe in hac catego. comprehēſas. Alij vero vt Caieta. 1. p. q 45. arti. 1. & 79. arti. 2. & Soncinas 9. metaphy. q. 21. arbitrantur ſolas actiones tranſeuntes contineri in hac categ. quorum opinio nobis magis placet, & ita ſit prima concluſio.

1. opin.

2. Opin.

Actiones immanentes non continentur in hac categoria, confirmatur duobus argumentis. Primum. Actiones quę continentur in hac categoria ſunt veri motus, nam actio diffinitur per motum: ſed actiones immanentes non ſunt veri motus, nam motus eſt ſucceſsiuus, & fit in tempore, actiones autem immanentes ſicut viſio & intellectio fiunt in inſtanti: ergo actiones immanentes non continebuntur in hac catego. Præterea. Illæ actiones continentur in hac categoria, quæ inferunt paſsionem, nam hæc categoria inſcribitur de actione, & paſsione: at actiones immanentes nullam inferunt paſsionem, quemadmodum viſio in pariete, nullam infert paſsionem, ergo iſtiuſmodi actiones non continebuntur in hac categoria.

1. Conc.

Secunda concluſio. Actiones immanentes continentur in categoria qualitatis. Hæc aſſertio apertiſsima eſt, nam cum ſit probatum non contineri illas in categoria actionis, non videtur in qua categoria poſsint cō tineri niſi in catego. qualitatis. Eſt tamen controuerſia ſub qua ſpecie qualitatis contineātur huiuſmodi actiones, quidam enim vt Soncinas in quæſtione propoſita in ſolutione vltimi argu. exiſtimant contineri in prima ſpecie qualitatis, ſub habitu & affectione, nam in illa non continentur tantum qualitates permanentes, & diuturnæ, verum etiā illæ quæ ſtatim pereunt, dum tamē diſponant ſubiectum (vt ſunt actiones immanentes) ad comparandos habitus, vel affectiones. Mihi tamen ſemper placuit illorum opinio, qui conſtituunt huiuſmodi actiones renocandas eſſe ad ſecundam ſpeciem qualitatis, ſcilicet ad potentiam naturalem, ex eo quod facultates immanentes ſunt termini facultatum naturalium, vt actio videndi eſt terminus facultatis videndi, & actio intelligendi eſt terminus intellectus. Vnde cum iuxta ea quæ ſunt à nobis adnotata in Antecatego. termini contineri debeāt in categoria in qua continentur res quarum ſunt termini, continebuntur hæ actiones immanentes in ſecunda ſpecie qualitatis.

Vera opinio.

2. Conclusio.

Tertia concluſio. Actiones tranſeuntes continentur in hac catego. Confirmatur. Actiones vel ſunt immanentes, vel tranſeuntes, ſi immanentes non continentur in hac categoria, ſupereſt itaque vt contineantur in illa aliæ tranſeuntes. Animaduertendum eſt tamen, actiones tranſeuntes poſſe ſumi, vel pro fluxu formæ, vel pro forma fluente, vt calefactio ſumi poteſt, vel pro motu ad calorem, vel pro calore qui per huiuſmodi motum acquiritur. Si ſumantur actiones pro fluxu formæ continentur in hac categor. ſi vero

3. Conc.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sumantur pro forma fluente minime sunt in ea collocandæ, sed in catego sui termini.

Ad 1. argum. Ad argum. ad primum aimus Aristo. eo loco non negare actiones virtutis esse qualitates, sed esse qualitates fixas, & permanentes. Argumentatur enim eo loco aduersus quosdam asserentes omne bonum esse fixum, & permanens, aduersus quos sic insurgit. Actiones virtutis sunt qualitates optimæ: sed hæ non sunt permanentes, ergo. &c.

Ad 2. Ad secundum dicimus in vera diuisione membra diuidentia contineri sub eadem catego. at vero diuisio actionis in transeuntem, & permanentem non est vera diuisio, nã est diuisio vocis homonymæ, quia actio homonymè dicitur de immanente, & transeunte, nõ enim actio immanens vere & proprie dici potest actio, cum nullam inferat passionem, vocatur tamen operatio quem admodum docet D. Tho. 1. Ethico. cap. 1.

QVAEST. III. AN ACTIO *transiens sit in agente uel potius in patiente.*

AGunt etiam dialectici hoc loco de actione, num illa sit in agente, vel potius in patiente, quę q. licet philosophica sit, magis quam dialectica, vt tamen tempori morem geramus, libuit hoc loco eam disputare. Et quidem esse in agente ista conuincere videntur argu. Primum. Omnis forma denominãs debet esse in subiecto denominato: sed actio denominat agens: ergo erit in agente. 1. Arg.

2. Arg. Deinde. In eodem subiecto in quo est effectus formalis alicuius formę, debet etiam & forma illa esse, quem admodum etiam in eodem subiecto in quo est disgregare visum, est albedo: sed agere quod est effectus formalis actionis est in agente: ergo & ipsa actio erit in agente. Præter. Illud in quo est actio denominatur agẽs: sed patiens non denominatur agẽs: ergo actio non erit in patiente. Adhæc. Cuius est potentia eiusdem est actio, vt auctor est Arist. in lib. de somno & vigilia, sed potentia agendi est in agente: ergo actio etiam erit in agente. Rursus. Perfectio est in subiecto quod perficitur, sed actio est perfectio agentis: ergo erit in agente. Porro si actio esset in patiente fieret vt idem accidens numero esset in diuersis subiectis: hoc autem est impossibile, ergo actio nõ erit in patiẽte. Confirmatur propositum. Sit ignis calefaciens duo ligna per vnam, & eandem actionem calefaciendi, quia ab vno igne numero simul & actu tantum prodit vna actio numero: si ergo hæc actio calefaciendi nõ est in igne sed in lignis quæ calefiunt, cũ illa ligna sint diuersa subiecta, eadẽ actio numero erit in diuersis subiectis. Iam. In eodem subiecto in quo est relatio est etiam fundamentum illius, quemadmodum vbi est similitudo est albedo: sed relatio agentis ad patiens est in agente, & illius fundamentum est actio: ergo actio erit in ipso agente. Tandem. Vtor auctoritatibus D. Tho. qui profitetur sæpissime actionem transeuntem esse in agente, vt constare potest ex 1. senten. dist. 4. q. 1. art. 1. q. 8. de potentia art. 2. & 2. senten. dist. 4. quæst. 1. artic. 4. ad 1. 3. Arg. 4. Arg. 5. Argu. 6. Arg. 7. Arg. 8. Arg.

Duo sunt genera actionum inter alia, quæ iam in superiori quæstione indicauimus, vnum actionũ immanentium, aliud transeũtium: immanentes sunt illæ quæ in eodem subiecto à quo fluunt continentur, sicut videre, intelligere, transeuntes vero dicuntur, quæ sunt in alio, vt scindere, vrere, calefacere. Ex his duobus actionum generibus, certũ est apud omnes philosophos actionem immanentem esse in agente tãquam in subiecto, quia hęc actio nõ est perfectio passi, sed agentis, & ita non erit in patiente sed in agente, quod etiam profitetur Arist. 9. metaphy. cap. 9. est tamen maxima cõtrouersia de actione transeunte, in quo illa sit tanquam in subiecto, nũ in agente, vel potius in patiente. Est enim opinio multorum Philosophorum, qui constituunt actionem trãseuntem esse in agente, quam sententiam ipsi explicant in hunc modũ. Actio sumi potest tribus modis, primo pro motu fluente ab agente, secundo pro relatione agentis ad patiens: & tertio pro actu quo mediante reuocatur agens de potentia ad actum, qui actus extat fundamentũ relationis quæ est agentis ad patiẽs. Dicunt ergo actionem non esse motum fluentem ab agẽte, eo quod hic motus non est actio, sed passio, neque relationem præterea, quia actio non continetur in categ. relationis, sed illum actum qui reuocat agens de potẽtia ad actum agendi, & cum hic actus sit in agente, & non in patiente, ob hanc causam dicunt actionem esse in agente. Hanc opinionẽ sequuntur Caiet. 1. p. q. 25. art. 1. Petrus Bergomensis in tabula aurea dubita 35. Aquari. 9. metaphy. q. vltima conclusio. vlt. Scotus 4. sentẽ. dist. 13. q. 1. Antonius Andręas 9. metaphy. q. 4. & omnes etiam Scotistæ hanc opinionem amplectuntur, Bartholo. Torres vir sane eruditus in commenta. 1. p. q. 27. dubita. 4. p. 2. ac plerique alij. Secũda opinio huic contraria est aliorum Philosophorũ qui profitentur, actionem transeuntem esse in patiente, & nullo modo in agente, quam opinionem tenent Herueus quodlibeto 4. q. 4. Soncinas 9. metaphy. q. 20. Iauellus in eodem lib. q. 6. M. Sotus q. 1. lib 3. physico. Toletus in eodem lib. q. 2. Pereyra lib. 13. cap. 7. & multi alij, quam etiam & nos tanquam veriorem libenter sequimur. 1. Opi. 2. opini.

Animaduertimus autem in illius explicationem actionem, & passionem secundum essentiam, & in recto, motum tantum significare, sunt namque actio, & passio vnus, & idẽ numero motus, in obliquo vero, & tanquam extrinsecum aliquod connotatum, actionem significare relationem agentis ad passum, passionẽ vero relationem patientis ad agens. Hoc vero ita esse constare poterit ex vtriusque diffi. Diffinitur enim actio motus fluens ab agente: passio vero motus receptus in patiente, in quibus diffinitionibus motus continetur in recto, agens vero & patiens in obliquo collocantur. Neq. est cur nos præter hæc duo in actione & passione fingamus actum aliquem, qui sit in agente ratio agendi, cum in agente ratio agendi sufficiens sit ipsa potentia agendi, quæ est forma substantialis, vel accidentaria, actus autem, quicunque ille sit, eo ipso quod est effectus agentis ratio agendi esse nullo modo poterit. Hoc animaduerso in explica. q. has subiicimus assertiones, quarũ prima sit. Obser.

Actio iuxta illud quod denotat in obliquo est in agente tanquam in subiecto, id est relatio agẽtis ad passum quam significat actio in obliquo, non est in patiente, sed in agente. Confirmatur hoc duplici medio. Primum. Relatio in eo est tanquã in subiecto, quod refertur: sed agens est illud quod per hanc relationem refertur ad patiens, ergo erit hæc relatio in agente velut in subiecto. Deinde. Hæc relatio non est in patiẽte, ergo erit in agente. Confirmatur antecedens (consequentia enim est aperta) 1. Conc. 1. Arg. 2. Argu.

aperta). Oppositæ relationes non sunt in eodem subiecto: sed relationes agentis, & patientis, sunt oppositæ, ergo non erit relatio agentis in patiente, tanquam in subiecto.

3. Conc. Secunda conclusio. Actio secundum essentiam, & iuxta id quod denotat in recto non est in agente, sed in patiente. In hunc modum hæc conclusio suadetur. Primo. Auctoritate

1. Arg. Arist. & D. Tho. Arist. imprimis cap. 3. lib 3. Physico. inquirens an sit idē actus agentis, & patientis, ait esse vnum, & eundem, agentis tanquam principij à quo, patientis vero tanquam subiecti in quo reperitur: ergo cum actio sit actus agentis, non erit in agente, sed in patiente tanquam in subiecto: & 2. de anima ca. 14. vel textu 119. & 40 bis inquit actionem, & passionem non esse in agente, sed in patiente, quemadmodum actio sentiendi non est in obiecto mouente facultatem, sed est in ipsamet facultate quæ patitur huiusmodi motionem: & 9. metaphy. c 9. disputans hanc q. inquit actionē immanentem esse in agente, transeūtem vero esse in patiente, sicut actio ædificandi quæ est transiens, non est in ædificatore, sed in domo quæ ædificatur. Constat igitur testimoniis Arist. actionem esse in patiente. Præterea idem profitetur D. Tho. vt constare potest, ex 3. de anima lecti. 3. ex 3. physico. lecti. 4. ex lib. 11. metaph. lectio. 9. & ex aliis plerisque locis propositis à Ferrar. 2. con. Gen. cap. 1. quę omnia longū esset recēsere. Secundo. Motus est in mobili tā

2. Arg. quam in subiecto, vt docet Arist. in prin. cap. 3 li. 3. Phy. & in secūda diffin. motus in qua diffinitur motus actus mobilis vt mobile est: sed actio secundum essentiam est motus, vt aperte profitetur Aris. 3. physico. cap. 3. & constat ex eius diffini-

3. Arg tione: ergo actio erit in patiēte. Tertio. Illud subiectum mouetur in quo est motus: ergo cū actio sit motus, si illa esset in agente, per eandē actionem agens ipsum moueretur, per quam agit, atque ita ignis quando mouet aquam ad calorem, seipsum moueret ad calorem: hoc autē quam sit absurdum nemo est qui non probe intueatur: ergo actio nō est in agente tanquam in subiecto. Vltimo. Si actio transiens esset in agente tanquam in subiecto, sequeretur nullum esse discrimen inter ipsam, & actionem immanentem ratione subiecti. nam actio immanens etiam est in agente tanquam in subiecto: at hoc repugnat Arist. constituenti discrimen inter actionem trā seuntem, & immanentem ratione subiecti: ergo actio nō erit in agēte. 4. Arg.

Supersunt denique argu. dissoluē da. Ad 1. aimus duplicem esse formam vnam denominantem intrinsece, aliam vero extrinsece. Forma igitur illa quæ denominat intrinsece subiectum, est in eo tanquam in subiecto, quemadmodum albedo quæ denominat parietem intrinsece album, est in pariete tanquam in subiecto, illa vero quæ denominat subiectum aliquod extrinsece minime in subiecto denominato continetur, quemadmodum locus denominat rem locatam extrinsece, qui quidem non est in illa, sed in corpore locante. Huiusque generis est actio quæ denominat agens extrinseca denominatione, cum tamen non sit in agente, sed in patiente. Ad secundum distinguimus duplicem effectum vnum secundum esse, & denominationem, quemadmodum albedo est effectus albedinis, & alterū secundum denominationem, non tamen secundum esse, quemadmodum vestitum esse est effectus vestium, & esse locatum loci. Quamuis igitur in subiecto in quo est effectus, Ad 1. ar gum. Ad 2.

ctus, secundum essentiam, & denominationem, reperiri etiam debeat & forma denominans, non tamen est necesse vt in eodem subiecto in quo est aliquis effectus secundum solam denominationem, in eodem etiam contenta sit forma denominās, in locato enim v. g. est effectus loci secundum solam denominationem, cum tamen locus qui est forma denominans, minime in ipso locato inueniatur, sed in aere ambiente. Et hoc idem iudicium ferendum se offert de actione, licet enim agere quod est effectus agentis secundum solam denominationem sit in agente, non proinde necessum est, actionem quę est forma denominās in ipso reperiri. Ad tertium dicimus

Ad 3. illud in quo est actio sub ratione actionis denominari agens, in quo tamen est sub ratione passionis, illud non debere denominari agens: & ita quamuis actio sit in patiente, non tamen dicimus patiens agere, quia non est in eo sub ratione actionis, sed sub ratione passionis, non enim est in patiente vt fluit ab agente, hęc enim est propria ratio actionis vt actio est, sed vt recipitur in patiente quæ est peculiaris ratio passionis.

Ad 4. Ad quartum dicimus actionē posse esse alicuius, vel tāquam principij, vel tanquam subiecti illius: cuius ergo est potentia est etiam actio tanquam principij à quo fluit, quia actio fluit à subiecto habente potentiam agendi: illius vero cuius est potentia non est actio tanquam subiecti, ita vt in subiecto in quo est potē

Ad 5. tia debeat etiam esse actio. Ad quintum respon. actionem immanentem esse perfectionem agentis, transeuntem vero de qua loquimur non esse perfectionem agentis sed patientis, vt docet Arist. 9. metaphy. cap. 9. Vel dicimus actionem non esse perfectionem agentis, quæ constituta est in formis agentis siue essentialibus, siue accidentariis, sed esse signum perfectionis agentis, quia illud quod agit signum est debere esse perfectū. Ad sextum respon. hanc actionem sumi posse, vel vt fluit ab igne, vel Ad 6. vt recipitur in lignis: primo modo est illa vna numero quia fluit ab vno igne numero: secundo autem modo non est vna numero sed multiplex, quia ligna quæ sunt subiecta sunt multa numero. Vnde quamuis actio sit in passo non indo sequitur idem accidens numero esse in diuersis subiectis. Ad septimum respon. Ad 7. fundamentum relationis in agente non esse actionem, sed vim & facultatem agendi, actio enim tātum est modus quidam, siue conditio sine qua non, facultas vero siue vis agendi in agente sicut & ipsa relatio reperitur. Ad 8. Ad auctoritates D. Tho. dicimus ipsum nomine actionis intelexisse principium agendi quod est in agente, interdum enim causę ornantur nominibus suorum effectuum.

QVAESTIO IIII. DE NATURA & proprietatibus quando.

DE ordine quem hæ categoriæ obseruant inter se non fuit leuis apud veteres philosophos, Architam Tarentinum, Iamblicum, Plotinum, & alios (vt testatur Simplicius) disceptatio. Verum cum hęc res sit leuis non est cur in illa explicanda immoremur. Sequemur autē ordinem ab Arist. propositum, vt prius de quando, secundo de vbi, tertiò de situm esse, & quarto de habere disputemus. De quibus præter Gilbertum Porretanum quem iam diximus, de his longa satis & diffusa oratione disseruisse, & quem multi ex Latinis cōmentariis eruditissimis,

mis illustrarunt, legi poterunt Simplicius in suis postremis catego. D. Th. opuscu. 48. tracta. 5. B. Albert. Mag. in peculia. de hac re disputa. in fine catego. M. Soto, Veracruce, Venetus, Dolcetus, & alij in huius loci commenta. A Quando igitur vt exordiamur sciendum erit, tempus secundū essentiam esse numerum motus primi cœli, secundum partem priorem, & secundum partem posteriorem, vt 4. physicorum. ab Aristot. diffinitur, secundum proprietatem vero esse mensuram motus, vel rei quę in motu habet naturam, & existentiā constitutam, quæ certe mensura actiue sumpta in eodem tempore tanquam in subiecto reperitur, quem admodum & omnes aliæ proprietates in suis subiectis quęque existūt. Cæterum ab hac mensura res quæ in motu, & successione habet naturam (vt v.g. lectio) quæ absoluitur vnius horæ spacio, à tempore vnius horæ dicitur metita extrinseca quadam denominatione, nam est metita per mensuram quæ non inhæret lectioni, sed tempori, ac proinde extrinseca denominatione dicetur metita, cum hāc appellationem habeat à mensura non sibi sed alteri subiecto inhærente. Sciendum erit etiam aliud esse loqui de esse rem aliquam mensuratam simpliciter, & absolute à tempore, & esse mensuratam ab hoc, vel illo tempore, nimirum ab hac ora, hoc die, hoc mense, & hoc anno. Tempus itaque mensuram rei successiuæ absolute denotat, at quādo denotat rem esse metitā, hoc vel illo tēpore, vt hac die vel illa hora: & ita dicimus quando fuerunt gesta Romanorum, vel Hispanorum præclara facinora, non de tempore absolute quærentes, sed de determinata mensura, & diffinito tempore vt de die, anno vel mense in quo illa gesta fuerunt interrogantes. Adhæc præfanda erit diffinitio huius catego. à Gilberto propositā qui in hunc modum diffinit quando. Quando est illud quod ex adiacentia temporis relinquitur, vt est hodie, esse heri, &c. Itaque quemadmadmodum homo dicitur vestitus à veste, ita etiā quādo esse dicetur ab hac die, illa hora, & altero anno. Vnde illud nec erit tempus quod in catego. quantitatis collocatur, nec relatio inter tempus, & rem quę illi subest, sed esse in tempore, vel à tempore rem extrinseca denominatione, esse hac, vel illa hora, aut die mensuratam.

1. Observatio.

2. Observatio.

3. obser.

His in hunc modum statutis sit prima conclusio. Quando non differt reipsa à tempore. Hanc aduersus nonnullos contrarium asserentes confirmamus. Primo quia Arist. 1. Ethico. cap. 6. quando vocat tempus, & vbi locum, quod certe si reipsa differrent, dici nequaquam posset. Secundo. Quia eædem sunt species vtriusque, nam species temporis sunt Præsens, Præteritum, & Futurum, quæ eædem sunt species Quando, vt Gilbertus cap. 4. agens de quando, & omnes dialectici cum eo profitentur: at quorum sunt eædem species, & illa quoque erunt reipsa eadem inter se.

1. Conc.

1. Argu.

2. Arg.

Secūda conclusio. Quando ratione differt à tempore. Confirmatur imprimis, quia catego. diuersæ saltim ratione ratiotinata debent distinguitur ex Arist. quando, & tempus, diuersas conficiunt catego. quare Quando, & tempus ratione ratiocinata, distinguentur. Præterea. Tempus tantum denotat mensuram rei successiuæ, simpliciter, & absolute, at Quādo denotat extrinsecam quādam denominationem, qua res successiuæ, & in motu constitutæ, ab huiusmodi mensura appellātur mē suratæ. Hæ autem rationes sunt certe inter se separatæ, multumque diuersæ, quemadmodum in loco ambire & mensurare locatum, illudque esse extrinseca denominatione locatum à loco, rationes sunt inter se multum diuersæ. Iam. Tempus tantum significat esse mensuram absolute rerum quæ in successione habent esse: at quando significat esse mensuram, non simpliciter, & absolute, sed hanc, vel illam determinatam, vt esse mensuram huius deambulationis, illius lectionis, & alterius concionis. Vnde quando rogamus quando fuerit lectio, vel cōcio, respon. per certam, & diffinitam mensuram durationis illius, nimirum hodie, vel heri, hora nona, vel decima. Quæ profecto mensurandi rationes, quamuis non re ratione tamen non parum inter se distinguntur, ergo, &c.

2. Conc.

3. Arg.

Tertia conclusio. Hæc categoria quando tantum potest rebus illis ac commodari quarum esse est in motu, & successione quadam constitutum. Hæc aperte est ab Arist conscripta 4. physic. cap. 12. Quia ea tantū sub hac catego. continentur quæ à tempore aliquid pati possunt: at sola illa quorum esse est in successione, & motu constitutum, aliquid à tempore pati possunt. Vnde docebat D. Th. in eodem lib. lect. 10. has sex. vlti. catego. solis rebus corruptibilibus, illis nimirū quæ oriri possunt, & interire, posse accommodari. Ex quibus colligere licebit intelligentias, & substantias sempiternas, quarum esse est ab omni motu & successione liberum, non subesse huic catego. quia illæ neque oriuntur, neque intereunt, neque senescunt, aut vllo modo veterascunt. Quod intelligi debet secundum se, nam si ratione nostræ crassæ & imperfectæ cognitionis agamus, iuxta quam res illas superas, more harum inferiorum intelligimus, etiam huic catego. subiacebunt, quemadmodū tempori etiam subiacent, nam respectu nostri, longior est duratio substantiarum separatarum hoc tempore, quam extiterit mille annis ante actis, cum tamen secundum se illę neque longitudini, neque breuitati temporis, sed æuo quod à tempore multum distat metiantur. Hæc tamen si fuerit attigisse, ne dialecticos limites transgrediamur, de quibus 4. physico. agentes de tempore vberius disputabimus.

3. Conc.

In hac catego. genera intermedia diuidi debent iuxta diaisio nem tēporis, in quando præteritum, præsens, & futurum, nam interrogantibus nobis, quādo aliqua extiterint, vel sint futura, aliquando respon. per quando præteritum, vt fuisse annis superioribus: aliquando per præsens, vt esse hodie, & aliquando per futurum, vt crastina die rē esse, aut anno sequenti futuram. Species vero infimæ quæ sub his generibus continentur, variæ sunt, diuersisq. appellationibus insignitę, vt esse in illo anno, esse in hac die, & esse in altera hebdomoda, & sic de aliis.

Quæ sint genera huius catego.

Proprietates tandem tres sunt. Prima. Quando nihil est contrariū ratione sui, heri enim ratione sui nō contrariatur hodie, neque cras aduersatur anno superiori, quamuis ratione eorum quę huic catego. subiacent, possit aliquid illi esse contrarium, quia heri Ioannes fuit lætus, quidem hodie tristitia est affectus. Secunda. Quando non recipit mægis, neque minus, nam quemadmodum tempus, neque magis recipit neque minus, ita neq. quando quod ab illo deriuatur, neque magis recipiet, neque minus. Tertio proprium est huius catego. vt solum denominet corpora corruptioni, & mutationi obnoxia, nam hæc proprie dicuntur esse, vel fuisse, vel futura esse in tem-

Proprij. huius catego.

1. Proprietas.

2. Proprietas.

3. Proprietas.

tempore quæ sane proprietas ex his quæ in vlt.conclusio. proposuimus satis superque superest explicata.

QVAESTIO V. QVID sit ubi & an differat à loco, & quæ sit illius natura & proprietates.

HAec quæstio maiorem continet, quam superior, in qua de distinctione loci ab vbi interrogamus, difficultatem. Et quidē hæc duo inter se esse distincta, confir. primo. Vbi
1. Arg. nihil est aliud quam forma per motum ad locum acquisita: sed locus non est forma per motum ad locum acquisita: ergo locꝰ reipsa distinguetur ab vbi. Maior propositio est perspicua, minorem vero ita confirmamus. Motus, & terminus motus sūt vnum & idem: sed locus non est motus ad locum: ergo locus nō erit forma per motum ad locum comparata. Secundo ex eodem fundamento
2. Argu. ita ago. Locus est, non existente motu ad locum, ergo motus non est locus. Consequentia est perspicua, antecedens confirmatur, quia si de nouo produceretur corpus aliquod pōderosum illudque ad locum inferiorem moueretur, certe antequam hutusmodi corpus moueretur multo antea erat iam locus inferior, quare poterit esse locus nullo adhuc existente motu ad illum, sed vbi non potest esse nisi adsit motus ad locū: ergo vbi, & locus, reipsa distinguen-
3. argu. tur. Præterea. Si vbi esset eadem res cum loco, quemadmodum locus est in catego. quantitatis, ita & vbi in in eadem contineretur, atque ita nō constitueret diuersam catego. distinctam à quantitate: hoc autem & est falsum, & aduersatur Arist. distinguenti has catego. inter se: ergo vbi, & locus non erunt vnum atq. idē.

De hac quæstione est prima opi- 1. Opin.
nio Capreoli in 2. dist. 6. q. 2. qui putat vbi, & locum reipsa differre, nā vbi inquit non est locus, neq. res locata, sed relatio quædam transcendens inter locum, & rem locatam in interueniens, qua locus refertur ad locatum, & locatum vicissim ad locum. Secunda est Heruei quodlibe. 2. opin.
1. q. Soncinatis 5. metaphy. q 40. & multorum Neotericorum arbitrantium vbi non differre reipsa à loco, sed sola ratione, quorum sane opinio verissima est, atque ita vt illam explicemus, ab illius diffinitione à Gilberto proposita auspicabimur, qui in hunc modū vbi diffinit *Circunscriptio corporis ex circumscriptione loci proueniens*. Vel vt apertius multo dicamus. *Vbi nihil est aliud, quam extrinseca quædam denominatio à loco promanans, qua res in hoc vel illo loco esse dicuntur*. Quā vt recte intelligere postremitatem intimam corporis am- Obserua.
simus sciendum erit, aliud esse extbientis continere simpliciter, & absolute rem locatam, & aliud continere illam in habitudine ad talem longitudinem, vel latitudinem cælorū, aut ad punctum verticale, vel ad polos mundi, nam ex locatis quædam magis distant secundum longitudinem, vt illa quæ à meridiano Fortunatarum versus ortum magis protē duntur, & alia magis distant secundum latitudinē, vt quæ ab æquato reversus polum magis recedunt. Cū igitur his duobus modis possit locus rem locatam continere, simpliciter & absolute, & in habitudine ad talem longitudinem, vel latitudinē, vt absolute continet rem locatam dicetur locus, vt autem continet cū habitudine ad ea quę diximus, vbi merito appellabitur.

Sit igitur assertio, vbi, & locus, 1. Conc.
secundum rem non differunt, sed sunt vnum, & idem. Hanc vt confirmet

firmet Soncinas aduersus Capreolum, & alios statuit tanquam fundamentum firmissimum, id quod mouetur per motum ad locum nullam rem aliam, quam locum comparare. Ita enim profitetur D. Tho. 1. par. q. 110. arti. 3. quiita habet: *Mobile secundum locum non est in potentia ad aliquid intrinsecum, in quantum huiusmodi, sed solum est in potentia ad aliquid extrinsecum scilicet ad locum*. Quib' verbis haud obscure innuit, mobilepre ter locum nullum alium terminū sibi comparare, nam tantum comparat illud ad quod est in potentia: at ex D. Thom. tantum est in potentia ad locum. Iam. Si per motum ad locum acquireretur in mobili aliqua entitas, aut illa esset absolura, aut relata, non absoluta: nam quid illa posit esse, vix, ac ne vix quidem potest declarari: neque relata, quia ad relationem nō est per se motus, vt testatur Aristo. 5. Physico. cap. 2. ergo per motum ad locum nulla entitas comparabitur. Hoc igitur tanquam firmo iacto fundamento hāc assertionem ita confirmamus. Mobile per motum ad locum nihil aliud quam locum sibi comparat: sed per motum ad locum comparat vbi, ergo vbi reipsa non differet à loco.

2. Conc. Secunda conclusio. Vbi ratione ratiocinata differt à loco. Hæc certe apertissima est, suaderiq. potest primo, quia inter categorias diuersas,
3. Arg. vt minimum distinctio rationis ratiocinatæ debet interuenire, quæ sufficit, vt categoriæ sint inter se distinctæ: sed locus continetur in catego. quantitatis, vbi vero peculiarē constituit categoriam à quantitate distinctā, ergo vbi, & locus, ratione
4. Arg. ratiocinata distinguentur. Iam. Locus tātum denotat tantum simplicem, & absolutam mensuram rei locatæ, vel continere rem locatam: vbi vero significat extrinsecam quandam denominationem, qua ex adiacentia loci ad locatum, res dicitur locata: at continere tantum, vel ita continere, vt ex continentia res extrinseca denominatione dicatur esse locata, rationes sunt non parum diuersæ. Præterea. Simpliciter continere, & 3. Arg.
continere cum habitudine ad hanc, vel illam longitudinem, vel latitudinem cœlorum, sunt rationes diuersę, at locus est superficies intima simpliciter continens locatum, vbi vero est eadem, vt continens cum tali habitudine, quare locus, & vbi ratione ratiocinata distinguentur.

Tertia conclusio. Duplex est Vbi, 3. Conc.
circunscriptiuum vnum, & alterum diffinitiuum. Nam cum vbi ex loco oriatur, imo sit eadem res cum illo, quemadmodū duplex est locus, circunscriptiuus, & diffinitiuus, duplex etiam erit vbi, circunscriptiuū & diffinitiuum. Circunscriptiuum erit, rem contineri ab aliqua superficie in habitudine ad talem distantiam nimirum longitudinem, vel latitudinem: diffinitiuū vero erit ita esse in tali loco determinate cum habitudine ad talem distantiam, vt simul in alio loco eadem res esse nullo modo possit. Atque ita quando rogamus de re aliqua, vbinam sit illa? respondemus (si fuerit substantia corporea) illam esse intra ambitum huius superficiei, cum habitudine ad talem distantiam: vel si spiritalis fuerit, dicimus illam esse ita in hoc loco, & cum tali distantia, vt in alio esse simul nulla ratione queat.

Quarta conclusio. Sub hac categ. 4. Conclusio.
non sola corpora, verū etiam & substantiæ spiritales finitæ cōtinentur. Confirmatur, quia quæcunq. sunt in loco, continentur etiam in hac categoria, at in loco non tantum substantiæ corporeę, verumetiam & spiritales finitæ (vt Angeli) continentur. Vnde quidam duplex efficiunt vbi,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vbi, simplex vnum, & compositum alterum, simplex est vbi substantiarum separatarum, quia non habet res quæ in illo cõtinetur partes iuxta partes loci extensas: compositum vero est vbi substantiæ corporeæ, quæ iuxta partes extensas loci, habet etiam suarum partium extensionem. Cæterum cum in superiori cõclusione dictum fuerit duplex esse vbi vnum circunscriptiuum, & alterum diffinitiuum, substantiæ spiritales erũt in vbi diffinitiuo, etenim quando sunt in aliquo loco, ita sunt ibi, vt in alio simul totali, & adequato, existere nulla ratione queãt. Substantiæ vero corporeæ erunt in vbi circunscriptiuo, nam cum sint affectę quantitate, circunscribentur à quantitate loci, à qua extrinsece in habitudine ad talem distantiam, locatæ nuncupabuntur. Diximus autem substantias spiritales finitas in hac categoria comprehẽdi, quia substãtia spiritalis infinita, vt est Deus Opt. Max. non continetur limitib⁹ alicuius categoriæ. Vnde neque erit in loco circunscriptiue, neque diffinitiue, sed (vt ita dicam) repletiue, quia immensitate suæ naturæ, & orbes cœlestes, & terram ipsam replet, nam *cælum & terram* (inquit) *ego impleo*. De qua re legendus est D. Th. cum reliquis Theologis 1. par. quæstio. 8.

Obseru.

2. Proprietas.

Proprietates quæ vbi consequuntur sunt duę. Prima vbi nihil est cõtrarium, neque enim esse in Gymnasio, vel Lyceo, contrariatur ei quod est esse in foro, vel in templo. Quod siquis dicat. Locus superior contrariatur inferiori: ergo & vbi superius contrariabitur inferiori. Respond. locum superiorem ratione sui non contrariari loco inferiori, sed ratione qualitatum, quia in loco superiori sunt quædam qualitates ad tuenda quædam corpora, & in inferiori aliæ contrariæ ad conseruanda alia corpora continentur, vt tradũt Philosophi 4. Physi. de loco disputãtes.

Obiect.

Solutio.

2. Prosprietas.

Secunda proprietas est, vbi neq. recipit magis neque minus, neque enim vna res magis dicitur locata in habitudine ad talem distantiam ab vna quam ab altera superficie. Species illius cum ex speciebus loci oriantur, non erit difficile intellige re. Erunt igitur imprimis illius species vbi circunscriptiuum & diffinitiuum. Circũscriptiuum varias sub se formas complectetur, nam quoddam erit superum, aliud inferum, aliud dextrum, & aliud sinistrum, aliud ante, & aliud retro, nam in has formas est etiam locus distributus.

Occurramus iam argum. quæ in initio proposuimus. Ad primum negamus assumptionem, ad cuius confirmationem dicimus motum ad locum, & locum esse rem vnam, & eandem, quæ vt est in fieri, vel adquiri dicitur motus, vt autem habet esse fixum, & permanens, vel postquam est comparata dicitur locus.

Ad 1. ar argum.

Ad secundum respond. negando consequentiam, quia fundamentũ etiam est nulla existente relatione, cum tamen non differat reipsa ab illo. Pari etiam ratione quamuis locus possit esse sine motu ad locum, non tamen recte colligetur esse reipsa distinctum à motu. Vnde res hæc quando habebit esse fixum, & permanens locus dicetur, quando vero successiue paulatim que comparabitur erit motus. Solutiones sunt hauſtæ ex Soncinate, quæ apud ipsum legi poterunt.

Ad 2.

Ad vltimum respon. negãdo propositionem, quia ad distinctionem categoriæ sufficit distinctio rationis ratiocinatæ, & non est necessaria distinctio realis inter rẽ, & rem: at quamuis locus, & vbi, sint idem re, differunt tamen ratione ratiocinata,

Ad vlt.

nata, vt docuimus, ac proinde in diuersis Categoriis collocabuntur.

QVAESTIO VI. DE NATURA SITVM ESSE IPSIVSQUE PROPRIETATIBVS.

Variæ situm esse significationes.

SItum esse (quam catego. alij) positionem vocant) denotat ordinẽ partium totius in aliquo loco, qui ordo tribus modis sumi potest. Primo pro relatione quadam, & habitudine partium inter sese, iuxta quam quædam est prior, alia posterior, vna antecedit, & alia subsequitur, qua ratione si vsurpetur situm esse in catego. relatorum collocabitur, vt in illa catego. iam docuerat Aristo. nam habitudo prioris, ad posterius, relatio quædam est, ac proinde in catego. relatorum continebitur. Secũdo sumitur pro ordine partium in aliquo toto, ita vt in illo certum ordinem partes retineant, vt in homine v.g. caput est in loco eminentiori, pedes in loco inferiori, & pectus in medio, hic inquam ordo partium in toto in catego. quantitatis continetur, nam est extensio partium, & diuisio in aliquo toto, in qua sitam esse naturam quantitatis, iam supra in illa catego. docuimus. Sumitur tertio pro ordine partium totius in aliquo loco, ita vt in illo partes ordinem quendam retineant, nã quædam sunt in loco supero, aliæ in infero, aliæ ad dextram, aliæ ad sinistram: & hic ordo partium in loco est qui constituit hanc catego. situ esse. Diffinitur igitur à Gilberto in hũc modum. *Quædam partium positio, & generationis ordinatio, secundum quã dicuntur stantia, vel sedentia, vel aspera, vel lenia vel quomodolibet aliter dispositа.* Quã diffinitionẽ vt probe intelligamus sciendũ erit, duplicem esse partium dispositionem, naturalem

Diffini. situm esse.

vnam, & alteram accidentalem, vel liberam, naturalis est quam natura ipsa concessit animantibus, iuxta quam partes hominis ita sunt inter se à natura cõstitutæ, vt caput in locum superum feratur, pedes deorsũ tendant, vna manus ad sinistram, & alia ad dextram progrediatur. Accidentalis vero vel libera est, quam humana voluntas pro insita libertate præfigit, vt stare, sedere, cubare, esse pronum, supinum &c. Cum igitur dentur hæ duæ differentiæ positionis, inter partes (in diffinitione proposita) prima pars denotat positionem liberam, vel accidentalem, partium in loco, altera vero *& generationis ordinatio* exprimit earundem partium in loco positionem naturalem. Sciendum est tamen hanc partium respectu loci dispositionem, non esse ita annexam corporibus quæ sunt in loco vt non possit abeis separari, nam in sanctissimo Eucharistiæ sacramento partes corporis Christi Domini non habent ordinem aliquem respectu loci, non enim vna pars est in vna parte hostiæ & alia in alia parte, sed totũ corpus est in singulis partibus illius, & totum in tota illa, est enim in sacramento non quidem modo quantitatiuo, vel extenso, sed modo substantiali, & indiuisibili, vt omnes Theologi profitentur.

Obser.

Species huius catego. ex diuersis differentiis positionis partium in loco sunt petendę, vnde esse pronum, esse supinũ, sedere, stare, cubare, & alia huius generis, erunt quasi species huius catego. quæ ex his variis modis essendi & differentiis de promi debent. Sunt autem duę proprietates huius catego. Prima Situm esse aliquid est contrarium, nam esse pronum contrariatur ei quod est esse supinum, & esse ad dextram, ei quod est esse ad sinistram. Secunda.

Quæ species, & proprietates.

Situm esse recipit magis, & minus, nam ex his qui sunt erecti, quidam sunt magis quam alij, & ex his qui iacent curui, quidam curuiores quã alij iacent.

QVAESTIO VII. DE NATURA habitus & eius proprietatibus.

Tres sunt habere significationes.

VAriæ sunt huius vocis significationes de quibus Arist. 4 physi. 5. metaphy. & in Postcatego. disseruit, quibus in suum locum coniectis habitus vno modo sumitur pro qualitate ex sua natura difficile mobili à subiecto, qua ratione constituit primum genus qualitatis, significat etiam habitudinem, & relationem rei omnino extrinsecę, ad illud cuius dicitur esse, qua ratione dicimus nos habere amicum, & dignitatem aliquam esse habitam à nobis. In quibus loquutionibus habere significat habitudinem ad amicum, vel ad dignitatem omnino extrinsecam ab habente, quæ duæ significationes alienæ sunt à nostro instituto. Vnde tertio significat formam, vel rem certo modo circa corpus se se habentem, qua ratione dicimus esse vestitum, esse calciatum, vel esse togatum, in qua significatione cõstituit hanc catego. diffiniturque à Gilberto in hunc modum. *Habitus est corporum, & eorum quæ circa corpus sunt adiacentia.* Id est est forma vel res ex cuius adiacentia circa corpus res vestitæ, vel calciatæ, vel quidpiam huiusmodi, nominantur. Vnde habere vestem neque erit homo vestitus, neque ipsa vestis absolute, sed vestis quę adiacet homini, vt ab ea homo extrinseca denominatione vestitus nuncupatur. Sunt autem tria necessaria ad constitutionẽ huius catego. Primum vt quod habet, & quod habetur sit præditum corpore, vnde in substantiis spiritalibus non reperitur aliquid huius categoriæ. Secundum, vt habens, & quod habetur subiecto, & supposito differant, quemadmodum homo qui habet vestes differt subiecto ab illis. Verum non dicimus hoc modo habendi huius catego. entia naturalia habere qualitatem, quia qualitas & ens naturale non differunt subiecto, sed alio modo multum diuerso de quo agemus in Postcatego. Tertium vt id quod habet circunscribatur ab eo quod habetur, quemadmodum homo indutus vestibus circũscribitur ab illis, hoc autem aliquando fit in toto corpore, vt quando homo est togatus, nam toga circumscribit totum corpus, & aliquando fit in aliqua eius parte, vt quando aliquis est chirotecatus, ocreatus, calceatus, nam chirotechę tantum circumscribunt manus, ocreę crura, & calcei pedes.

Tria necessaria ad hanc catego-ria.

Diffiniri habere.

TER-

TERTIA PARS huius operis de Postcatego.

De Contrarijs caput primum.

ARGVMENTVM CAP.

TRia præstat præcipue Aristo. in hoc cap. in 1. par. proponit species contrariorum, illarum que naturam patefacit, in 2. compa rat contraria inter se, & tandem in vltima quædã Theoremata tradit.

NVnc de contrarijs, quot modis opponi soleant, disseramus. Contrariorum autem genera sunt quatuor. Vnum eorum quæ cum aliquo conferuntur: alterum eorum quæ diuersa dicuntur, tertium eorũ quæ priuantia, quartum eorum quorum alterum ait quid, alterũ negat. Hæc autem omnia, ut exemplis rem adumbremus sic contraria sunt, in iis quæ cum aliquo conferuntur, ut duplum, simplum: in iis quæ aduersa dixi, ut bonum, malum: priuantia, ut cæcitas, & aspectus; aientia, & negãtia ut sedet, non sedet. Ea quidem contraria quæ cum aliquo conferuntur, quidquid ipsa sunt, contrarij esse dicuntur, aut quoquo modo aliter ad id affecta sunt. Vt duplum simpli, quidquid ipsum est, alterius esse dicitur. Est enim alicuius duplum. Scientia etiam & res quæ sub scientiam cadit, ut ea quæ cum aliquo conferuntur, inter se opponuntur, quippe cũ & scientia tota sit in eo, ut sit rei quæ sub scientiam cadit scientia, & res quæ subiecta est scientiæ, ad scientiã tota referatur. Res enim quæ scientia comprehenditur, alicui scientiæ subiecta est. Quæ igitur, ut relata opponuntur, quicquid ipsa sunt, ita referuntur ad sua opposita, ut eorum esse dicantur, ut quoquo alio pacto inter se affecta sunt. At uero quæ ut aduersa, contraria sunt, neutiquam inter se ita affecta sunt, ut uim naturamq; suam inter se referant, sed tamen inter se sunt contraria. Non enim bonum, mali bonum appellatur, sed contrarium. Differunt igitur hæc inter se contrariorũ genera. Quæ autem aduersa sunt eiusmodi, ut necesse sit alterum inesse in iis, in quibus natura insunt, aut de quibus dicũtur, inter ea nulla media interiecta sunt. Quorum uero non est necesse inesse alterum, in medio eorum aliquid est collocatum. Vt morbus & sanitas, in corpore animalis natura existunt, & alterũ necesse est, uel morbum uel sanitatem animantis corpori conuenire. Impar etiam & par in numero dicitur, alterutrum q; necesse est in numero reperiri: nec inter ægrotationem & ualetudinem par, & impar quicquam medium interiectum est. Quorum non est necesse alterutrum inesse, in medio eorum aliquid

quid collocatum est. Veluti candor, & atror in corpore natura nascuntur, & tamen non necessariò alterutrum inest in corpore, cùm præsertim non omne corpus album sit, aut nigrum. Item malum & bonum & in homine, & in alijs plerisque illa quidem dicuntur, sed tamen alterutrum non est necesse in iis inueniri de quibus dicuntur. Nõ enim uel mala sunt uel proba omnia. Itaque his interiectum est aliquid, ut inter album colorem, & nigrum fuscus, & pallidus, & cæteri colores, & inter malum, & bonum, quod neque malum est, neq; bonum. Ac nonnullis quidem medijs rebus imposita sunt nomina: ut fuscus & pallidus inter album & nigrũ medij sunt colores, & cæteri eiusdem generis. In aliis non est facile id quod medium est nomine uno appellare et exprimere: definitur autem utriusq; extremi negatione, uelut quod nec bonum est, nec malum, quod nec iustum est nec iniustum. C. Priuantia autem in eodem aliquo reperiuntur, ut in oculo cæcitas & aspectus. Atque ut rem in pauca conferam, in quo natura debet, ac solet esse habitus, in eodem utrunque dicitur existere. Priuari uero tum denique dicitur aliquid eorum quæ apta sunt ad percipiendum habitum, cùm in quo debet inesse, aut quando debet haberi, nequaquam inest. Edentulum enim appellamus, non quod dentibus caret, & cæcum, non quod caret oculis: sed quod non habet ea tum, cùm natura inesse debent. Sũt enim quædam quæ à primo ortu oculis careant & dentibus, quæ tamen nec cæca, nec edẽtula dicuntur. D. Priuari autem re, & habere rem, non idem est quod priuatio, & habitus: quoniam habitus est aspectus, priuatio cæcitas: nec habere oculos est ipse aspectus, nec cæcum esse, ipsa cæcitas. Nam priuatio quædam cæcitas est; at cæcum esse, est priuatum esse, non priuatio. Deinde si idem esset cæcitas, quod cæcum esse, profectò de eodem utrumque dicere tur: nunc cæcus homo dicitur, cæcitas homo non dicitur. Videntur autem inter se opponi priuari re & habere rem, eodem modo quo priuatio, & habitus. Eadem est enim ratio oppositionis. Vt enim cæcitas aspectui opponitur: sic cæcum esse etiam & aspectum habere inter se opponuntur. E. Neid quidem quod sub affirmationem & negationẽ cadit, idem est quod affirmatio & negatio. Nã & affirmans est oratio, affirmatio & negatio oratio negans: at quod sub affirmationem & negationem cadit res est, non oratio. Hæc autem inter se opponi, ut assertio & negatio dicuntur, quoniam in iis eadem ratio repugnantiæ ualet. Nã ut assertio & negatio inter se contrariæ sũt, ueluti sedet & non sedet: sic res quæ utroque eorum continentur, ut sedere aliquem, & non sedere, contrario opponuntur nomine. F. Priuantia uero nõ opponi inter se ut relata, hinc intelligi potest, quod uis eorum non ex mutua comparatione intelligitur & pendet. Non enim aspectus, cæcitatis aspectus dicitur, neque ullo alio modo ad eam affectus est. Similiter nec

nec cæcitas quidem aspectus cæcitas appellatur: uerum uisus priuatio cæcitas dicitur, uisus cæcitas non dicitur. Præterea quæ cum aliquo conferuntur, reciprocantur omnia. Itaq; si in iis cæcitas esset quæ cum aliquo conferuntur, certè illud etiam reciprocaretur quocum comparatur. At ei uicissim non respondet. Neque enim aspectus cæcitatis aspectus nominatur. G. Atque etiam ne more quidẽ eorum contrariorum quæ aduersa dixi, inter se contraria esse priuantia, hinc perspicitur. Nam contrariorum eorum inter quæ non est medium, alterutrum necesse est semper inesse iis quibus natura conueniunt, aut de quibus dicuntur. Inter ea enim nihil medium interiectum esse posuimus, quorum alterutrum in eo reperiretur necessariò, quòd uim ad id accipiendum haberet, ueluti inter morbum & bonã ualetudinem, inter parem numerum & imparẽ. Inter quæ autem medium est, nunquam necesse est alterutrum in ulla re inueniri. Neque enim necessario album est aut nigrum neque calidum aut frigidum id omne, quod uim habet hæc recipiendi: quippe cum nihil prohibeat aliquid eorum, quæ inter hæc ipsa media sunt interiecta, conuenire. Iam uero inter ea etiam medium aliquid est, quorum alterutrum in eo non reperitur necessario, quod id recipere potest, nisi quibus natura alterum tributum sit: ut ignis natura calidus est, & nix alba. In his enim definitè alterum inesse necesse est, non alterutrum utrumuis occurrat. Neq. enim fieri potest ut ignis frigidus sit, aut nix atra. Ergo non necesse est alterũ eorum in omni re inesse quæ uim habet ad recipiendum sed in ea sola cui alterum innatum est, & insitum, atque ei alterum definitè conuenit, nõ alterutrum. At uero in priuantibus neutrum uere dicitur. Neque enim semper necesse est in eo quod recipere illa potest, inesse alterum. Cui enim nondum natura conuenit aspectus, id neque cæcum esse, neque uidere dicitur. Ita nunquam hæc in iis esse possunt aduersis, inter quæ non est medium. Nec in iis quidem quibus medium interiectum est. Necesse est enim aliquando in omni re quæ uim habeat ad ea recipienda inesse alterum quoniam quod tempus à natura constitutum est ad despiciendum, in eo animal uel cæcum est, uel despicit: atque eorum non præfinitè alterum dicitur, sed alterutrum, neque enim necesse cæcum esse, aut uero sensum habere uidendi, sed alterutrum. At uero eorum contrariorum inter quæ medium est, nunquam alterum in omnibus quæ recipere possunt, sed quibusdam solùm, idq; præfinitè alterũ non alterutrũ, inest necessario. Qua re perspicuum est neutro modo priuantia inter se contraria esse, quo cõtraria sunt inter se ea quæ aduersa nominauimus. Postremò aduersorũ permanente re subiecta fieri potest uicissim inter ipsa commutatio, nisi si cui alterum natura sit tributum, ut igni calidum esse. Nam & ualentes in morbum incidere possunt, & alba nigra fieri, & frigere quæ calescunt:

Universidad de Deusto
Biblioteca

scunt: ex bono etiam improbus, & uicissim ex malo probus effici potest. Prauus enim si ad meliorem usum ratione mq; ex mala deducatur, iam habeat ad uirtutem progressionis aliquantum. Cùm autem semel, uel parum in uirtute processerit, profectò perfectam uirtutem tandem consequi poterit, aut certe magnam in uirtute faciet progressionem. Semper enim aptiores animos habet ad uirtutem, quamuis parum initio in ea processerit, ut uerisimile sit eum maiorem progressum esse facturum. Atque id si semper fiat, tandē certe aliquando, nisi tempus impediat, perfectè contrarium habitum consequetur. At priuantibus nulla uicissim inter se fieri mutatio potest. Et si enim ex habitu in priuationem sit commutatio, tamen regressus ex priuatione in habitū fieri nullo modo potest. Neque enim qui oculis semel captus est, unquam postea iterum despexit: nec caluus comam recepit, nec edentulus dentes. H. Aientia autem & negātia non esse inter se contraria ullo genere rum quæ cōmemorauimus, ex hoc intelligi potest, quòd in his solis necesse est uerum unum esse, falsum alterum. Nam nec aduersorū necesse est semper alterum uerum esse, alterum falsum nec eorū quæ cum aliquo conferuntur, nec priuantium. Vt bona ualetudo & ægrotatio aduersa sunt, neutrumq; nec uerum est, neq falsū. Itemq; duplum & simplū in iis sunt contrarijs quæ cū aliquo cōferuntur, nec alterum uerū est aut falsum. Ne priuantia quidē, ut aspectum & cæcitas. Omninoq; nihil quod in coniunctione non dicitur, uerum esse aut falsum ullo modo potest. At quæ enumerata sunt, simplicia, non coniuncta sunt omnia. Sed in iis certe aduersis quæ coniuncta sunt id potissimum uidetur contingere. Nam ualere Socratem, & Socratem ægrotare aduersa sunt. Attamen ne in iis quidem necesse est semper horum alterum uerum esse, falsum alterum. Etenim si in uita maneat Socrates, alterum uerum, alterum erit falsum. Sin ex uita excesserit, utrunq; falsum. Si enim Socrates nullus sit omnino, nec ægrotare eum uerum est, nec ualere. In priuantibus si omnino nullus sit, neutrū uerum est: sin in uita sit, non semper alterum uerum, alterum falsum est. Cum enim despicere Socratē, & cæcū esse Socratem priuantia sint, tamen non necesse est alterum uerū esse uel falsum. Nam quo tempore nondum ei natura conuenit aspectus, ambo falsa sunt: quo autem tempore in uita non manet Socrates, utrūq; etiam falsum est, & despicere eum, & cæcum esse. At aientium & negantium siue Socrates in uita sit, siue nullus sit omnino, semper alterum falsum, alterū uerum est futurum. Nam ægrotare Socratem, & non ægrotare, si is in uita maneat, perspicuum est alterum uerum esse alterū falsum. Itemq; si discesserit è uita. Nam ægrum esse eum, cùm nullus sit omnino, falsum est: nō ægrum esse, uerum. Quare aientium & negantium proprium illud est, eorum alterum uerum esse semper falsumq; alterum. I. Bono autem malum aduersa

aduersatur necessariò, idque ex inductione rerū singularū intelligi potest, ut bonæ ualetudini morbus aduersatur, iustitiæ iniustitia, fortitudini ignauia, & cætera eiusdē generis. Malo uerè aliàs bonum, aliàs malum cōtrarium est. Nam parum & nimium quæ sunt in malis, inter se sunt contraria: similiterque mediocritas, quæ utrique contrario nomine opponitur, in bonis est. Atque id quidem in paucis perspici licet, in compluribus semper malo bonum aduersatur. K. Deinde aduersorum, si alterum sit in rerum natura, non est necesse esse alterum, quandoquidem si omnes ualentes sint, bona ualetudo erit, morbus non erit. Itemque si albi omnes sint, candor erit, atror non item. Iam si Socratem ualere & Socratem ægrum esse contraria sunt, non possūt autem simul ambo eidē inesse, certè si alterum sit, stare alterum nullo modo necesse est. Nam si Socratem ualere uerum sit, non erit uerum ægrotare Socratem. L. Atq; etiam illud perspicuum est, in eodem aut specie aut genere, existere solere contraria ea quæ aduersa diximus. Vt bona ualetudo, & morbus in corpore animantiū, candor & atror omnino in corpore, iustitia & iniustia in animo hominis sitæ sunt. M. Postremo omnia cōtraria quæ diximus aduersa, uel in eodem genere, uel in contrariis generibus sunt, uel ipsa genera sunt necessariò. Nam & candor ac atror in eodem genere, quia eorum genus color est, sunt, & iustitia & iniustitia in generibus contrariis, illius enim uirtus genus est, huius uitium: & bonum & malum non sunt ullius generis, sed ipsa sunt genera aliquorum.

COMMENTARIA.

A *Nunc de contrarijs, &c.* In hac tertia, & ultima huius operis catego. parte, agit Arist. de his, quorum effecta est mentio in catego. Vnde & communi nomine inscribitur illa de Postcategoriis. Auspicatur vero eam à contrariis, quorum licet ab Arist. nulla si tradita diffinitio, hæc tamen à nobis tradi poterit. Contraria sunt duo aliqua extrema ita inter se pugnantia, vt neutrum cum alio eodem modo pugnet, quemadmodum albedo, & nigredo ita inter se pugnant, vt neque albedo, neque nigredo eodem modo queant cum reliqua pugnare. Diuidit vero contraria Arist. in quatuor species scilicet in relata, aduersa, priuantia, & cōtradicentia. Quænam autem sint relata iam docuimus in superioribus, ea nimirum quorum tota vis est referri ad aliud, cuiusmodi sunt simplum, & duplum. Aduersa (quæ communi nomine dicuntur contraria) diffiniuntur, extrema quædam ad inuicem inter se pugnantia, quæ sub eodē genere posita, inter se maxime distant, & vicissim subiecto insunt, à quo se mutuo expellunt, nisi alterum inditum fuerit à natura, cuiusmodi sunt albedo, & nigredo, color, & frigus, quę ex eo inquit Arist. separantur à relatis, quia in illis totum esse vnius, est referri ad aliud, vt totum esse simpli est referri ad duplum: at vero in contrariis, totū esse vnius non est referri ad aliud, nam esse boni, non est referri ad malum, sed contrariari malo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

B *Quæ autem aduersa*, &c. Proponit Arist. duas diuisiones aduersorum. Prima est. Aduersa vel cõtraria quædam habent medium, & alia sunt sine illo, illa sunt sine medio, in quibus necesse est vnum ex aduersis in esse subiecto, vt sunt par, & impar, in numero, nam necesse est omnem numerum esse parem, vel imparem, & sanum, & ęgrum in animali, quod exemplum tanquam philosophus proposuit Arist. vt adnotat Simplicius, nam iuxta Medicos inter sanũ, & ægrũ datur aliquod medium. Illa sunt cõtraria cum medio in quibus non est necesse alterum, vel vtrumque extremorum esse in subiecto, vt sunt albedo, & nigredo, calor, & frigus, nam tepidum est medium in quo neque calor, neque frigus reperitur, & purpureum etiam est mediũ quod neque est album, neque nigrum. Secunda diuisio est. Ex contrariis quæ habent medium quædã sunt quæ habent medium nominatum, & alia quæ habent ipsum innominatum, v. g. calor, & frigus sunt contraria habentia medium nominatum, tepidum nimirum, bonum vero, & malum, sunt contraria medio nominato destituta, licet illud per negationem vtriusque extremi ita nõnunquam circumloquamur, medium inter bonũ, & malum illud dicẽtes, quod neq. est bonum, neq. malum. Vocatur autem huiusmodi medium à Seueri. Boetio, & ab aliis Latinis Philosophis indifferens.

C *Priuantia autem*, &c. Priuantia diffiniũtur habitus, & priuatio quæ nata sunt fieri circa idem subiectũ, tempore à natura constituto absq. regressu, vt sunt cæcitas, & visus, lux, & tenebræ, nam hæc nata sunt fieri circa idem subiectum, s. circa animal vel aerẽ, tẽpore à natura constituto, nam si nõ aduenerit adhuc tempus constitutum, non habere formam non erit priuatio, vt catulum non habere visum ante nonũ diem, nõ est priuatio, præterea absque regressu, nam à cæcitate ad visum, per naturam nullus potest fieri regressus.

D *Priuari autem*, &c. Confirmat deinde Arist. priuationem, & esse priuatum, non esse vnum & idem his argu. Primum. Paronymum & forma non sunt vnum, & idem: sed priuatio, & esse priuatum sunt paronymum, & forma, ergo non erunt vnum, & idem. Secundum Alicui cõpetit priuatum esse, de quo non prędicatur priuatio, nã de homine prædicatur esse priuatum, vt esse cæcũ, de quo tamen non dicitur priuatio, non enim dicimus hominem esse cęcitatem. Nihilominus tamen inquit Arist. quamuis priuari, & esse priuatum non sint vnum, & idem, opponuntur tamen eodem modo, scilicet priuatiue, nam quemadmodum cæcitas opponitur priuatiue visui, ita cæcus opponitur etiam priuatiue videnti

E *Ne id quidem*, &c. Contradicentia quamuis non sint hoc loco diffinita ab Arist. ita tamen poterũt diffiniri. Affirmatio, & negatio, eiusdem de eodem, vt sunt sedere, & nõ sedere, currere, & nõ currere. Animaduũ Arist. hæc cõtradicentia maxime distingui à rebus affirmatis, vel negatis, quemadmodum priuatio distinguitur ab esse priuato, veruntamen eodem inquit genere oppositionis opponuntur res quæ affirmantur, & negantur, quo affirmatio, & negatio inter se contrariantur, quẽadmodum in his propositionibus Petrus sedet. Petrus non sedet, quia duæ hæ orationes opponuntur contradictorie, ita quoque res significatæ quæ sunt Petrus sedens, & Petrus non sedens, opponuntur contradictorie.

F *Pri-*

2. Pars capitis.

F *Priuantia vero*, &c. In hac 2. parte cap. comparat Arist. contraria inter sese, atque imprimis priuantia cum relatis, tradens duo discrimina inter illa interuenientia. Primum est. Tota natura vnius relati est referri ad alterum, non autem tota natura vnius extremi priuati est ad aliud referri: nam non est de natura cæcitatis referri ad visum, aut de natura visus ad cæcitatem referri. Secundum. In relatis hæc lex seruatur vt se mutuo consequantur, at vero in his quæ opponuntur priuatiue non obseruatur hæc lex, nam posita cæcitate in homine non est necesse vt statim consequatur in eo visus.

G *Atque etiam ne more quidem*, &c. Comparat deinde priuantia cum aduersis, constituitque tria discrimina inter illa. Primum est. In aduersis quæ non habent medium, alterum illorum necesse est esse in subiecto, qnod tamen non est opus in priuantibus, nam non est opus quod ante nonum diem catulus sit videns, vel cæcus. Differunt secundo quia in aduersis quæ habent medium non est necessum vt alterum illorum tempore etiam à natura diffinito sit in subiecto, sicut necessum non est vt in aliquo corpore sit albedo, vel nigredo, cum in eodem esse possint alij medij colores: in priuantibus autem necessario debet alterum illorũ in subiecto tempore a natura diffinito reperiri. Tertio differunt quia ab vno aduerso ad alterum, datur motus, vt à calido, ad frigidum, & & conuerso, at vero à priuatione ad habitum non datur motus, neque regressus vllus, saltim per naturam, vt à cæcitate ad visum, vel à morte ad vitam.

H *Atientia autem & negantia*, &c. Comparat tandem Arist. contradicentia cum aliis contrarariis dicens, in contradicentibus verum, & falsum, in aliis vero contrariis neque verum, neque falsum inesse, cuius ratio est quia in contradicentibus potest fieri oppositio secundum aliquam enuntiationem, vt quando dicimus Petrus sedet, Petrus non sedet, in aliis vero contrariis fit oppositio penes voces simplices, & quia veritas, & falsitas reperitur in enuntiationibus, & non in vocibus simplicibus, propterea in contradicentibus reperitur veritas, & falsitas, & non in aliis contrariis. Quod si in quibusdam reperiantur veritas, vel falsitas: differunt tamen maxime à contradicentibus, quia in aliis renõ existente, neutram partem dicimus esse veram, quemadmodum mortuo Socrate dua hæ enuntiationes Socrates ęgrotat, Socrates valet, quę sunt aduersæ, sunt ambæ falsæ, & hæ etiã priuatiuæ, Socrates videt, Socrates est cæcus, ac tandem hæ relatiuæ Socrates est pater, Socrates est filius: at vero in contradicentibus siue res existat, siue non existat, vna debet esse vera, & altera falsa, nã Socrate mortuo, ex his duabus contradicentibus, Socrates ægrotat, Socrates non ęgrotat, negans est vera, & affirmans est falsa.

3. Pars capitis.

I *Bono autem malum aduersatur*, &c. In 3. & postrema par. c. Arist. proponit quatuor theoremata, quibus maxime exprimitur vis contrariorum quæ dicuntur aduersa. Primum est. Bono tantum contrariatur malum, malo vero, & bonum, & malum contrariantur, quemadmodum iustitiæ quæ bona est, tantum contrariatur iniustitia, at vero paucitati contrariatur nimietas quæ est mala, & mediocritas quæ est bona.

1. Theorem.

k *Deinde aduersorum*, &c. Si vnum contrarium exiterit in rerum natura, non est necesse, & alterum etiam esse, quemadmodum morbus, & optima valetudo sunt contraria, non

2. Theorem.

tamen est necesse, vt existente optima valetudine sit morbus quoque in rerum natura, nam si ex hypothesi omnia animalia recte valeant, erit optima valetudo in rerum natura, non tamen erit morbus, quod theoréma intelligendum est secundum potestatem logicam, vel per non repugnantiam, quia non repugnat vnum contrarium existere absque eo quod aliud etiam existat, non autē de potestate naturali, ita enim falsū illud est, & ipsimet Arist. aduersatur 2. de cœlo cap. 3. cōstituenti esse necessarium iuxta naturam, vt existente vno contrario, alterum quoque in rerum natura debeat existere.

3. Theoréma. L *Atque etiam illud, &c.* Tertium. Omnia contraria vendicant sibi certum aliquod ac determinatum subiectum cui inhæreant, quemadmodum iustitia tantum est in homine, morbus etiam & valetudo tantum reperiuntur in animali, candor autem & atror in corpore.

4. Theoréma. M *Postremo omnia contraria, &c.* Quarrum theoremma. Omnia contraria continentur, aut sub eodem genere, aut sub diuersis, aut tandem constituunt diuersa genera: albedo v. g. & nigredo, continentur sub eodem genere: sub diuersis iustitia, & iniustitia, nam iustitia continetur sub virtute, & iniustitia sub vitio: tandemque bonum & malum constituunt duo genera suprema, vnū bonorum & alterum malorum. Vbi nomine boni intelligendum est perfectum, nomine vero mali imperfectum, quæ duo diffundūt se per omnes categorias, & omnia rerum genera, nam in omnibus illis vna species est perfecta, & altera imperfecta, quemadmodum in his commentarijs adnotat Simplicius.

*

Scholia in caput de Contrarijs.

1. obser. A 1. Andronicus Rhodius (vt testatur Simplicius) & nonnulli alij ex veteribus existimarunt hanc tractationem Postcatego. non ab Aristotele, sed ab aliquo Peripatetico posteriore adiectam fuisse. Verum hi errant in primis quia omnes Peripatetici Porphy. Simpli. Ammo. Boetius, B. Alber. Magn. & denique omnes recentiores illam tanquam verum, & legitimum fœtum, tribuunt Arist. hanc autē regulam in principio huius operis obseruandam tradidimus ad veros, & non adulterinos Aristo. libros dignoscendos, vt scilicet illos tanquam legitimos habeamus, qui & Philosophorum consensu, & maiorum traditione tanquam ab Aristo. editi habentur. Secundo quia nisi hæc tractatio adiecta fuisset ab Arist. mancum profecto, & imperfectum remāsisset opus istud categor. ab illo editum: multorum enim mentio effecta fuit in catego. quorum explicatio cum ibi cō mode tradi non potuerit, necesse erat vt tractatio aliqua adderetur, in qua luce clarius, hæc omnia explicata remanerent. Legendus est Franciscus Patricius lib. 3. discussionum Peripateticarum.

Opinio Andronici. Confutatur. Confutatur. 2.

2. obseruatio. A 2. Cur autem Postcateg. in hoc opere vltimum sibi vendicent locum, causa est (inquit Simplicius) quia vulgo erant notæ, & cum deliberarent longam tractationem, ne vel sermonis series interturbaretur esset que disputatio Antecatego. & Catego. nimis prolixa, in hunc locum tanquam commodiorem fuit reiecta.

3. Obserua. A. 3. Verum merito poterit quis dubitare, ob quam causam in Postcatego. à contrarijs exordium duxerit Arist. Nos huius rei duas possumus assignare rationes, prima, quia frequētius in categoriis meminerat contrariorum. Secunda quia in lib. sequentibus erat de eisdem diffusius pertractaturus, ac proinde voluit de ipsis pluribus verbis, & in ingressu postcatego. disputare, imitatus in hac re Architam Pytagoricū, qui (vt testatur Simplicius) de contrarijs eorumque natura volumen quoddam satis ingens ædiderat.

4. Obserua. A 4. Cum contrarietas quædam in vocibus simplicibus, & alia in cō iunctis cernatur, vt homo, non homo, opponuntur in simplicibus: at homo est albus, & homo non est albus opponuntur in compositis, in hoc cap. de cōtrarietate quæ in simplicibus reperitur potissime disputat Aristo. nam de compositis in sequentibus libris de Interpret. copioso satis sermone disputauit. Illud etiam non erit obliuioni tradendū, ne possit perturbatio aliqua subori ri, contraria à quibusdam hoc eodē nomine ornari, ab aliis vero dici aduersa. Vnde quæ à nobis aduersa in commentarijs nuncupantur, communi nomine ab aliis contrariorum nomine insigniuntur.

5. Obserua. M. Inquit bonum, & malum, esse duo quædam genera suprema, multas suo ambitu formas cōplectentia, quæ verba obscura sunt, ac proinde variis modis exposita ab interpretibus, vt Simpli. hoc loco & D. Tho. 1. q. 1. de malo profitentur. Duæ interpretationes (aliis prætermissis) nobis videntur acommodatæ. Prima, Simplicij, quā in commentariis proposuimus, nomine boni intellexisse Arist. perfectum, & nomine mali imperfectum, & quia hęc duo se diffundunt per omnia rerum genera, quia in quolibet genere vna species est perfectior, & altera minus perfecta, propterea hæc duo, duo genera suprema conficient. Altera est Iamblici Arist. locutum esse iuxta opinionem Pytagoreorum, qui constituebant duo genera suprema, sub quibus omnia complectebantur, vnū bonorum, & alterum malorum. Sub bono continentur Vnum, Mas, finitum, dextrum, quiescens, rectū, lux, impar, quadratum, mens, æquale: sub malo vero includebant multitudinem, fœminam, infinitum, finistrum, quodmouetur, curuum, tenebræ, par, altera parte longius, opinionem, inæquale. Consulendus est Caietanus.

DE

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE MODIS QVI bus aliqua sunt priora Cap. secundum.

ARGVMENTVM CAP.

POst explicatam naturam contrariorū docet quot modis aliqua dicantur priora quia de his etiam effecta fuit mentio in categoriis.

PRius aliud alio quadrifariam dicitur. A. Primum genus est & maxime proprium, tempore ex quo aliud alio uetustius & antiquius appellatur. Antiquius enim ac uetustius quid dicitur ex eo quod tempore antecedit. B. Alterum à quo non retrò commeat consecutio, qua ex uno alterum esse concluditur, quo in genere unum duobus prius est. Nam si duo sint, continuò sequitur unum esse. Vnum autem si sit, non necesse est duo esse. Ita non uicißim retro cōmeat, consequens esse si unū sit, ut duo sint. Prius igitur huius generis dicitur, à quo non commeat retrò uicißim consequentia qua ex uno alterū esse colligitur. C. Tertiò quodā ordine prius appellatur: id quod in scientiis & orationibus uideri licet. Nam in scientiis quæ demonstrationes adhibent, aliquid prius ordine & posterius continetur: initia enim & elementa priora sunt ordine iis quæ describuntur, & in Grammatica elementa priora sunt syllabis. Eadem est ratio oratio num. Exordium enim prius est ordine narratione. Extra ea etiam quæ enumerata sunt genera, quod melius est, & præstantius, id prius naturà uidetur. Quinetiam solent plerique eos qui sunt clariores, quiq; sibi sunt chariores apud se priores esse dicere: quod genus ferè alienißimum omnium habetur. Atq; hi sunt fere prioris modi qui feruntur. Videtur autē esse præterea aliud eius genus. D. Eorum enim quæ uicißim retro commeant, cum ex uno alterum esse concluditur, quod causa est quomodocunque cur sit alterum, id recte prius naturæ ordine dicitur. Esse autem eius generis quædam, hinc intelligi potest, quòd esse hominem & uera de eo oratio, sic reciprocātur, ut si homo sit, uera sit oratio, esse hominem, & si esse hominem uera sit oratio, sit homo. Vera autem oratio minimè causa est, cur res sit, resque potius causa est quodammodo, cur uera sit oratio. Nam quia res sit aut non sit, idcirco uel uera uel falsa oratio dicitur.

Quinque ergo modis alterum altero prius habetur.

(?)

COM-

COMMENTARIA.

EXplicat iam modos quibus aliqua dicuntur priora, sunt autē quinque, nimirū tempore, natura, ordine, dignitate, & reciprocatione.

A *Primum genus est, &c.* Illa sunt priora tempore, quæ sunt aliis antiquiora, quēadmodū pater est prior tempore filio, quia est eo antiquior, & gesta Troianorum sunt priora rebus Romanorum, & vnico verbo, quæ vel ortu, vel duratione alia antecedunt, hoc modo dicentur priora.

B *Alterum à quo, &c.* Illa sunt priora natura à quibus non valet status consequentiæ, qua ratione animal est prius natura homine, quia ab animali ad hominem, non est recta consequentia, neque enim recte sequitur animal est, ergo homo est, qua ratione vniuersaliora sunt priora natura minus vniuersis, quia ab ipsis ad alia non valet status consequendi.

C *Tertio quodam ordine, &c.* Illa sunt priora ordine, quæ in compositione tenent primum locum, quem admodum in syllogismo propositio est prior ordine assumptione, & assumptio conclusione, & in oratione exordium est prius narratione, narratio confirmatione, & confirmatio epilogo.

D *Quin etiam solent, &c.* Illa dicuntur priora dignitate, quæ in repub. tenent primum locum, & clariorem, quemadmodum Rex est prior dignitate in Repub. consules in ciuitate, & Prætor in oppido.

E *Eorum etiam, &c.* Tandem illa vocātur priora reciprocatione, quæ inter se conuertuntur, ita tamen vt vnum sit causa alterius, sicuti hæc oratio, Socrates sedet, reciprocatur cum Socrate sedente, nam si Socrates sedet, verum est dicere Socratem sedere, & eo sedente, vera est hęc oratio, nam ex eo quod res est vel non est dicitur oratio vera vel falsa, attamen quamuis hæc inter se conuertantur, prius tamen est Socratem sedere, quam quod hęc oratio vera sit, Socrates sedet. Nonnulla quæ hoc loco se poterant offerre in q. vlti. proponentur.

DE MODIS QVIBVS ALIqua sunt simul. Cap. 3.

AAGVMENTVM CAP.

QVæ simul sunt opponuntur iis quæ sunt priora, optime igitur post explicatam naturam priorum, quæ sint simul explicat Arist.

A SImul autem sunt ea simpliciter & maxime proprie quorum ortusin eodem tempore est. Neutrum enim horum nec prius nec posterius esse potest. Hæc autem simul in tempore dicuntur. B. Naturà uerò simul sunt ea, quæ reciprocantur illa quidem in argumentatione, qua si unum sit, alterum esse concluditur, sed neutiquam alterum causa est alteri ut sit: quod in duplo & simplo cernere licet, quæ sic reciprocantur, ut si duplum sit, etiam simplum sit: & si simplum sit sit duplum, & neutrum causa

sam

sum alteri ut sit afferat. c. *Atq; etiã ea quæ ex eodem genere quasi ex altera parte diuidendo respondent, simul naturà esse dicuntur. Ea autem ex altera parte cùm diuiduntur inter se respondent, quæ ex eadem sunt diuisione: ut uolucre, terrenũ & aquatile, in quæ animal diuiditur. Atque horum neutrum altero prius est. sed simul naturà sunt. Hæc uero rursum in species secari possunt, nempe uolucre, gradiens & aquatile. Sunt igitur illa etiam simul naturà, quæ cum sint ex eodem genere, eadem diuisione continentur. Genera autem formis antiquiora sunt semper. Neque enim uicissim retro commeant, cùm esse unum si sit alterum conficitur: ut si sit aquatile, sit animans, at si sit animans, non sit necessariò aquatile. Sunt igitur simul naturà, & quæ reciprocantur, cum neutrum causa sit status alteri, & quæ inter se ex eodem genere diuiduntur. Sed ea simpliciter simul sunt, quorum ortus eodem est tempore.*

COMMENTARIA.

CVm esse simul opponatur ei quod est esse prius, egeritque Arist. in superiori cap. de modis prioris in hoc cap. disputat de his quæ simul esse dicuntur.

A *Simul autem sunt*, &c. Duobus modis aliqua dicuntur esse simul tẽpore, & natura, tempore illa sunt simul, quorum ortus sit in eodem tẽpore, qua ratione dicimus duos gemellos esse simul, & duas lectiones, quæ una & eadem hora absoluuntur, simul tempore esse dicimus.

B *Natura uero*, &c. Simul uero natura dicuntur duobus modis. Primo quorum est mutua existendi cõsequentia, & unum non est causa alterius, ut sunt omnia relata, duplũ u. g. & simplum, pater, & filius, nam si duplum est, & simplum quoque debet esse, & si fuerit simplum, duplum quoque erit, nec tamen unũ alterius causa esse poterit.

C *Atque etiam ex eodem*, &c. Secũdo illa dicuntur simul natura, quæ simul diuidunt aliquod genus, qua ratione sunt omnes species sub eodem genere proximo contentæ simul natura, ut sunt in genere animalis, terrestre, volucre, & aquatile, nam in has species est animal (quod ad ipsa est genus) distributũ. Quod intelligi debet de speciebus cum genere collatis, nam si inter sese illæ conferantur, bene poterit una esse prior altera, ut in numeris, & figuris intuemur, inquibus binarius est prior ternario, & ternarius quaternario, qui si cum numero quem diuidunt conferantur, simul natura esse dicentur.

DE

DE GENERIBVS
motus caput 4.

ARGVMENTVM CAP.

SExproponit species motus, duasque dissoluit dubitationes, & tãdem explicat quænam motui contrarientur: unde in has tres partes poterit cap. distribui

MOtus autem sex sunt genera, ut ortus, ut interitus, ut accretio & imminutio, uariatio. quæ uulgò alteratio, & loci mutatio. A. Ac cæteras quidem motiones inter se differre, hinc perspici potest, quod ortus non est interitus, nec incrementum imminutio, nec loci commutatio Eadem est ratio cæterarum. In uariatione autem hoc dubium est, sit ne necesse id quod uariatur exaliqua reliquarum motionũ mutari. Quod non ita est. Accidere enim potest, ut omnibus affectibus, aut certè permultis uariemur cum interim nulla cæterarum motionum in huius ueniat societatem. Neque enim aut crescere, aut imminui necesse est id quod affectibus uariatur. Similis est ratio cæterarum. Ita necesse est diuersam esse à cæteris motionibus uariationem alterationemue. Etenim si eadem esset profectò quod uariatur omne uel augeri oportet, uel diminui, uel aliquẽ alium motum consequi, at non est necesse. B. Similiterq. id quod crescit, aut alio motu agitatum est, uariare tur necessariò. At qui sunt quædam quæ cùm crescant, eadem tamen nulla consequitur qualitatum mutatio. Velut quadratum circũiecto gnomone, crescit illud quidem, sed tamen nihil uariatur. Quod idem in cæteris sit eiusdem generis. Quare differunt inter se motiones. c. Motioni autem omnino ac simpliciter quies contraria est singulisque singulæ. Nam & ortui contrarius est interitus & accessioni abcessio, & loci commutationi in loco quies. Maximè autem hic uidetur contraria esse, in contrarium locum mutatio: ut ei quæ deorsum fit mutationi, ea quæ sursum fit, & quæ deorsum ei quæ sursum. At uerò reliquæ motionis nõ est facile explicare, quodnam sit contrarium. Videtur enim contrarium illius nullum esse, nisi quis etiam in hac quietem quæ ad qualitatem pertineat, aut mutationem in contrariam qualitatem contrario nomine opponat: sicut in loci mutatione, quietem in loco, aut in contrarium locum mutationem. Est enim uariatio nihil aliud nisi in qualitate mutatio. Ita contraria est qualitatis mutationi quies quæ in qualitate spectatur, uel certè in contrariam qualitatem mutatio, ut album fieri, & nigrum fieri contraria sunt:

quip

quippe cùm res uarietur, quoties in contrarias qualitates fit mutatio.

COMMENTARIA.

1. Pars cap. SEX genera motus proponuntur ab Arist. ortus, & interitus, accretio, & decretio, commutatio, & loci mutatio; quorum diffinitiones hoc loco prætermittit Arist. quia rudi & crassa Minerua de ipsis hic disputat, disputaturus accurate de eisdem in lib. physico.

2. Pars capitis. A *Ac ceteras, &c.* Proponit duas dubitationes in hac secunda parte Prima est. An cõmutatio (vel altera ratio) differat ab aliis speciebus motus: nam ortum differre ab interitu, & accretionem à decretione, loci cõmutationem ab his omnibus, certũ est, & exploratum. De commutatione autem hoc est dubium: cui respõdet Arist. ipsam differre ab aliis motus generibus, nã fieri potest vt re immota secũdũ alia genera motus remanẽte mutetur ipsa secũdum cõmutationem, etenim absq. eo quod animal oriatur vel intereat, accrescat vel decrescat, vel loco mutetur potest calefieri, vel frigefieri, vel aliquam qualitatum subire mutationem.

Solui. 1 dubita.

2. Dubitatio dissoluitur. B *Similiterque, &c.* Secunda dubitatio est, an accretio differat à commutatione. Cui respondet differre ab illa, quia potest aliquid accrescere, & fieri maius absque vlla commutatione, vt quadratum potest fieri maius addito Gnomone, & extrinseco latere, absque vlla commutatione, ortu, vel interitu, vel loci mutatione. Vnde non tantum differet accretio à commutatione, verum etiam & ab aliis generibus motus.

3. Pars capitis. C *Motioni autem, &c.* Explicat Arist. in hac tertia parte, quænam motui contrarientur, inquitque motui duo contrariari, & motum contrarium, & quietem, quod certe in motu ad locum est apertissimum, nam motui v.g. lapidis in locum inferiorem, aduersatur motus ignis in locũ superiorem, & quies quæ est illius priuatio: in aliis vero motibus (quãquis hoc assignare sit difficile) etiam cuilibet hæc eadem contrariantur, vt calefactioni, quæ est motus ad qualitatem, & frigefactio, & quies in calore aduersantur, & accretioni decretio, quæ est motus contrarius, & quies in maiori quantitate etiam opponuntur.

Scholia in ca. 4. de generibus motus.

Obser. 1 A 1. Non debet putare aliquis ex eo has species motus propositas esse sic nuncupatas, quia motus sit verum genus illarum, nam non esse ex eo poterit primo constare, quia non continetur in certa catego. nam & in quantitate, & in qualitate, & in vbi ille reperitur: at natura quælibet generica in certa, ac diffinita categ. continetur. Secundo. Quia motus diffinitur per actum, & potestatem, sic enim ab Arist. diffinitur, 3. physico. cap. 2. nimirum *Actus entis in potentia, vt est in potentia*. At actus & potentia (cum sint naturę transcẽdentes) nõ prædicantur synonymè, sed analogice, quare neque motus prędicabitur synonyme, ac proinde nõ erit natura generica. Tertio quia natura generica ex æquo competit omnibus suis inferioribus: at vero motus prius dicitur de motu ad locum, quam de aliis, & inter motus ad locum, de circulari quam de recto, vt 8. physic. abunde satis demonstrat Aristo. Vocat igitur has species (vt interpretatur Boeti.) vel genera inter

intetmedia motus, vtens nomine speciei in communiori significatione, vt significat quamlibet naturã, sub alia secundum essentiam comprehensam, siue analoga fuerit, siue synonyma. Vnde motus natura erit analoga, cum prius de vno motu, quam de alio dicatur, vt in Philosophia (Deo fauente) ostendemus.

2. Obserua. A 2. Illud etiam sciendum erit, motum in has species diuisum, non esse verum motum, & vt distinguitur à mutatione, vt scilicet significat viam quandam successiuam, vnius ad alterum, sed vt ambit mutationem omnem, amplectitur enim ortum, & interitum, quæ non sunt veri motus, vt Arist. docet, & confirmat 5. physico. sed instantaneæ quędam, & subitæ mutationes. Itaque idem est diuidere motum in has species, quod mutationẽ ipsam in illas distribuere, vt Iamblicus, & Simplicius, in hoc loco obseruarunt.

3. Obseruatio. B 1. Explicandum est breuiter quid sit quadratum, & quid Gnomon, quo exemplo vtitur Aristo. vt explicet fieri accretionem absque alteratione. Quadratũ est figura quædam quatuor lineis rectis circumscripta, quæ omnes si fuerint æquales huiusmodi figura quadratum dicetur, si vero inæquales extiterint, quadrangulum, vel quadratum altera parte longius nũcupabitur. Gnomõ vero est latus extrinsecum quadrati, vel vt dicunt illius supplemẽtum, nam si diametrum quadrati (quod est linea ab angulo ad angulum quadrati ducta ipsum in duas portiones æquales distribuens) extra latera quadrati paululum protrahatur, poterit ad latus quadrati supplementum quoddam vel latus extrinsecum depingi quod communi nomine à Mathematicis Gnomon nuncupatur. Quod certe qua ratione fiat, posset vnusquisque facile cõspicere, si nobis copia harum figurarum in typographia concessa fuisset, verum facile est ex Euclide, Boetio, Theodosio, Theone & ex aliis Mathematicis huius rei aliquod exemplum depromere. Igitur quadratum addito Gnomone non mutat figuram, sed semper remanet idem quadratum, quamuis maius quam antea erat, ac proinde absque vlla commutatione, vel alteratione potest in ipso fieri accretio.

4. Obserua. B 2. Quando hisce verbis docet Arist. accretionem posse esse sine alteratione, vel commutatione, non est intelligendus de vera accretione, quæ scilicet fit perintus susceptionem, à priore facultate attrahendi effectam, hac etenim ratione accretio nequit esse sine commutatione, vt Aristo. 1. de ortu cap. 5. docet. Vnde Galenus 1. lib. naturalium facultatum inquit accretionem, & decretionem esse motus cõpositos, ex alteratione, & loci mutatione: nã ad accretionem inter alia necessaria est concoctio, & assimilatio partis quæ sine alteratione fieri nequam possunt. Sed loquutus est de accretione in communi quadam significatione, vt significat quamlibet quantitatem maiorem de nouo additam, etiã ab extrinseco prouenientem, vt constat in exemplo de accretione quadrati quæ certe non est accretio physica, & vera, sed impropria, cum fiat per additionẽ Gnomonis ab extrinseco prouenientem Quidam hoc loco agunt num dentur pauciores species motus quam sint hæ enumeratæ ab Arist. verum non est hic locus quæstionem agitãdi, cum sit hęc res philosophica. Non me latet Vallesium, & alios nonnullos accretionẽ ab speciebus motus procul reiicere. Verum sitne hæc opinio à veritate aliena: 5. physicor. & 1. de ortu ostendemus.

C Quamuis motui hæc duo contrarientur non tamen vna, & eadē, sed diuersa ratione contrariantur, nam motus contrarius opponitur contrarie, quies vero priuatiue. Verum cū duplex sit quies vna in termino à quo, & alia in termino ad quem, quies quæ contrariatur motui, non est illa quæ est in termino ad quem, cū hæc sit illius perfectio, sed altera quę est in termino à quo, vt quies quæ contrariatur motui lapidis ad locum inferiorem, non est illa qua in centro transacto motu lapidis quiescit, sed altera, qua quiescebat in loco supero antequam moueretur.

DE GENERIBVS habendi Cap. vlti.

ARGVMENTVM CAP.

VNica parte totum caput absoluit, varias in mediū eius quod est habere, significationes proponens.

A *Habendi etiam genera sunt permulta. Aut enim habere ut habitum & affectionē dicimur, aut aliam aliquam qualitatem. Scientiam enim quandam & uirtutem habere dicimur. Velut quantitatem, ut qui certa est magnitudine, dicitur magnitudinem habere trium quatuorue cubitorū. Velut ea quæ corpus uestiunt, ut uestem aut tunicam habere dicitur quispiam. Vel in parte, ut in digito anulum. Vel tanquam partem, ut manum uel pedem. Et tanquam in uase, ut modius habet & continet triticū, uel uinum amphora. Nam & amphora uinum, & modius triticum habere dicitur. Hæc uero omnia quia ut uas quoddam illa continent, illa ipsa habere dicuntur. Habere etiam aliquid ut possessionem dicimus, ueluti domum & agrum. Atque etiam uir mulierem habere, & uirum mulier dicitur. Quæ significatio uerbi habendi una ex omnibus alienissima est. Neque enim illud habere uxorem significat aliud nisi eam matrimonio esse cum uiro coniunctam. Sunt alij quoque fortasse habendi modi, sed nos omnes ferè exposuimus, qui crebrius usurpantur sermonibus.*

COMMENTARIA.

IN hoc vltimo capit. varias eius quod est habere, nobis proponit Aristot. significationes, quas octo recenset.

A *Habendi etiam genera, &c.* Prima est qua significat habere habitum, & affectionem, vt habere scientiam, & virtutem. Secunda est habere quātitatem, vt duorum, trium, vel quatuor cubitorū magnitudinem. Tertia est habere aliquid circa se, siue adiacens corpori, vt habere vestes, vel arma. Quarta est habere aliquid in parte, vt anulum in digito, vel aurem in auricula. Quinta est habere partem, vt manum, vel pedē. Sexta est habere aliquid in vase, vt modius habet, & continet triticum & amphora vinum. Septima est habere, ideſt possidere aliquid vt possidere domos, agros, seruos, & pecunias. Octaua est habere mulierem, & habere virum, quæ certe vltima significatio, est prę ceteris omnibus aliis recensitis, āmodis habendi alienissima, nam hoc genus habendi, nihil aliud est nisi esse virum cum fœmina matrimonio coniunctum, vel fœminam cum eodem, eisdem matrimonij legibus perpetuo copulatam. Hi igitur sunt modi, quibus aliquæ dicimur habere, fortasis autem plures sese poterant offerre, de quibus 4. physico. & 5. metaphysico. erit iterum oratio repetenda. Hactenus igitur de contextu, & litera Arist.

Sectio vnica in Postcategorias Aristotelis.

ARGVMENTVM.

SEquitur tandem, vt vltimam manum disputationi Categoriarum, & Postcategoriarum imponamus, vt nōnullis quæstionibus ea quæ ab Arist. proposita fuerūt, sintne vera necne, examinemus. Maxime vero ea quæ ad contrarietatem spectant, erunt diligenter expendenda, cum sit hæc tractatio apprimè vtilis, & ad omnes scientias assequendas non parum necessaria, de qua Metaphy. cum Arist. 10. lib. diffusa satis oratione disseruerunt.

Sectio vnicæ Quæstio I. Sintne vera quæ ab Arist. tradita fuerunt de contrarijs.

QVAE ab Arist. de contrarijs tradita fuerunt egregia quidē sunt, & quæ ne vnquam obliuioni tradantur dignissima. Verum quia illa nonnullis difficultatibus sunt inuoluta, erunt illæ hoc loco proponendæ. Primoque non recte esse diuisam oppositionem in has quatuor species confirma. Omnis

1. Arg. diuisio debet fieri per membra opposita, vt omnes Dialectici vno ore profitentur: sed hæc non fit per membra opposita: ergo non erit optima diuisio. Confirmatur minor propositio. Quidquid alteri opponitur aliqua oppositione opponitur: ergo si membra huius oppositionis opponerentur, haud dubie aliqua oppo-

sitione opponerentur, atq. ita oppositionis esset oppositio, progrederemurque in infinitum, quod certe admitti nullo modo debet. Secũdo. In optima diuisione non debet vnum ex membris diuidentibus sub alio comprehendi, vt perscribunt leges diuisionis ab omnibus Dialecticis propositæ: sed in hac diuisione vnũ membrum includitur sub altero, etenim oppositio contradictoria includitur in omnibus alijs oppositionibus, vt 10. lib. Metaphy. passim docet Arist. ergo nõ erit hæc optima diuisio oppositionis. Tertio aduersus id quod docet de contrarijs immediatis, dari nimirum aliqua contraria immediata, in hunc modum argumentor. Si darentur huius generis contraria illa nõ differrent ab his quæ cõtradictorie opponuntur: at hoc dici nulla ratione potest: ergo falsum erit dari aliqua contraria immediata. Confirmatur propositio quia est proprium oppositionis contradictoriæ, vt in illa nullum detur medium & ita diffinitur ab Arist. 1. de Demon. c. 2. oppositio cuius non est medium secundum se: ergo si darentur aliqua contraria immediata non distinguerentur illa ab his, quæ contradictorie opponuntur. Præterea. Duæ Catego. vt quantitas & qualitas magis distant, quã candor & atror, quę contrarie opponuntur: non ergo contrarietas est maxima distantia, vt inquit Arist. Tum etiã calidum, & frigidum opponuntur contrarie: at non maxime distant, magis enim distant calidissimum, & frigidissimum, quam calidum, & frigidum. Addo candorem, & medium aliquem colorem, opponi contrarie ex Arist. 5. Physico. cap. 1. at inter candorem, & quemlibet alium medium colorem, vt viridem, vel cæruleum, non est maxima aliqua distantia: non igitur recte dictum fuit contraria illa esse quæ inter se maxime distant. Deinde. Malum est priuatio boni, vt tenebrę sunt priuatio luminis, & cæcitas visus: ergo non fuit recte ab Arist. constitutum bonum, & malum opponi contrarie, cum opponantur priuatiue. Vltimo. Idem Arist. 2. de cœlo cap. 4. profitetur quod si vnum oppositum fuerit in rerum natura, & alterum quoque in eadem etiam rerum natura esse debet, non igitur recte constituit hanc esse legem contrariorum, vt nimirum vno posito alterum statim auferatur.

1. Arg.

2. Arg.

3. Arg.

4. Arg.

5. Argu.

6. Arg.

Hæc tamen argumenta remorari nos nequaquam debent, quominus verissimam sententiã Arist. in hoc cap. propositam amplectamur. Atq. ita sigillatim erunt obiectiones traditæ dissoluendæ. Ad primam igitur respon. negando minorem propositionem, & ad confirma. aimus has formas oppositionis quæ sunt veluti quædã illius species, opponi quoq. inter se non quidem oppositione alicui⁹ generis ex his quatuor quæ est propria, & absoluta oppositio, sed oppositio impropria, ea qua species alicuius generis inter se opponuntur, quæ significat distantiã aliquorum extremorum, vt differẽtiarum, quæ simul eidem speciei in esse nequaquã possunt. Neque hinc fit dari progressum in infinitũ, quia in oppositione harum specierũ, deueniendum erit ad oppositionem differẽtiarum, ibiq. sistendum erit, neq. vltra erit progrediendum. Ad secundum argu. distinguimus maiorem propositionem, nam potest illa intelligi idemptice, vel formaliter: si idemptice fuerit intellecta, falsum est non posse vnum membrũ diuisionis sub alio contineri: si vero formaliter intelligatur vera est, & admittenda. Res hæc exemplo satis familiari fieri potest manifesta. Bonũ

Dissoluuntur argumẽ.

Ad 1.

Ad 2.

D. Tho. 1. p. q. 5. art. 6.

v. g. diuisum est ab omnibus Philosophis, in honestum, vtile, & delectabile, in qua profecto diuisione membra diuidentia idemptice ita sunt inter se affecta, vt vnum sub alio contineatur, nam eadem res est bonum honestum, vtile, & delectabile, nimirum idem studium literarum, quod in se maximam continet honestatem, in animoque eximiam quandam dulcedinem mentisq. generat oblectationem, & si ad quæstum relatum fuerit, non parum poterit nobis ad ditandum adiumentum conferre: verum quamuis idemptice sint hęc membra vnum, atque idem, ratione tamen differunt, alia si quidẽ est ratio boni honesti, alia vtilis, & alia delectabilis. Eadem igitur ratione in hac diuisione oppositionis in quatuor ista mẽbra, vnũ ex illis sub alio poterit idemptice cõtineri, vt oppositio contradictoria sub oppositione contraria, vel priuatiua, nam eadem res, & contrarie & contradictorie opponi poterit, vt albedo, v. g. & contrarie opponitur nigredini, & contradictorie cum in se negationem nigredinis includat: formaliter tamen non continebitur oppositio contradictoria sub aliqua ex alijs oppositionibus, alia etenim est ratio illius, & alia aliarum oppositionum, nam ratio illius est esse affirmationem, & negationem eiusdẽ de eodem, ratio vero oppositionis contrariæ, est extrema quæ ita opponuntur, ita sub eodem genere comprehendi sub quo maxime distant, vt subiecto vicissim insint, à quo mutuo se expellunt, nisi alterum insit à natura. Oppositа priuatiue sunt habitus, & priuatio, quæ nata sunt fieri circa idem subiectum, cũ aptitudine recipiendi vtrumque, tẽpore à natura præfinito. Ratio tandem oppositionis relatiuæ, in eo est constituta, vt extrema ex aduerso se intueantur. Ad tertium respon. esse latum discrimen inter contradictoria, & cõtraria immediata, quia quãuis contraria immediata ratione sui non habent medium vllum, at ratione sui generis, nõ repugnat ipsis illud habere, quia contrarietati in communi (quæ est genus intermedium contrarietatis immediatæ) non repugnat medium aliquod habere at extrema contradictoria, neque ratione sui, neque ratione sui generis (quod est affirmatio, & negatio) possunt medium aliquod habere. Vel dicere possumus duplex esse mediũ, vnum participationis, & alterum inhæsionis: tepidum (v. g.) est mediũ participationis caloris, & frigiditatis: aqua vero est medium in hæsionis, quia est subiectum cui caliditas, & frigiditas inhærent. Itaque eo differunt contraria immediata, ab oppositis contradictorie, quia in oppositis contradictorie, neque datur mediũ participationis, neque inhæsionis: in alijs vero quæ contrarietate immediate opponũtur, quãuis non detur medium participationis, datur tamen medium inhæsionis. Etenim quamuis iner sanum, & ægrũ, (quæ iuxta Arist. sunt contraria immediata) non detur medium participationis, quod scilicet vtriusq. extremi naturam obtineat, datur tamẽ medium inhæsionis animal scilicet, cui aliquando esse sanum, & aliquã do ægrum esse contingit. Legendus est Scotus q. 39. prædicamento. Ad quartum dicimus Arist. cũ inquit contrarietatem esse maximam distãtiam, intelligendum esse cum his tribus limitationibus, vt sit intra limites eiusdem generis, secundum essentiam, & non secundum aliquem modum, & ratione sui, ac non propter alterius participationem. Vnde ad primam confirma. dicimus, verum esse inter quantitatem, & qualitatẽ

Ad 2.

1. Solut.

2. Solu.

Ad 4.

Ad 1. Confir.

esse maiorem distantiam, quam inter duo contraria, verum illa non continetur infra limites alicuius generis, nam quantitati, & qualitati nullum genus potest esse commune.

Ad 2. Ad 2. dicimus calidiss. & frigidiss. mum, non magis distare inter se secundum essentiam, quam calidum, & frigidum, sed tantum secundum modum, vel iuxta illius gradus intensiores: at iam diximus hanc maximam contrarietatem non esse intelligendam secundum modum, vel gradus, sed secundum essentiam extremorum contrariorum.

Ad 3. Ad tertiam aimus media non maxime distare ab extremis, quamuis cum quolibet illorum contrarie opponantur, verum cum illa non opponantur ratione sui, sed ratione alterius extremi, ob hanc causam quãuis nõ maxime distent nihil aduersus placitum Arist. colligi poterit, cum ille tantum docuerit extrema quæ contrarie opponuntur, si ratione sui opponantur, sub eodem genere maxime distare. Legendus est Iauellus 10. Metaphy. q. 12. Ad quartam prætermissis varijs solutionibus satisfacimus aientes, bonum & malum posse sumi absolute & in cõmuni, vel in moribus: primo modo bonum, & malum, opponuntur priuatiue, nihil enim aliud ipsum malum est quam quedã priuatio boni: at secundo modo opponuntur contrarie quemadmodum iustitia, & iniustitia, quæ sunt bonum, & malum morale, opponuntur contrarie, nã iniustitia non tantum significat priuationem iustitiæ, sed qualitatẽ quãdam contrariam illi, & hoc secundo modo intelligendus est Arist. docẽs bonum, & malum esse opposita contraria. Ad vlti. respon. negando cõsequen. etenim hæc quæ in hoc cap. docet Arist. non pugnant cum his quæ docebat 2. de cœlo, nam in hoc loco non docet q̃ si vnũ contrariũ fuerit debeat illico aliud perire simpliciter, & absolute, sed debere perire ab illo subiecto, in quo alterum introducitur: tuero in lib. de cœlo non agebat de vno aliquo subiecto, sed de ipsa rerum natura, docebatq. quod si vnum ex contrarijs fuerit in rerum natura, & aliud quoq. esse debet, quia natura ex æquo sese habet ad vtrumq. contrarium producendum, ac proinde si vnum producit, debet etiam & alterum producere. Quod intelligendum est iuxta facultatem naturalem (vt in illo loco loquebatur Arist. qui ob hoc institutum docebat, quod si vnum contrarium fuerit in rerum natura debere etiam & aliud in eadem esse, vt ostenderet ex eo quod est ignis, debere quoque esse terram, quia hæc duo elementa, inter se ratione qualitatum secundarum, nimirum grauitatis, & leuitatis pugnant maximeq. contrariantur.) Nam si de facultate supernaturali agamus, non est necesse vt si vnum ex contrarijs fuerit & alterum quoque debeat esse vt in Cõmentarijs admonuimus. Legendus est Caieta. in hoc capite.

Ad 4.

Advlti.

QVAESTIO II. IN QVO *sit ratio oppositionis relatiuæ constituta.*

OFfert se tamen peculiaris difficultas circa oppositionem relatiuam, in quo nimirum sit illa constituta. Seuerinus Boetius putat in eo sitam esse, vt non possint extrema relationis eidem respectu eiusdẽ conuenire, impossibile siquidẽ est, aliquem respectu eiusdem simul esse patrem, & filium, vel duplum, & dimidium. Vnde iuxta illum, illud quod inquit Arist. relatiue opposita esse illa quæ id quod sunt aliorũ esse

1. Opi.

esse dicũtur, vel quoquo modo alia cum alijs conferuntur, nõ explicat oppositionem relatiuam, sed potius quandam regulam, ad cognoscenda quænam sint relatiue opposita, etenim si aliqua extrema ita fuerint affecta, vt id quod sunt aliorum esse dicantur, vel quoquo modo alia cũ alijs conferantur, illa (tanquam nota quadam) cognoscemus, esse relata. Alij vero è quorum numero est acutissimus Caieta. opinantur hanc oppositionem esse in eo constitutã, vt illa ad inuicem referantur, vel in contrapositione quadam, qua se illa contra inspiciunt, ac intuentur. Vnde oppositio inter patrem & filium, in eo consistet, vt pater contrainspiciat filium, & filius quoque è contra patrem intueatur. Quam opinionẽ tamquam veriorem vt explicemus, animaduertimus, ea quę opponuntur relatiue, posse duobus modis sumi, primo iuxta propriam naturam, & essentiam, secundo vt participant aliquo modo oppositionem contradictoriam, est enim hæc oppositio in omnibus alijs oppositionibus inclusa, vt in sequentibus quæstio. ostendemus.

2. Opin.

Obser.

1. Conc. Hoc igitur animaduerso sit prima conclusio. Si sumantur relatiue opposita, vt in ipsis est inclusa, & participata oppositio contradictoria, in eo erit illa constituta, vt vnum ex extremis sub eadem ratione alterũ excludat ab eodem subiecto, vt in exemplo paternitatis, & filiationis, rem hanc possumus explicare, quæ certe cum sint opposita relatiue, in eo opponentur, quia paternitas excludit filiationem, & hæc paternitatem (sub eadem ratione) ab eodem subiecto. Confirma. quia idem iudicium ferendum est de oppositione relatiua hac ratione sumpta, quod ferimus de oppositione contradictoria; at in oppositione contradictoria, extrema se mutuo excludunt ab eodem subiecto, nam sunt affirmatio eiusdem de eodem, quæ certe eidem simul conuenire nullo modo possunt: quare & oppositio relatiua hac ratione sumpta, in hac expulsione vnius extremi ab altero, in eodem subiecto erit constituta. Quod si hac ratione intelligit Boetius suam opinionem explicatam, vera erit illius sententia, sin minus quam sit falsa, ex sequenti conclusione constabit, quam antequam proponamus dissoluenda erit quædam obiectio, aduersus hanc priorem conclusionem, quæ sic sehabet.

Obiect.

D. Tho. q. 7. de poten. art. 8. in quit affirmationem, & negationem non includi in oppositione relatiua, ergo cum contradictio sit oppositio secundum affirmationem, & negationem, non recte cõstituimus oppositionem contradictoriam esse in relatiua inclusam. Respon. ex Ferra. 4. c. Gent. cap. 14. in oppositione contradictoria, vel quod idem est (in affirmatione, & negatione) posse attendi, vel expulsionem vnius extremi ab altero in eodem subiecto, nam affirmatio expellit negationẽ, vt esse hominem, expellit non esse hominem, vel imperfectionẽ vnius extremi quæ semper in aliquo extremo huius oppositionis reperitur, semper etenim negatio est imperfecta, & affirmatio perfecta. Igitur quando inquit D. Tho. affirmationem, & negationem non includi in oppositione relatiua, intelligi debet secundo modo, non primo: secundo quidem, quia in extremis quæ opponuntur relatiue, non se habet vnũ sicut perfectum, & aliud tamquam imperfectum: nam relatio vt denotat habitudinem ad extremum, nullam significat perfectionem: non vero primo, quia hac ratione vnum extremum relatũ, excludit aliud (sub

Solutio.

eadem ratione) ab eodem subiecto.

2. Conc. Secunda conclusio. Si agamus de oppositione relatiua iuxta propriã rationem, vt differt ratione ab oppositione contradictoria, & priuantie, ratio & natura illius in hoc erit constituta, vt se contra extrema intueantur, vel vt cum alijs dicamus vt relata contraponantur, quemad modũ ratio constitutiua patris erit constituta in eo, quod est paternitatem contra intueri filiationem, & hanc ex aduerso respicere paternitatem. Hæc assertio nifallor (quam cũ Caietano profitemur) est imprimis Arist. expressa sentẽtia, qui cum oppositionem relatiuam explicaret, inquit, illa esse hoc genere opposita, *Quæ id quod sunt aliorum esse dicuntur, vel quoquo modo alia cum alijs conferuntur*. Hoc autem quid aliud est quã oppositionem relatiuam inquadam contra oppositione extremorum esse constitutam? Neque est cur cum Boetio dicamus Arist. in his verbis non explicuisse propriam rationem huius oppositionis, sed adhibuisse legem qua dignoscere valeamus quę sint extrema relata, hoc enim alienum est à mente Arist. cum ipsemet testetur hanc esse oppositionem relatiuam, nam ita habet. *Ac ea quidẽ contraria, quæ cum aliquo conferuntur, quidquid ipsa sunt contraria esse dicuntur, &c.* Secundo. Ratio propria huius oppositionis illa erit quę illi primo conueniet: at se expellere extrema relata ab eodem subiecto nõ primo conuenit huic oppositioni, etenim ex eo paternitas, & filiatio, respectu eiusdem, non possunt eidem conuenire, quia se ex aduerso intuẽtur, vnde prius erit se ita intueri, quam se ab eodem subiecto expellere: non igitur oppositio relatiua erit in hac expulsione constituta.

1. Arg.

2. Arg.

3. Conc. Tertia conclusio Opposita relatiue nonnullis discriminibus ab aliis generibus oppositorum separantur. Hæc discrimina erudite tradit D. Tho. q. 7. de potentia artic. 8. ad 4.

1. Discrimen. Primum est quia in aliis oppositis ex eo quod vnum sit in rerum natura, non sequitur & aliud etiam esse, imo ex positione vnius, sequitur euersio alterius, vt in contradictorie oppositis, ex positione affirmationis sequitur euersio negationis, in contrariis, ex positione candoris, sequitur euersio atroris in eodem subiecto: & in oppositis priuatiue, ex positione formæ (vt luminis) sequitur euersio priuationis, tenebrarum ni mirum. Cæterum in oppositis relatiue, ex positione vnius extremi, sequitur positio, non autem euersio alterius, nã si pater est & filius quoque debet esse: dicuntur enim ad cõuertentiam omnia relata, vt in categ. ipsorum, iam supra cum Arist. docuimus. Alterum discrimen est. In reliquis oppositorum generibus, alterum ex extremis habet locum perfecti, & alterum locum imperfecti, vt in oppositis contradictorie, affirmatio est perfecta, negatio imperfecta: in oppositis contrarie, vt sunt albedo, & nigredo, caliditas, & frigiditas, caliditas, & albedo, habẽt locum perfecti, nigredo vero, & frigiditas, locum imperfecti: & tandem in oppositis priuatiue, habitus rationem perfectam sibi vendicat, ê contra vero priuatio, inter imperfectas naturas comprehenditur. Cæterum in oppositis relatiue, neutrum extremorum est altero perfectius, vel imperfectius, quia neutrum denotat perfectionem, vel imperfectionem, nam esse ad, vel referri ad aliud in cõmuni, abstrahit ab esse perfecto, & imperfecto. Etenim quamuis relatio rei, vt inhæret subiecto, significet perfectionem, vt tamen denotat habitudinem ad terminum, non denotat illam: at extrema relationis nõ

2. Discrimen.

opponuntur relatiue, iuxtra relationem, vt denotat inhærẽtiam in subiecto, sed vt denotat habitudinem ad terminum. Legenda sunt quæ de hac re exposita dedimus in categoria relatorum sect. vlti. quæst. vlti. & quæ de oppositione relatiua à D. Tho. in cælebri illo opuscu. 37. de contrariis tradita fuere.

QVAESTIO III. AN OPPOSITIO SIT GENUS AD QUATUOR GENERA CONTRARIORUM.

PRæter has quas in superioribus quęstio. proposuimus offerunt se nobis nonullæ dubitationes haud certe indignæ quæ circa ea quæ ab Arist. de contrariis tradita sunt exagitentur, ac primum sit ne oppositio genus ad quatuor contrariorum genera, necne? Et quidẽ ita esse hoc argumento fiet manifestum. Oppositio eodem nomine & eadem diffinitione prædicatur de his quatuor generibus: ergo synonyme de illis dicetur, & ex consequẽti vt genus, quia nequit dici de eis vt species. Consequentia est aperta, confirmatur antecedens. Imprimis nomen oppositionis omnibus est commune, deinde ratio quæ est non posse esse simul in eodem subiecto, est etiam cõmunis: ergo prædicatur eodem nomine & eadem ratione.

1. Arg.

1. Opin. De hac quæstione est prima opinio Simplicij in præfatiuncula quadam Postcatego. in fine oppositionẽ esse verum genus adhęc quatuor genera contrariorum, in qua opinione docet extitisse etiam Porphyrium eãdem Louanienses hoc loco, & Suesa. 10. metaphy. q. 6. amplectuntur.

2. opin. Secunda opinio est M. Soto in cap. de contrariis existimantis oppositionem prędicari synonyme de oppositione priuatiua, aduersa, & contradicente, de his vero tribus & de oppositione relatiua non prædicari synonyme sed homonyme, quia inquit oppositio relatiua homonyme vocatur oppositio. Tertia opinio est B. Alberti Mag. in tractatu Postcatego. cap. 2. & Caieta. in commenta. in ca. de contrariis & D. Tho. opuscu. 37. omniumque fere recentiorum constituentium oppositionem neq. de tribus, neque de quatuor generibus oppositorum posse prædicari synonyme, sed analogice, quam opinionem arbitramur esse veriorem. Vnde in illius explicationem sit prima conclusio.

3. Opin.

1. Conc. Tantum sunt quatuor genera cõtrariorum proposita ab Arist. scilicet contraria, relata aduersa, priuantia & contradicentia. Confirmatur duobus argumen. Primum petitum est ex Ammonio. Omnis oppositio aut est secundum orationes in quibus reperitur affirmatio, vel negatio, aut secundum res quæ sunt a parte rei: si est oppositio secundum orationem, est oppositio contradictoria, quæ fit secundum affirmationem, & negationem, vt est hæc oppositio Petrus sedet, Petrus non sedet: si vero sit oppositio secundum rem, aut inter illas res est mutua habitudo, & hæc est oppositio relatiua, at non est huiusmodi mutua habitudo, sed est oppositio inter extrema quæ se mutuo expellunt ab eodem subiecto, quod si se expellant cum aliquo regressu, est oppositio aduersa vel contraria vt est inter calidũ, & frigidum, nam inter hęc extrema est mutua transmutatio, & regressus ab vno ad alterum: si vero se expellant sine regressu est oppositio priuatiua, quia ab habitu ad priuationem, vel a priuatione potius ad habitũ, non datur regressus. Erunt itaque quatuor genera contrariorum, neq.

1. Arg.

2. Argu. ijs plura, neque pauciora. Secundū petitum est ex Alberto Mag. & Caietano. Omnis oppositio, vel est inter duo entia, vel inter ens, & non ens: si fuerit inter duo entia, aut illa se expellunt ab eodem subiecto, vel non se expellunt, si se expellant, erūt aduersa, vt calor, & frigus, quę se expellūt ab eodem corpore, quod si se non expellant, erunt relata, nā vnum extremum relationis, vt paternitas, non expellit aliud, vt filiationem ab eodem subiecto, eo quod idem respectu diuersorum possit esse pater & filius: si vero fuerit oppositio inter ens & non ens, aut huiusmodi non ens est non ens simpliciter, & absolute, & hæc est oppositio contradictoria, quę est inter affirmationem, & negationem, ex quibus affirmatio est ens, negatio vero non ens, attamen illa non est simpliciter non ens, sed est non ens secundum quid, & hęc est oppositio priuatiua, quia priuatio non est non ens simpliciter, vt est nihil, sed est non ens secundum quid, & est ens tantum habens esse per intellectum. Erunt itaque quatuor genera contrariorū proposita ab Arist. Legenda est alia ratio apud Scotum quæst. 38. Prædicamentorum.

2. Conclusio. Secunda conclusio. Oppositio nō dicitur de his quatuor formis homonyme. Confirmatur aduersus Zimaram in sua tabula contrarium opinantem, quia in homonymis solum nomen est cōmune: at oppositа præter nomen, habent etiam & rationē communem.

3. Conc. Tertia, Oppositio nō prædicatur synonyme de his quatuor generib⁹. Confirmatur. Illa quæ prædicātur per prius & posterius & secundum magis & minus non prædicantur synonyme: sed oppositio prædicatur de his quatuor oppositionis generibus secundum prius & posterius, & secundum magis & minus, nā prius & maxime prædicatur de oppositione contradictoria, deinde de priuatiua, tertio de aduersa, & vltimo de relatiua, vt ostendemus quæstione sequenti abunde ex Arist. 10. Metap. cap 7. ergo oppositio non prædicatur synonyme de his quatuor generibus.

Quarta conclusio. Oppositio non est genus ad hæc quatuor genera cōtrariorum. Confirmatur aduersus Simplicium. Omne genus prædicatur synonyme de suis speciebus, sed probatum est in superiori assertione oppositionem non prædicari synonyme de quatuor generibus oppositionum, ergo oppositio non erit verum genus ad illa. 4. Conclusio.

Quinta conclusio. Oppositio dicetur analogicè de his quatuor formis. Confirm. quia cū neq. dicitur homonyme, neque synony. dicetur profecto analogice: idq. analogia attributionis, quia prius dicitur de cōtradictoria, secundo de priuatiua, tertio de contraria, & quarto de relata. 5. Conc.

Ad argumentum igitur propositum respon. falsum esse antecedens, & ad probationem dicimus, nomē, & rationem oppositionis non esse ex æquo participatam à suis inferioribus, cum prius conueniat oppositioni contradictoriæ quam alijs, & ita non prædicabitur synonyme. Ad argum.

QVAESTIO IIII. SITNE *oppositio contradictoria omnium maxima.*

COnferamus iā oppositionis formas inter sese, examinemusque quænam ex ipsis sit maior, & quænam minor dicatur: nam contradictoriam nō esse maiorem, sed minorem,

rem hæc argumenta suadere videntur. Primum. Illa oppositio est minima, quæ reperitur inter res quæ minus differūt: sed oppositio contradictoria reperitur inter ea quæ minus differunt, nam distinctio numerica est omnium minima (qualis est ea quæ intercedit inter Petrū & Antonium) in qua reperitur oppositio contradictoria, nam de qualibet re vera est affirmatio & negatio: ergo oppositio contradictoria erit omnium minima. Secundum. Oppositio priuatiua, vel quælibet alia includit oppositionem contradictoriam, nam hæc, vt diximus, includitur in omni genere oppositionis, & addit aliquid supra illā, scilicet propriam rationem oppositionis priuatiuæ, sed omne illud quod includit aliquid, & addit aliquid supra ipsū, est eo maius, ergo oppositio priuatiua erit maior oppositione contradictoria. Tertium. Ex minori distinctione non possumus colligere maiorem, quemadmodum ex distinctione numerica non possumus colligere aliqua distingui specie, quia distinctio numerica est minor quam specifica: sed ex distinctione priuatiua, aut alia, colligere possumus oppositionem secundum affirmationem, & negationem, ergo oppositio contradictoria nō erit omnium maxima.

1. argu.

2. Arg.

3. argu.

Breue quæsi. Hanc quam examinandam tradimus quæstionem iuxta ea quæ tradita fuere ab Arist. 10 metaph. cap. 7. à D. Tho. opusc. 37. & à Soncinate 10. metaph. q. 8. à Iauello etiam eodem lib. q. 11. his subiectis assertionibus diffinimus, sit prima.

1. Conc. Oppositio contradictoria est omnium oppositionum prima. Confirmatur. Illud est primū in vnoquoque genere, quod est causa cur cętera sint talia, sed oppositio contradictoria est causa, cur cæteræ oppositiones sint tales, ergo oppositio contradictoria erit omnium prima. Confirmatur assumptio. Propositio enim ipsius est Arist. 2 metaph. cap. 1. Cætera ex eo sunt opposita, quia non possunt esse simul in eodem subiecto, quemadmodum albedo, & nigredo, ex eo contrariantur, quia neutra illarum, potest simul in subiecto, in quo altera continetur reperiri: atqui hoc nō aliunde prouenit quā ex eo quod vnum illorum includit negationem alterius, ex eo enim albedo, & nigredo, nequeunt eidem subiecto simul inhærere, quia albedo includit negationem nigredinis, & écontra nigredo albedinis, ergo cū oppositio secundum affirmationē, & negationem, sit cōtradictoria, oppositio contradictoria existet proculdubio causa cur cætera opponantur.

Secunda conclusio. Oppositio cō tradictoria in ratione oppositionis est omnium maxima confirmatur. In quauis oppositione illa est cēsenda maxima, in qua extrema minus conueniunt, quia ex maiori conuenientia colligitur minor differentia: sed in oppositione contradictoria extrema minus conueniunt, quam in aliis generibus oppositionum, ergo oppositio contradictoria erit omnium maxima. Confir. assump. Tribus modis aliqua extrema possunt conuenire, aut genere, aut subiecto, aut effectu ab vtroq. promanēte, sed alia contraria aut in solo genere categ. conueniunt, vt relata, aut in solo subiecto, vt opposita priuatiua, nam hæc nata sunt fieri circa idem subiectum: aut conueniunt effectu ab vtroque extremo producto, vt sunt aduersa vel contraria, qualia sunt album, & nigrum, quæ conueniunt in coloribus mediis, & calidū, ac frigidum quæ in tepido vniuntur, & si fuerint contraria immedia ta con 2. Conc. 1. argu.

ta conueniunt in eodem subiecto, & genere vt sanum, & ægrum, oppositio autem contradictoria, versatur inter extrema, quæ neque genere cõueniunt, quia cum ex eis vnum sit ens, & alterum non ens (affirmatio enim est ens, negatio vero non ens) enti vero, & non enti, nullum genus detur commune, neque illa genus aliquod commune habebunt: Subiecto præterea distinguuntur, nam nõ ens, in nullo reperitur subiecto, cum tamen ens alicui tanquam subiecto natum sit inesse & denique communi effectu destituta sunt, ex ente enim, & non ente, nihil coalescere vlo modo potest, ergo in oppositione contradictoria extrema minus conuenient. Confirmatur præterea eadem assertio. Inter ens, & non ens, est maxima oppositio, nam ab his duobus extremis oriuntur omnia alia oppositionum genera, sed oppositio contradictoria versatur inter ens, & non ens, ergo oppositio contradictoria erit omnium maxima.

2. Arg.

Ad 1. argumen.

Diluenda sunt tandem argu. Ad primum respond. ea quæ differunt numero sumi posse, vel vt res quædam sunt, vt scilicet in se sumũtur, vel vt vnum illorum includit alterius negationẽ, & ita quamuis, quæ primo modo differunt numero minime secernantur ab inuicem, quæ tamen secundo modo differunt numero maxime distinguẽtur, quia distinctio inter affirmationem, & negationem omnium maxima existit, quando autem asseruimus oppositionem contradictoriam esse omniũ maximam, loquuti sumus non de oppositione ratione rerum quæ opponuntur, sed ratione affirmationis, & negationis, quæ est oppositio formaliter. Ad secundum aimus has oppositiones sumi posse præcise, vt vna distinguitur ab altera, vel vt vna aliam includit: secundo modo oppositio priuatiua, vel quælibet alia erit multo maior oppositione cõtradictoria propter rationem assignatam, primo tamen modo oppositio contradictoria omnium extat maxima, qua ratione loquimur de oppositione quando genera oppositorum inter se comparamus. Ad tertium negamus propositionem nam differentiæ vltimæ magis differunt quam species ex eis constitutæ, illæ enim primo & seipsis differunt, cum tamen non sit idem de speciebus: at ex distinctione specifica distinctionem secundum differentias colligere consueuimus, nam recte inferimus Petrus, & hic leo differunt specie animalis, ergo differunt secundũ particeps, & expers rationis. Quod si quis quærat post oppositio. cõtradictoriam quænam sit omnium maxima. Respondemus maximam oppositionem esse priuatiuam, deinde succedere aduersam, & vltimo loco contineri relatiuam, quod confirmare licebit auctoritate Arist. 10. lib. metaphy. cap. 7. vbi recensens hæc oppositionum genera, primo loco constituit oppositionem cõtradictoriã, in secundo priuatiuam, in tertio aduersam, & in quarto relatiuam. Legendus est D. Tho. opuscu 37.

Ad 3.

Ad quæ si.

QVAESTIO V. AN QVALITATES contrariæ possint esse in gradibus remissis in eodem subiecto.

ET quidem non posse reperi confirmatur in hunc modum Primo. Si duæ qualitates contrariæ remissæ essent in eodem subiecto, sequeretur duas contradicentes esse simul veras: atqui hoc repugnat decretis omnium dialectico. ergo neq. contrariæ qualitates in gradibus remissis poterunt esse in eodem subiecto.

1. Argu.

iecto. Confirmatur propositio. Sint albedo, & nigredo, in gradibus remissis in eodem subiecto, tunc idẽ subiectum erit album & nigrum. Hoc statuto ita argumentor. Nigrũ est illud quod non est album: atqui ex alia parte erat album, ergo subiectum erit album, & non erit album. Cum ergo hæ duæ sint contradicentes, erunt simul veræ de eodem subiecto. Secundum. Effectus formalis non potest separari a forma per facultatem naturalem: sed esse albũ est effectus formalis albedinis: ergo etiam albedo remissa conferet esse album. Idem argumentũ fieri poterit de nigredine remissa, vnde fieret vt idem subiectum esset album & non esset album, quod certe esse nulla ratione potest. Tertium. A qualitates vocãtur quales, sed albedo remissa est qualitas, ergo ab albedine remissa vocabitur subiectum quale, & album, & idem erit de nigredine remissa atque ita fieret, vt idẽ esset album & nigrum. Quartum argum. Albedo, & nigredo, ex eo sunt incõpossibiles in eodem subiecto, quia iuxta propriam naturam sunt contrariæ, etiam sumendo albedinem, & nigredinem intensiue: sed nõ minus sunt ad inuicem contrarię albedo, & nigredo remissę: ergo neque hæ qualitates in gradibus remissis poterunt in eodem subiecto simul reperiri.

2. Arg.

3. argu.

4. Arg.

Obseru.

Nomine gradus intensi in hoc loco eum gradũ intelligimus, qui est vltra medietatem: nomine vero gradus remissi eum qui est citra medietatem, vt si tota latitudo caloris sit decem graduum, calor intensus erit calor qui est plurium graduum quã quinque, quia hi gradus sunt extra medietatem suæ latitudinis: calor vero vt duo, vel vt tres, vsque ad quinque calor remissus censendus erit, est enim citra medietatem suæ latitudinis. Certum igitur est non posse contrarias qualitates simul esse in eodem subiecto in gradibus intensis, vnde controuersia proposita tantum erit exagitanda penes gradus remissos, num scilicet duæ qualitates contrariæ in gradibus remissis, vt calor, & frigus, penes gradus caloris, & frigiditatis, vt duo vel vt tres, possint esse simul in eodẽ subiecto. Pertractabitur autem illa a nobis hoc loco breuiter, ac succinte, quia cum philosophica sit, diffusius a nobis in lib. de ortu postmodum (superis bene fauentibus) in lucem emittendis explicabitur. Circa eam Ariminensis 1. lib. senten. dist. 17. q. 3. art. 2. & Soncinas 10. metaphy. q. 22. existimarunt qualitates contrarias neque in gradibus intensis, neque in remissis simul in eodem subiecto reperiri vllo modo posse, ex qualitatibus tamen contrariis constituunt fieri mediam qualitatem, in qua extrema non continentur actu sed sola virtute, vt ex calore, & frigore, fieri tepidum, quod est media qualitas in quo non continetur actu caliditas, nec frigiditas, sed sola virtute. Secunda opinio est Capreoli 1. senten. dist. 17. q. 2. in argu. effectis contra 2. assertio. Iauelli 10. metaphy. q. 13. & aliorum constituẽtium qualitates contrarias in gradu remisso posse esse simul in eodẽ subiecto. Quam opinionem tanquam veriorem confirmamus his argum. Primum. Qualitates elementorum sunt contrarię, vt calor, & frigus, humiditas & siccitas: sed qualitates elementorum iudicio Philosophorum sunt in mixto in gradibus remissis, ergo iam contrariæ qualitates esse poterunt in eodem subiecto in gradibus remissis. Secundum. Quando ignis incipit agere in aquam, adhuc aqua retinet frigiditatem, est etiam affecta calore sibi tributo ab igne, sed

1. opin.

2. Opin.

1. Arg.

2. Arg.

sed calor & frigus sunt qualitates cõtrariæ; ergo contraria in gradibus remissis possunt esse in eodem subiecto. Tertium. Omnis qualitas habẽs contrarium remittitur ex permixtione sui contrarij, vt auctor est Arist. 1. physico. ca. 1. igitur in eodem subiecto esse poterunt contrariæ qualitates remissæ.

5. Arg.

Ad 1. argumen.

Ad argumenta in principio proposita. Ad primum dicimus subiectum habens vtrasque qualitates remissas, non denominari album, & nigrum, quia forma non denominat subiectum nisi secundum qualitates intensas, & ita non sequitur idẽ esse album, & non album simul. Sed rogabit aliquis, qua ratione igitur & quo nomine exprimetur tale subiectum habens vtrasque qualitates remissas. Respon. aut vna earum superat alteram in aliquo gradu, aut vtraque est æqualis alteri in gradibus. Si primo modo loquamur, respon. subiectum sumere denominationem à qualitate vincente alterã, vt si albedo sit quinque graduum, & nigredo trium, subiectum album denominabitur: si vero secundum constituamus, subiectum subibit denominationem illius qualitatis mediæ compositæ, ex vtraque qualitate, in quantum reperiuntur in ea cõtrariæ qualitates in esse remisso, vt calor, & frigus constituũt tepidũ in æqualibus gradibus, & ita subiectũ affectum iis qualitatibus in gradu remisso vocabitur tepidum.

Interrõ. Respon.

Ad 2.

Ad secundum negamus assumprionem, nam conferre esse album non est effectus albedinis absolute sumptæ, sed est effectus eius in gradu intenso. Vnde ab albedine remissa non dicetur subiectum album.

Ad 3.

Ad tertium respon. propositionem esse veram de qualitate secundum rem & modum, at vero albedo remissa, non habet modum qualitatis quæ nata est denominare subiectũ, sed ea tantum quæ est intensa: nam etiam perturbatio est vera qualitas, quæ tamen non denominat subiectum, quoniam non est qualitas secundum rem, & modum. Ad quartum dicimus falsam esse propositionem, nam non ex eo tantum albedo & nigredo, in gradibus intensis nequeunt in eodem subiecto reperiri, quia sunt contrariæ qualitates, sed ex eo quia sunt cõtrariæ in summo.

Ad 4.

Interrõ.

Sed longius progredietur aliquis, ac percontabitur, quænam sit ratio ob quam qualitates in summo, nequeant simul in eodem subiecto simul reperiri, qualitates nihilominus contrariæ in gradibus remissis, eo ipso quia remissæ sunt, in eodem subiecto simul reperiri optime possint, cum non minus sibi inuicem qualitates in summo, quæ æquales sunt aduersentur, quam qualitates remissæ, quæ æquales etiam sunt inter se opponantur. Capreolus ait, rationem esse, quia qualitas in summo actuat totam potentiam subiecti, ita vt nõ relinquat in eo potentiam vllam ad contrariam qualitatem: at vero qualitas in remisso non actuat eandem totam subiecti potentiam, quin potius adhuc relinquit in ipso potentiam ad cõtrariam qualitatem in remisso recipiendam. Animaduersione tamen dignum est, non solũ qualitates contrarias extremas, cuius generis sunt albedo, & nigredo, verum etiam medias quales censentur color purpureus, & viridis, & cæteri id genus, non posse in gradibus intensis simul in eodem subiecto reperiri, quantumuis optime posiint in gradibus remissis.

Respon.

Obser.

QVAESTIO VI. AN A *priuatione ad habitum detur regressus.*

Partem

PArtem aientem his duobus argumentis possumus confirmare. Primum. Tenebræ sunt priuatio luminis, sicut & ignorantia scientiæ: atqui à tenebris ad lumen, & ab ignorantia ad scientiam est regressus per naturam, ergo dabitur regressus a priuatione ad habitum etiam secundum naturam. Deinde bonum & malum opponũtur priuatiue, sed à bono ad malum potest esse regressus, nã qui improbus est effici post modum potest probus: à priuatione igitur ad habitum regressus erit etiã iuxta vires naturæ.

1. Arg.

2. Arg.

2. Obseruatio.

In huius quæstionis explicationẽ est, quod primò adnotemus per regressum hoc loco, nihil aliud intelligi debere, quam mutuam transmutationem subiecti secundum formã & priuationem, ita vt subiectum, quod nũc est sub forma esse, possit paulo post sub priuatione & qui sub illa semel extitit, formæ iterũ subijciatur. Animadu. oportet præterea priuationem esse duplicẽ, propriam vnam, & alteram impropriam. Propria est negatio formæ in subiecto apto nato, impropria vero priuatio censetur quælibet forma quæ in aliquo genere imperfecta est, nam iuxta Arist. 10. metaphy. variis in locis in quouis genere forma perfecta habet locum habitus, imperfecta vero priuationis, quemadmodum in genere colorum albedo quæ est color perfectus, obtinet locum formæ, at nigredo quæ est color imperfectus, locum sibi vendicat priuationis. Opus est tandem animaduertere duplicem esse priuationem quẽdam enim priuat actum, & potentiã simul in subiecto ad recipiendã formam, sicuti mors priuat actum vitæ, ac simul potestatem etiam viuendi, ac cæcitas eodem modo, & actum videndi aufert, & simul etiam videndi facultatem adimit. Dantur autem & aliæ quæ quidem actum solũ priuant, non vero potestatem subiecti ad recipiendam formam aliquam, id genus sunt tenebræ, quæ certe actũ ipsius luminis priuant in ipso aëre, non tamen potestatem idem lumen obtinendi vllo modo auferunt. His animaduersis quæst. hanc iuxta D. Tho. 8. metaph. lectio. 4. & 10. lec. 6. Caieta. in hoc loco Scot. q. 41 Prædica. Sonci. 10. metaph. q. 19. & alios his subiectis assertionibus diffinimus.

3. Obserua.

Prima conclu. A priuatione impropria ad ipsum habitum, & ab ipso habitu ad priuationem proculdubio datur regressus secundum naturam. Confirmatur hæc assertio. A calore ad frigus, & ab albedine ad migredinem, datur regressus iuxta naturam: sed nigredo est priuatio impropria albedinis, ergo iã à priuatione ad habitum, & ab habitu ad priuationem (impropriã tamen) datur regressus per naturam.

1. Conc.

Secunda conclusio. A priuatione proprie dicta quæ priuat actũ & potestatem, ad ipsum habitum nõ datur vllo modo regressus per naturã. Confirmatur. A morte ad vitam, à cæcitate ad visum, non datur per naturam regressus: at mors est priuatio non actum tantum, sed & vim etiã ac facultatem viuendi tollens, eodemque modo cæcitas est priuatio non actum videndi solum, sed & videndi adhuc & potestatẽ auferens, ergo á priuatione ad habitum nullus dari poterit vllo modo regressus. De qua priuatione intelligẽdus est Arist. in hoc cap. constituens à priuatione ad habitum non esse regressum. Additum autem est à nobis per naturam, quoniam supernaturaliter à priuatione ad habitum dubium esse non debet quin regressus detur, per vim enim ac facultatem diuinam, & à morte ad vitam

2. Conc.

&

& à cæcitate ad visum datur regressus.

3. Conc. Tertia conclusio. A priuatione quæ tantummodo aufert actum nõ tamen potestatem ad habitum, vel formam ipsam, etiam viribus naturæ, datur regressus. Confirmatur. A tenebris ad lumen, & ab ignorantia ad scientiam datur, vt videmus, regressus, solius naturæ viribus mediis: sed tenebræ solum actum luminis in ipso aere priuant, nõ vero potestatem, ignorantia præterea solum actum sciendi priuat, & nullo modo vim ac facultatem ad habitum ipsum & formam obtinendam: dabitur igitur ab istiusmodi priuatione ad habitum & formam regressus per naturam. Ex his assertionibus facillimum erit vnũquodq. argumen. in principio propositũ, & si quæ alia præter illa se offerant dissoluere, quibus tamen ita sigillatim satisfaciamus.

Ad primum igitur respon. has priuationes tantum priuare actum, & non potestatem. Ad secundum eodem modo dicimus malum tantum priuare bonum secundum actum, non tamen secundum potestatem, nam qui est improbus non est actu studiosus, non tamen amisit potestatem, vt probus esse possit.

ABsoluimus igitur totam hanc subtilem & perdifficilem categoriarũ disputationem, in qua cum multa proposita a nobis fuerint, multæque opiniones reiectæ, & multę aliæ grauissimorum virorum laudatæ, nequaquam lapsus aliqui deesse poterunt, nam in multiloquio (vt dicebat Sapiens) non deerit peccatum. Illorum nobis veniam concedent benigni Lectores, cum eximbecillitate intellectus nati illi fuerint: si quæ tamen in eadem vtilia, & ad Philosophiæ studia promouenda, accommodate dicta fuerint, non nobis, sed Deo Opti. Max. à quo quidquid est vtilę, & accommodatum (tanquam à perenni fonte) promanat, gratię omnes referantur, qui beatissimæ Virginis Mariæ matris eius, & B. Thom. Aquina. Mecœnatis nostri, plusquam tutelari patrocinio, vt illa scriberemus benigna manu concessit.

✠

LAVS DEO

Universidad de Deusto
Biblioteca

1234567890

62

1234567890

compsa

Universidad de Deusto
Biblioteca